Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
30 K
4

30

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

30.3.41
39 A 19
34 B 59

Digitized by Google

Digitized by Google

A
1260

Digitized by Google

8. 33. K. 1

SYSTEMA FIDEI, SEV TRACTATVS DE CONCILIO VNIVERSALI,

Vbi tàm ex Principijs Scholaſticis, quàm Monumentis veterum: præſertim Magni Orbis Magiſtri *Auguſtini*, Quidditas & Poteſtas Concilij, cum ſingulis vel apicibus de hac re deſideratis enucleantur: Diuina Authoritas Scripturarum & Traditionum declaratur.

FIDEI STRVCTVRA DELINEATVR,

Vbi innumera antiqua examinantur.

DISTINCTIO FVNDAMENTALIVM ET NON FVNDAMENTALIVM IN REBVS AD FIDEM SPECTANTIBVS,

DISCVTITVR

Abſtruſiora quædam ex naturæ Penetralibus exponuntur; quibus anima humana immortalis aſſeritur.

SACRVM TRIDENTINVM VINDICATVR.

APPENDIX,

De origine Papatus Romani, & an *Petrus* & *Paulus* fuerint ſimul Papæ?

Oportet omnia ſcripta legere, vt ex omnibus ſimul, non ex vnico dumtaxat, iudicium de Authoris Fide conſtitui poſsit.
Athanaſ. in Epiſt. pro Dionyſ. Epiſc. Alexandrino.

Authore Reuerendo Admodum P. F. FRANCSICO DAVENPORTO *vulgò* A SANCTA CLARA *Prouinciæ Angliæ FF. Minor. Exminiſtro Prouinciali, olim apud Duacenſes Lectore Theologiæ Primario, nunc verò Sereniſſimæ Reginæ Magnæ Britanniæ à Sacris,* &c.

LEODII, Typis IOANNIS TOVRNAY Sub ſigno S. Auguſtini Apud Sanctum Dionyſium. M. DC. XLVIII.

Superiorum Permiſſu.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

3 C

Digitized by Google

AD LECTOREM.

Det veniam maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cauit natura.

SEmper etiam recolligat quod rectè docet Seneca: *Veritas in alto latet, & in profundo poſita eſt.* Ariſtoteles etiam conteſtatur, quod intellectus noſter ſe habet ad ea quæ in ſuâ naturâ manifeſtiſſima ſunt, ſicut oculus veſpertilionis ad lucem Solis; Si igitur in his abditiſſimis veritatibus aliquando mei caligant oculi, ignoſcat Lector, & piè corrigat.

Vale.

Digitized by Google

Digitized by Google

F.R PETRVS MARCHANT Ordinis Minorum ſuper Prouincias Germaniæ Superioris, Belgij, Hiberniæ, Angliæ, Scotiæ, Daniæ,&c. Regularis ac Strictioris Obſeruantiæ, cum plenitudine poteſtatis in vtroq; foro Commiſſarius Generalis, R.do Admodum Patri F. FRANCISCO à S. CLARA ſiue DAVENPORTO Prouinciæ noſtræ Angliæ nuper Prouinciali, ac S. Theologiæ Lectori & Profeſſori emerito, Salutem.

Lecto & per meipſum perlecto Libro tuo, cui Titulus *Syſtema Fidei*, ſiue, *Tractatus de Concilio Vniuerſali*, iudicaui illum prælo digniſſimum: quippè quod in illo infatigabili labore, è ruderibus Antiquitatis, fundamenta & fundamentalia Fidei Catholicæ denudaueris: Eccleſiam Vnam, Sanctam, Catholicam, Apoſtolicam, Romanam ſupra fundamẽtis Apoſtolorum, & Prophetarũ, ipſo ſummo Angulari Lapide CHRISTO IESV oſtenderis: Conciliorum Oecumenicorum rationem & infallibilitatẽ demõſtraueris: Traditionis ſinceræ riuos ex ſcaturiginibus viuis deduxeris. Igitur facultatẽ P. T. facio & quantum opus eſt cum merito obedientiæ mando, vt Librum illum prælo publicum facias ad ſolatiũ Fidelium, Errantium lucem, Pertinacium confuſionem, totius Eccleſiæ vtilitatem. Datum Spadæ 9. Auguſti 1647. ſub propriæ manus ſignatura & Officij noſtri Minori ſigillo.

Locus ſigilli.

F. PETRVS MARCHANT
Commiſſarius Generalis.

Digitized by Google

FACVLTAS
Reuerendi Admodum Prouincialis.

FRater *HIERONYMVS à S. BONAVENTVRA, Ordinis Minorum Prouinciæ Angliæ Miniſter Prouincialis, Reuerendo admodum Patri noſtro Fratri* FRANCISCO à S. CLARA *eiuſdem Prouinciæ Exprouinciali & S. Theologiæ Profeſſori emerito Salutem.*

Quandoquidem per varia opera Theologica à V. P. in lucem edita, tum de animarum zelo, tum de Scientiæ veſtræ ſoliditate abundè conſtet. Hinc in meritum ſalutaris obedientiæ rogo & præcipio quatenus opus abſolutiſſimum à R. *V. P. recenter compoſitum, cui titulus,* Syſtema Fidei *ſeu* Tractatus de Concilio vniuerſali, &c. *A viris longè doctiſſimis reuiſum, approbatum, & pro merito ſingularibus encomijs illuſtratum, & vbique deſideratum, in bonum publicum prælo mandari permittat. Actum Neoportæ in Conuentu S. Elizabethæ hac 16. Septembris. 1647.*

F. HIERONYMVS A S. BONAVENTVRA
Miniſter Prouincialis Angliæ.

Digitized by Google

APPROBATIONES.

NOs infraſcrpti Doctores Theologi Parienſes hoc volumen legimus cui Titulus eſt *Syſtema Fidei*, ſeu *Tractatus de Concilio Vniuerſali*, &c. Authore R. Admodum Patre Fratre FRANCISCO DAVENPORTO vulgo A S. CLARA Prouinciæ Angliæ Minorum Exminiſtro Prouinciali, olim apud Duacenſes Lectore Theologiæ Primario, &c. In quo cum ſolida eminentia Conciliorum poteſtatatis ſecundùm placita veterum Patrum diſcuſſione, priſca multa, eaque grauia pari ſubtilitate, qua perſpicuitate ad conſtantes Fidei Regulas expenduntur. Opus luce & laude dignum quod medijs in ſenſibus ſalebriſque difficillimarum quæſtionum planam& facilem aperit viam, qua lector deducitur ſecurus ad notitiam veritatum abſtruſarum. Videtur ergo vtile vt Typis mandatur. Datum Ebroicis ſecundo kalend. Octob. Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo quinto.

FF. MARTEL *Prior Monaſterij de Nea Ordinis Ciſtercienſis.*

DV SOVCHEY *Colleg. Ebroïcen. Moderator.*

NOs Frater EDMVNDVS VINOT Ordinis Minorum Regularis obſeruantiæ Doctor Theologus, Almæ Prouinciæ Franciæ Miniſter Prouincialis & in eadem cum poteſtatis plenitudine R.mi Patris Generalis Commiſſarius ac Vices gerens præſentium vigore facultatem facimus R.do Patri ac Fratri FRANCISCO A S. CLARA Exprouinciali Angliæ eiuſdem Ordinis, & inſtituti quatenus ſeruatis ſeruādis *Syſtema Fidei*, ſiue *Tractatum de Concilio vniuerſali*, Typis mandare poſsit & valeat. Datum in Conuentu noſtro Vernonenſi, tempore viſitationis noſtræ, Anno Domini Milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo quinto, die Octob. vigeſima ſecunda.

Locus O *ſigilli.*

F. EDMVNDVS VINOT
Miniſter Prouincialis.

Digitized by Google

HOc Opus Reuerendi Patris Fratris FRANCISCI A S. CLARA Exprouincialis FF. Minorum Recollectorum Prouinciæ Angliæ, *De Sacris Concilijs, & Papatu Romano*, magna antiquitatis indagine elaboratum, & doctrinæ varietate contextum, videtur mihi editione digniſſimum. Datum Namurci hac 25. Decembris 1646.

F. MATTHIAS HAVZEVR
Sacræ Theologiæ Lector Iubilatus, &
Exprouincialis Prouinciæ Flandriæ
FF. Minor. Recoll.

HOc Opus R. P. F. FRANCISCI A SANCTA CLARA Exprouincialis FF. Minorum Recollectorum Prouinciæ Angliæ, de varijs materijs cum Hæreticis noſtri temporis controuerſis, vt *de Sacris Concilijs & Papatu Romano*, &c. magno labore ac ſtudio concinnatum ſummâque induſtria ac delectu ex venerandæ antiquitatis veſtigijs erutum, velut efficax Amuletum aduersùs peſtilentes hæreſes, meo ſane iudicio dignum eſt vt in lucem magno Eccleſiæ Catholicæ bono prodeat. Datum Duaci 11. Iunij 1647.

VALENTINVS RANDOVR
S. Theol. Doctor, eiuſdemq; Regius
ac Ordinarius Duaci Profeſſ.

Digitized by Google

INDEX OMNIVM CONTENTORVM IN HOC LIBRO,

per ſingula Capita: ſeu totius Libri Synopsis compendioſè exhibita.

Prior numerus, marginalem denotat: Poſterior vero, ſeriem paginarum.

CAPVT I.

In quo ſenſu intelligẽdi ſunt Theologi, dum inueſtigant, an Concilia Vniuerſalia ſint infallibilia?

1. Oſtenditur Quæſtionis neceſſitas.
2. Supponitur infallibilitatem Cõciliorum non poſſe probari à cauſis intrinſecis. Pag. 1.
3. Non ex forma. Pag. 2.
4. Neque à cauſa efficiente. Pag. 3.
5. OSTENDITVR HOMINES A DEO directos actu non fallere. Pag. 4.
6. DETERMINATIO QVÆSTIONIS. Ibid

CAPVT II.

Exponuntur opiniones quærentium: In quo Conſiſtat Poteſtas Eccleſiæ in veritatibus definiendis.

1. Oſtenditur neceſſitas diſcuſſionis Sententiarum. Pag. 5.
2. Hæreſes omnes pullulaſſe ex hac Quæſtione, vnde recurrendum ad Placita Antiquorum. 6.
3. Citantur aliqui affirmantes Eccleſiam non poſſe definire, niſi Quæſtiones, vt Fidei Dogmata vniuerſim defenſa, Ibid.
4. Ab illis reſpondetur Scholaſticis affirmantibus Eccleſiam pro re nata poſſe aliquid definire. 7.
5. Ponitur reſolutio Auctoris, *Quod Eccleſia poſſit definire incluſa virtualiter in Scripturis vel Traditionibus*, & probat ex *Doctore Subtili*. 7. & 8.
6. Pro iſta ſententia ponitur *Occamus*, qui Conciliorum infallibilitatem adſtruit. 8.
7. & 8. Citantur *Vega* & *Lerinenſis*. 9.
9. Probatur ex *Concilijs*. 10.
10. Proponitur 2. ſententia: *Quod Eccleſia non poſſit infallibiliter definire, niſi quæ Sacra Scrip. vel Traditiones certò & clarè proponunt, vel euidenter aut virtualiter in illis includuntur*. 10.
11. Declaratur quid faciat Eccleſia in Conciliorum definitionibus, & quomodo

**

Digitized by Google

quomodo non poſſit errare. 12.
11. Ponitur diſtinctio *Fundamentalium & non fundamentalium.* 12.
13. Non eſſe vtendum libertate Scholæ in hac materia.
14. Aſtutia *Arianorum* in verbo *Homouſion.* 13.
15. Oſtenditur certa & firma Eccleſiæ decreta eſſe non poſſe, quæ non certis & firmis principijs ac fundamentis nituntur. 13.

CAPVT III.

Prægustatur, exponitur & reijcitur Opinio aſſerentium, Eccleſiam in definiendo, nouis vti reuelationibus.

1. Refertur 3. ſententia aſſerens ſine dictis fundamentis poſſe aliquid definiri. 14.
2. *Horantius* hac in re parùm ſibi conſtat. ibid.
3. Aliqui nimis liberales in ſuis ſententijs de EccleſiæAuthoritate. 15.
4. Modus agendi cum *aduerſarijs.* ibid.
5. Admonitio pro Authoribus iſtius ſententiæ 16.
6 Nihil tanquam de Fide proponendum, quod ex Euangelio non deſcendit. ibid.
7. Concilium *Trident.* non agnouit *Nouas Reuelationes.* 17.
8. Vanum eſt noua Fidei dogmata iactare. ibid.
9. Quos terminos habeat Concilium in ſuis *definitionibus* infallibilibus. ibid.
10. Oſtenditur Eccleſiam in ſuis *definitionibus* recurriſſe ad priora: nihil de nouo determinaſſe. 8.
11. Reijcitur 3. Sententia de *Nouis Reuelationibus*, etſi à Neotericis quibuſdam approbata. 9.
12. *Smiſings* explicatur. ibid.
13. Adſtruitur diſtinctio *fundamentalium & non fundamentalium* 20.
14. Excluduntur *Nouæ Reuelationes* in materia Fidei. 25.
15. Sententia *Lerinenſis.* ibid

CAPVT IV.

An detur diſtinctio fundamentalium & non fundamentalium, ſeu neceſſariorum & non neceſſariorum in Fide.

1. Probatur dari ex authoritate Doctorum Catholicorum. 22.
2 Ex doctrina *Rabbinorum.* 23.
3. Iterum ex Patribus: 25.
4. Oſtenditur neceſſitas huius diſtinctionis ex ipſo B. Auguſtino. 2.
5. Denique ex ipſa Ratione. 28.

CAPVT V.

Quæ ſint fundamenta.

1. Oſtēditur quæ ſint *fundamenta* primaria & ſecundaria Fidei. 29.
2. Affertur & reprobatur opinio *Lopez* circa *fundamenta* Fidei. 31.
3. Ponitur opinio cuiuſdam *Dialogiſtæ*, de *fundamentalibus.* 33.

4. RESO-

Digitized by Google

4. RESOLVTIO QVÆSTIONIS. 34
6. Declaratur quæ ſit neceſſitas ad definiendum aliquid. 35.

CAPVT VI.

An Philoſophica quà talia poſſint definiri: vbi multa abſtruſiora in philoſophicis exponuntur.

1. RESOLVTIO QVÆSTIONIS per varia exempla Philoſophica. 37.
2. Adducitur exemplum in *Euchariſtia*. 42.
3. Ratio non valet contra Fidem. 44.
4. *Curioſa* non ſunt definienda. 45.

CAPVT VII.

An ſolæ Scripturæ *ſufficiant pro* fundamentis *Fidei?*

1. Adducuntur multi Doctores pro *Sufficientia Scripturæ*, & Catholicè explicantur. 46.
2. Oſtenditur neceſſitas *Traditionum*, & probatur ex *Rabbinis & Patribus*.
3. Concilia principalia, non ſolùm *Scripturis*, ſed & *Traditionibus*, in ſuis definitionibus vtuntur. 52
4. Patres in ſuis diſputationibus contra Hæreticos, ſolùm vſi ſunt aliquando Sacris *Scripturis*: & quare? 55.
5. Iterum adducuntur Doctores pro *Sufficientia Scripturæ*, & explicantur. 55.
6. Clarè reſpondetur Argumento ex Sacra *Script* *prohibente ſub pœna Anathematis*, omnem additionem. 57.
7. De quibuſdam *Additionibus in Symbolo*. ibid.
8. RESOLVTIO QVÆSTIONIS. 60.
9. Declaraur *Neceſſitas Traditionum* 61.
10. Vindicatur & exponitur *S. Thom.* circa *Sufficientiam Scripturæ & Traditionis*. 64.
11. Adſtruitur hæc doctrina ex Concilio Trident. 65.

CAPVT VIII.

An omnes Traditiones *ſint de Fide?*

1. Agitur de *Traditionibus* non authéticatis per Concilia, an ſcilicet ſint de Fide? 67.
2. Citatur *Cyprianus* tanquam negans *Traditiones*, ſed clarè vindicatur à tali errore. 69.
3. Oſtenditur Sacram *Scripturam* iuxta ſenſum Patrum, præferendam eſſe *Traditionibus*. 71.
4. Ponuntur Regvlae Fidei, nimirum *S. Scriptura & Traditiones*, & efficaciter declarantur ex Patribus, & in hoc ſtat Resolvtio Qvaestionis. Item examinatur difficultas de altercartione inter *Cyprianum & Stephanum Papam*: vbi vindicatur *Cyprianus* ab errore, & oſtenditur *Traditiones* non obligare, niſi ab Eccleſia vniuerſali fuerint receptæ. 73.

Digitized by Google

INDEX.

CAPVT IX.

An ſolæ TRADITIONES *Sufficiant pro fundamentis Fidei.*

1. Adducitur opinio fundata in Patribus & Concilijs, circa ſufficientiam *Traditionum* in materijs Fidei. 78.
2. *Fusè oſtenditur, quam* authoritatem habeant *Traditiones*, & quantùm valeat vniuerſalis Eccleſiæ Conſenſus & authoritas: ac ſic QVAESTIO RESOLVITVR. 79.
3. Oſtenditur multa eſſe TRADITA, tùm in lege veteri, tùm in noua, quæ fidem faciant, & quomodo fiant *Authentica* per receptionem Eccleſiæ, ſeu Conſenſum Patrum. 84.
4. *Traditiones* ſunt efficaciſſimum *Remedium* contra Hæreſes. 85.
5. *Quænam* Traditiones faciant Fidē? ibid.

CAPVT X.

An Eccleſiæ præſentis teſtimonium ſit æquè infallibile ac Apoſtolorum.

1. Tutò creditur *Eccleſiæ*, tanquam certæ regulæ Fidei: nec hìc timendus *Circulus*. 87.
2. Eccleſia *præſens*, æquè infallibilis ac *Primitiua*. 89.
3. Probatur teſtimonium Eccleſiæ eſſe infallibile. 90.
4. RESOLVTIO QVAESTIONIS, & paritas *infallibilitatis* in Eccleſia præſenti & primitiua. ibid.
5. Diſcrimen inter teſtimonium Eccleſiæ præſentis & Apoſtolorum. 92.

CAPVT XI.

DE SCRIPTVRIS.

Quam authoritatem hodie habeant in ordine ad Fidem.

1. Status Quæſtionis. 93.
2. Refertur opinio ſuſtinens Scripturas eſſe inferioris authoritatis, quam Traditiones. ibid.
3. Declaratur dicta opinio aſſerens, Scripturas non habere authoritatem niſi ab Eccleſia. 94.
4. Ponitur opinio cuiuſdam P. IESVITAE. 95.
5. Refutantur prædictæ opiniones. ibid.
6. Agitur de authoritate quorumdam librorum S. Scripturæ. 97.
7. Citatur opinio aſſerens, *Fidei reſolutionem* eſſe in *Traditiones*. 98.
8. Oſtenditur Scripturas non eſſe adulteratas. 99.
9. Vindicatur *nouum Teſtamentum*. 100.
10. Vindicatur & vetus. 101
11. Agitur de diuerſis *Tranſlationibus*. 104.
12. Oſtenditur authoritas vtriuſque Teſtamenti. 106.
13. RESOLVTIO QVAESTIONIS. 107.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XII.

Quomodo concurrat Deus in Concilijs: Quomodo etiam poſſint definire Patres in Cōcilijs: & an definitiones ſint eiuſdem Authoritatis cum Scripturis, vel Traditionibus diuinis.

1. Modus Conciliorum procedendi in ſuis definitionibus. 110.
2. Munus Conciliorum. 111.
3. Rationes ob quas Concilia ſunt conuocanda. 112.
4. Inutilia & ſuperflua non ſunt *definienda.* Tanguntur obiter ineptiæ *Poſæ*, & examinantur libri *Eraſmi.* Ibid.
5. Quidam *Errores* cauendi ſub pœnâ *Anathematis* à Concilijs indictâ, qui tamen non ſunt *Hereſes.* 114.
6. Eccleſia non iudicat de actibus internis. 115.
7. RESOLVTIO PRIORIS PARTIS QVÆSTIONIS. 116.
8. RESOLVTIO POSTERIORIS. 118.
9. Rationabilius eſt *Authoritati* Eccleſiæ adhærere quam *Rationi.* 120.
10. Inquiritur de Euidentia, certitudine & Neceſſitate requiſita in *Definitionibus* Conciliorum. 121.
11. DISCVRSVS ET CONSEQVENTIÆ non faciunt Fidem. 123.
12. Concilia deducendo *Concluſiones de Fide per Conſequentias* habent *Aſſiſtentiam ſupernaturalem.* 125.
13. Quomodo illuſtrētur *Neophiti.* 127.
14. Oſtenditur *Aſſiſtentia Chriſti* ex infallibilitate Conciliorum in eius *Definitionibus.* 128.
15. Soluitur Obiectio de *Conſequentijs Probabilibus.* 129.

CAPVT XIII.

*An fundamenta definitionum ſint Fidei; & quæ perſpicuitas & identitas requiratur in de*finitionibus *Eccleſiaſticis, cum principijs ex quibus deducuntur?*

1. Fundamentum Fidei eſt æqualis certitudinis. 131.
2. Declaratur intellectum Conciliorum in ordine ad dogma Fidei definiendū eſſe certum, & ipſa procedere à *fundamētis vt certò notis.* ibid.
3. Eccleſiæ Specialiter aſſiſtitur à Spiritu S. ad *argumentandum*, ſeu inferendum Concluſionem de Fide, ex præmiſſis, 134.
4. Scripturæ & Traditiones ſunt tanquam *Principia per ſe nota*, ibid.
5. Quomodo & quando Concluſio ſit de Fide: & quomodo vt ſic declaranda? 135.
6. Quomodo Deus concurrat cum Concilijs? 137.
7. Quomodo Concilia ſint *Infallibilia*: & quomodo fallibilia? 138.
8. Concilia congregantur ad hoc, vt

ſenſu

ſenſus Eccleſiæ de rebus agitatis decernatur. 139.
9. Multa proponuntur de Fide,& malè,quæ non ſunt talia, 141.
10. *Definitiones Eccleſiæ* procèdunt ex Sacrâ Scriptura iuxta declarationem Eccleſiæ, 142.
11. *Aliquæ inſtantiæ* de æqualitate Perſonarum in diuinis, & Proceſsione Spiritus S. cum ſuis ſolutionibus, 144.
12. RESOLVTIO QVÆSTIONIS, 145.

CAPVT XIIII.

Definitiones Conciliares An & quæ de Fide?

1. Exponitur Opinio negans, quæ eſt *Molinæ*, 148.
2. Quædam ſupponenda in hac Quæſtione. 150.
3. Reijcitur Opinio negans, 151.
4. Reijcitur Opinio *Becani* mediam Fidem adſtruentis. 153.
5. Declaratur quibus fundamentis vtatur Eccleſia in ſuis definitionibus. 154.
6. Eccleſia nihil de nouo definit, 156.
7. Tridentinum nihil controuerſum inter Scholaſticos & Catholicos definiuit, 157.
8. Eccleſia facit ſuas *definitiones* contra hæreticos, 158.
9. Examinatur vtrum *negare habitus infuſos* ſit Hæreſis: & an de Fide definitum, *Ignem inferni eſſe materialem*, 158.
10. Rejicitur ſententia *Caietani* de *Sufficientia Contritionis*,&c.non verò vt hæretica. Idem dicitur de Opinione *Catherini*, de *externa intentione* Miniſtri in Sacramentis conferendis, 160.
11. Exploditur Opinio de *Solutione Matrimonij ob* adulterium, non tamen hæretica, 162.
12. Eccleſia nihil de nouo decernit, ſed antiqua definit. 164.
13. RESOLVTIO QVÆSTIONIS. 166.

CAPVT XV.

In quo ſenſu Eccleſia vniuerſalis ſit Infallibilis.

1. Agitur de certitudine Scripturarum & Traditionum. 107.
2. Examinatur opinio *Panormitani* de *Infallibilitate Eccleſiæ*. ibid.
3. Eccleſia non defecit tempore *Arij* indefectibilitas Eccleſiæ non ſaluatur in vno *indiuiduo*, ſed in *corpore Eccleſiæ*: cuius *definitiones* ſunt concluſiones neceſſariæ ad ſalutem, neceſſariò elicitæ ex Scripturâ & Patribus. 170
Numeri 4.& 5. omiſsi ſunt vitio Typographi.
6. De *definitionibus Eccleſiæ* circa non neceſſaria ad ſalutem. 70.
7. Quomodo ſtandum ſit *Tribunali Eccleſiæ in neceſſarijs* ad ſalutem, & eſt RESOLVTIO QVAESTIONIS. 174.

CAPVT

INDEX.

CAPVT XVI

An ſine hæreſis macula poßit quis dubitare de determinationibus Conciliorum, in leuioribus & ſuperfluis.

1. Datur clara Resolvtio qvaestionis. 179.
2 Omnis error in ijs quæ ſunt Fidei, non eſt hæreſis. 176.
3 Declaratur per *Exempla* & explicatur, 177
4 Inquiſitio veritatum conciliariter declaratarum à doctis fieri poteſt, non ab inferiori plebe: 178.
5 Non eſt ſtandum rationibus in Religione Chriſtiana, 108.
6 Negat *Prouidentiam*, qui docet fallibilitatem Eccleſiæ, 181.
7. Chriſtianis recipienda Conciliorum decreta cum omni reuerentia, & quomodo ignorantia quandoque excuſet, 182.
8 *Facta Concilij Generalis* non poſſunt emendari à priuato homine, nec à *Concilio inferiori*, ſed ab alio Concilio Generali, 183.
9 Non magis reſiſtendum *definitionibus Conciliorum*, quam decretis Apoſtolorum, ibid.
10. Reijcitur Opinio *Lopez* contra ſcripta aliqua Apoſtolorum. 284.
11. Examinatur opinio aſſerentium, *Verbum Eccleſiæ* non eſſe propriè *Verbum Dei*, ibid.

CAPVT XVII.

De libertate credendi.

1. Obiectiones quaſi contra libertatem credendi. 186.
2. Reſpondetur obiectionibus, vindicatur Eccleſia & oſtenditur *libertas credendi*, ibid.
3. Reſoluitur eandem eſſe rationem, quod *Infallibilitatem Conciliorum*, *ac ipſius Eccleſiæ*, 188.

CAPVT XVIII.

An omnia quomodocumque determinanda in Concilijs ſint de Fide.

1. Concilia non ſimpliciter definiunt neceſſaria, 189.
2. Diſcrimen inter *Decreta* Apoſtolorum & Conciliorum, ibid.
3 Senſus *Authoris* de poſsibilitate errandi in Concilijs circa *non neceſſaria*, cum excluſione actus errandi, 190.
4 Non licet alicui particulari perſonæ, reſiſtere decretis Conciliorum, etiam in *non Neceſſarijs*, 191.
5. Proponitur modus procedendi in Concilijs circa ſuas definitiones, 193.

CAPVT XIX.

An & quomodo Concilia poſſint declarare Obſcura?

1. Reſoluitur Eccleſiam vel Concilia declarare *Obſcura* ex Sacris Scripturis,

turis, maximè quando agitur de *Controuerſijs Fidei*, 194.
2 Declaratur Quid agendum ſit, cum in Scripturis non habetur quod controuertitur, 195
3. Nemo debet temerè iudicare de verbis Conciliorum vel Sacræ Scripturæ, 197.
4. Pro exemplo adducitur perplexa Quæſtio de Antichriſto. 198.
5. Reſoluitur, *indeterminata* & obſcurè poſita ab Apoſtolis, verbo vel ſcripto, formaliter vel virtualiter non explicata, non poſſe à Concilijs declarari, ibid.
6. Eccleſia poteſt declarare *Obſcura* ex *Traditionibus*: ſimul oſtenditur, Quæ ſit vera *Traditio*. 199.
7. Quomodo *Traditiones* conſeruentur in Eccleſia, 200.

CAPVT XX.

An in vllo caſu liceat reſiſtere Conciliorum declarationibus; & an vlli Doctores Catholici dixerint Cōcilia poſſe errare.

1. In nullo caſu licet reſiſtere declarationibus Conciliorum legitimè conuocatorum. 201.
2. Oſtenditur ex *Scoto* non licere cuicumque pertinaciter adhærere ſuis conceptibus. 202.
3. Propoſitio quâ aſſeritur *Concilia Vniuerſalia eſſe ſimpliciter fallibilia*, fuit in Anglia, iudicata hæretica. 203.
4. Vindicatur *Waldenſis* & alij à falſa opinione illis attributa. ibid.
5. Oſtenditur Hæreticum eſſe, qui docet *Concilia vniuerſalia eſſe fallibilia.* 204.
6. Nihil perieuloſius quam negare infallibilitatem Eccleſiæ. ibid.
7. Proponitur vera mens *Waldenſis*. 205.
8. Vindicatur *Nicolaus de Clemangis* ibid.
9.10.&11. *Cameracenſis, Mirandula*, & alij explicantur. 206.
12. Error poteſt contingere in Concilijs ex parte Epiſcoporum. 207.
13. Modus congregandi in *Nomine Chriſti*. 208.
14. Ipſimet *Aduerſarij* fatentur, *eſſe in Concilijs authoritatem terminandi cōtrouerſias:* & probatur ex *Auguſtino* & alijs. 209.
15 In omni ſententia obtemperandum eſt concilijs. 210.
16. Soluitur obiectio ex Auguſtino. ibid.
17. Eccleſia in concilijs quoad *decreta Fidei* non poteſt errare. 211.
18: Soluitur obiectio contraria. 212,
19. Clariùs probatur doctrina præcedens. ibid.
20. Reſpondetur argumento de vltimis temporibus, 214.

CAPVT XXI.

An Eccleſia vniuerſalis ſit infallibilis in Fide, examinatur ex Scripturis & Patribus, & illuſtratur ex principijs Philoſophicis.

1. Ex

Ex *Aduerſarijs* pauci tenuerunt Eccleſiam poſſe errare, 215.
2 Modus agendi contra *Soſicianos*. ib.
3 Exploditur ſententia illa Hæretica de fallibilitate Eccleſiæ. 216.
4 Exponitur & refutatur inſolentia Nouatorum 218
5 Infallibilitas Eccleſiæ probatur ex *Scripturis*, 219
6.7.8.9.10.& 11. Probatur ex *Patribus*, *Auguſtino, Cyrillo, Lactantio, Origene, Cypriano* & alijs à 219. ad 227.
12 Probatur ex *Concilijs*, 227
13 & 14 Probatur *Rationibus*. 228
15 & 16. Soluuntur obiectiones, ibid. &c. 229
17 Eccleſia debet habere *communionem orbis terrarum*. 230.
18 Efficaciſſimum *Dilemma Auguſtini*. 231
19 & 20 Pars ſeparata à Communione vniuerſali non eſt Chriſti Eccleſia, 232
21 Vindicta diuina contra *Perſequentes Eccleſiam*, 234
22 & 23 Solutio quarumdam obiectionum, ibid.
24 & 25 Illuſtratur RESOLVTIO QVÆSTIONIS quibuſdam comparationibus à 235 ad 238.
26 Coronis de *Schiſmaticis* & ſegregatis ab Eccleſia, 238.
27 Oſtenditur fuiſſe *illicitum Schiſma ab Eccleſia Rom.* ibid.
28 De Schiſmate Anglicano, 24.
29. Contra diuiſionem & diuerſitatem Hæreticorum, 241.
30 Ponitur ADÆQVATA REGVLA Fidei 242.

CAPVT XXII.

An Definitio Concilij ſit Fides Eccleſiæ?

1 Definitiones Conciliares cenſendæ ſűt determinationes Eccleſiæ, 244.
2 Declaratur ex Patribus *Identitas* Conciliorum Generalium & ipſius Eccleſiæ, quoad *definitiones*, ibid.
3. Idem probatur ex *Abulenſi* per *Rationes*, 245.
4 Concilium Generale eſt Eccleſia repræſentata, 246.
5 Definitiones Conciliorum cenſentur definitiones Eccleſiæ, 247.
6 Determinationes Conciliorum ſunt infallibiles, ibid.
7 Requiritur *receptio* & *Conſenſus* totius Eccleſiæ, & qualis, 248.
8 Infallibilitas Conciliorum concluditur ex infallibilitate Eccleſiæ, 249.
9 Conciliariter deciſa non poſſunt denuò examinari, ibid.
10 Non ſunt conuocanda Concilia ad *libitum Sectariorum*, ſed ſolùm propter nouas Hæreſes exurgentes, 250.
11 Eccleſiæ Receptio neceſſaria *per modum ſigni* ad definitiones eius, 251.
12 Non temerè aliquid recipiendum tanquam de Fide, ſine *conſtanti Eccleſiæ Iudicio*, 252.

CAPVT XXIII.

Qualis Repræſentatio & receptio vniuerſæ Eccleſiæ requiratur?

1. De Receptione Eccleſiæ per modum ſigni, & de eius neceſſitate. 253.

*** 2. & 3.

Digitized by Google

2. & 3. Probatur ex *Auguſtino*, & oſtenditur eſſe ſententia Primitiuæ Eccleſiæ, ex *Cellotio* Ieſuita. 254.
4. De Interpretatiua Receptione Eccleſiæ. 257.
5. Probatur hæc *Receptio* ex *Miran-dula Roffenſ. Lyrinenſ.* & *Gerſon*. 258.
6. Probatur Ratione neceſſitas huius Receptionis. 259.
7. Concilium repræſentat Eccleſiã, & quomodo habeat authoritatem ab illa. 261.
8. Abſentia quorumdam Prælatorum à Concilijs, poteſt ſuppleri per hanc *Receptionem* & conſenſum interpretatiuum ipſorum. 262.
9. In Angliâ ſolebant mittere *viros Inſtructos* ad concilia. 263.

CAPVT XXIV.

An & Quomodo admittendi Hæretici ad Concilia: & an Epiſcopus Catholicus citatus ſe abſentare poßit.

1. Resolvtio prioris quæſtionis. 264.
2. Soli Catholici conuocandi ad concilia. ibid.
3. Resolvtio ſecundæ Quæſtionis. 265.
4. *Lutherus* & alij hæretici prætendunt cauſas abſentiæ à concilijs, ſed malè. ibid.
5. Quæ manſuetudo adhibenda erga Sectarios. 266.
6. Nominatim excõmunicati & obſtinati non ſunt audiendi. 269.
7. Quomodo agendum cum Hæreticis obſtinatis *ex iure Ciuili*. 273.

CAPVT XXV.

De Concionibus Hæreticorum Conciliariter condemnatorum.

1 Opinio aſſerentium: *Licere Catholicis audire Conciones hæreticorum*, 275.
2 & 3 Reijcitur hæc opinio: & probatur eſſe *intrinſecè malum*, 276.
4 Oſtenditur *eſſe illicitum*, etiam poſitis conditionibus quas aliqui prætendunt, 277.
5. Probatur ex *Patribus* à 278. ad 283.
6. Senſus Concluſionis ſeu aſſertionis, 283.
7 Probatur ex *Script. Sacris* eſſe illicitum, ibid.
8 Oſtenditur eſſe prohibitum per *Iura Eccleſiaſtica*, 284.
9 & 10 Reſpondetur argumentis, &c. à 285. ad 287.
11. Accedentes ad conciones hæreticorum ſunt excommunicati, 287.
12 Oſtẽditur eſſe contra *Ius Ciuile*, 288.
13. De *Lectione librorum* Hæreticorum ibid.
14. De Participatione *Synaxeos* cum hæreticis, 290.
15. Probatur exinde nullam fore diſtinctionem *Veræ* à falſa religione, 291.
16 Resolvtio qvaestionis, & pulchra Paraenesis circa hanc materiam, 293.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XXVI.

Quo ſenſu dicatur ab aliquibus: Concilia non eſſe infallibilia?

1 Explicantur & vindicátur Authores apparenter aſſerentes *Errabilitatem* Conciliorum, 294.
2. Probatur Infallibilitas Conciliorum. 296.
3 Declaratur Quo ſenſu aſſerta *Receptio* Eccleſiæ ſit neceſſaria, pro Infallibilitate Conciliorum, 297.

CAPVT XXVII.

Quot Eccleſiarum Congregatio requiratur ad Concilium vniuerſale.

1 Ad Concilium Generale omnes Regiones conuenire debent, 299.
2 Aſſenſus Prouinciarum eſt neceſſarius, 300.
3 Examinatur Cauillatio de abſentia Græcorum ab aliquibus Concilijs, 301.
4 Sufficiunt *Præſentes*, ſi alij fuerint vocati, 302.
5 & 6 Quid ſit *Concilium Oecumenicum*: & agitur de Concilio *Florentino*, 303.
7 Reijcitur Gloſſa de Concilijs à Papa congregatis, 306.
8 Corollarium Notabile, ibid.

CAPVT XXVIII.

An & quomodo Papa *ſit Infallibilis?*

1 Concilia non ſunt neceſſaria pro rebus iam ab Eccleſia examinatis ac receptis, ſed talia poteſt *Papa* declarare. 307.
2 Pro rebus dubijs ſunt neceſſaria, 308.
3. *Papæ* diſtulerunt & retulerunt *res graniores* ad Concilia, ibid.
4 Ad Pontificem ſpectat determinare quæſtiones exortas, 309.
5. In dubijs poteſt declarare res Fidei, 311.
6 Quid ſit loqui Ex CATHEDRA, ibid.
7 Aliqui nimis tribuunt Papæ infallibilitati, 313.
8. Papa poteſt prohiberere doctrinam aliquam, etiam ſub cenſuris, ibid.

CAPVT XXIX.

DVO EXAMINANTVR.

1. *An Sacerdotes ſine vllo prorſus Epiſcopo poſſint celebrare Synodum legitimam in ordine ad prætactos effectus.*

2. *Obiter tangitur, Quæ munia exercere debent & poſſunt Laici in Concilijs.*

1 *Sacerdotes* aliquando admiſſi ad Concilia, 314.
2. RESOLVTIO QVAESTIONIS, 315.
3 *Laici* non debent admitti ad Concilia, 316.
4 *Non prælati* poſſunt admitti ex iuſtis cauſis, 318.

CAPVT XXX.

Quas partes habeant Laici, *præſertim* Principes *in Concilijs.*

1 *Laici* debent *audire & parêre*, non docere

Digitized by Google

docere vel imperare, 319.
2 *Laici* poſſunt admitti ad *Quæſtionis inquiſitionem*: non verò ad *Conquiſitionem* vel *definitionem*, ibid.
3 Quid Imperatores habeant in Concilijs? 320.
4 5 & 6 Quomodo poſſint ſubſcribere, conſultare, & conuocare, à 321. ad 324.
7. 8 & 9 declaratur ex *Panormitano, Damaſceno* & ipsâ ratione contra *Farellum & Caluiniſtas*, à 324. ad 327.
10. Exploditur *Paritas* Epiſcoporum ac Sacerdotum, 327.

CAPVT XXXI.

De diuerſis Conciliorum Nomenclaturis.

1. 2. & 3. Oſtenditur quid Synodus *Maior*, *Perfecta*, *Localis*, *Nationalis* ſeu *Regionalis*, 328.
4 Concilia quæ non ſunt *Oecumenica*, non poſſunt definire res Fidei, 329.
5 Concilium non generale poteſt aliquando cum authoritate Pontificia rem Fidei declarare, 329.
6. *Per ſe* hoc pertinet ad Concilia generalia, 331.

CAPVT XXXII.

Authoritas Sanctorum an, & quomodo Sequenda, & incidenter de Indulgentijs.

1. Reprobatur *Medina* aſſerens Eccleſiam toleraſſe Patres in aliquo errore, 332.
2. Oſtenditur *Superioritas Epiſcoporum*, 334.
3. Vnanimis Patrum conſenſus non facit rem de Fide (ex ſententia aliquorum) niſi contraria opinio fuerit condemnata. 335.
4. Opinio Authoris, 335.
5. Soluitur Obiectio, & declaratur in determinatione circa *Indulgentias*, Eccleſiam ſecutam fuiſſe ſententias Patrum, ibid.
6 & 7 Vindicatur *Roffenſis*, & probantur *Indulgentiæ* ex *Cypriano*, 337.
8. De *Indulgentijs* concedendis ab Epiſcopis, 340.
9 *Tridentini* moderatio circa *Indulgentias*, ibid.
10. Vindicatur *Tridentinum* in hac cauſa, 341.
11. Indulgentiæ non ſolùm nituntur authoritate Eccleſiæ, 342.
12. Oſtenditur ex *Auguſtino* Eccleſiam ſemper ſtetiſſe Patrum Sententijs, 343.
13. In materijs Fidei ſemper recurrendum ad Sanctos Patres, ibid.

CAPVT XXXIII.

Quid importet EX CATHEDRA RESPONDERE? *& an & quomodo quæ ſunt in* Iure Canonico *ſint de Fide.*

1 Reſolutio Doctoralis Summorum Pontif. poteſt examinari per Concilia, 345.
2. Pontifices in talibus poſſunt errare. ibid.
3. Quid ſit ex *Cathedra reſpondere*? 346.

4. 5. & 6

Digitized by Google

4 5 & 6 Declaratur ex decreto *Eugenij*, & Principijs *Græcorũ*, & videtur fuiſſe ſententia *Auguſtini*, ibid.

7 Probatur ex *facto Cypriani* excuſari aliquando ab hæreſi vſque ad Concilij vniuerſalis definitionem, 349.

8 & 9 Probatur ex *Baſilio* alijs: & oſtenditur non eſſe in præiudicium *Summi Pontif.* & declaratur ex facto *Innocentij*, 350.

10 Reijcitur Lopez & ponitur SENTENTIA AVTHORIS hac in re, 351.

11. Sanctiones *Summorum Pontif.* cum magna veneratione ſunt recipendæ, 352.

12 Declaratur Quomodo ea quæ ſunt in *Iure Canonico* ſint de Fide, 353.

13 Oſtenditur nihil nouum definiendum eſſe, 354.

CAPVT XXXIV.

Certa non probabilia definienda vt de Fide: vbi obiter tractatur, an eadem ſit ratio de Patrum & Conciliorum decretis.

1 Declaratur in quibus ſequenda ſit ſententia vniuerſalis Patrum, 355.

2 Eadem eſt ratio de *Conciliorum determinationibus*, ac SS. Patrum antiquo & concordi Conſenſu, ibid.

3 Reijcitur ſententia Aſſerentium nihil eſſe definibile, quod non fuerit manifeſtè & formaliter in Scriptis vel traditis Apoſtolorum, &c. 356.

4 In Articulis Fidei definiendis Duo requiruntur ſecundum Baſilium, 357.

5 *Probabilia* vt ſic iudicata à Patribus non ſunt definienda. ibid.

6 Oſtenditur quomodo *probabiliter vera* poſſint definiri, ibid.

7 Exponitur Quomodo *Tradita*, audita ab *aliqua parte Eccleſiæ*, poſſint definiri, ibid.

8 Ponitur modus procedendi in definitionibus circa illa quæ ſunt *dubia*. Pulchrè deſcribitur REGVLA diſcernendi, Quæ ſit vera ſententia Patrum, 358.

CAPVT XXXV.

An Eccleſia poßit tolerare, & poſtea condemnare: doctrinam toleratam: *vbi multa vetera & valde particularia declarantur.*

1 Eccleſia non poteſt tolerare errorem, 360.

2 Debet eſſe vrgens neceſſitas in definitionibus Fidei, 361.

3 Citantur Authores negantes *Probabilia* poſſe definiri, ibid.

4 Ponitur SENTENTIA AVTHORIS, & declaratur quomodo *Probabilia* poſſint definiri, 362.

5. 6 & 7 Probatur ex *Tuamenſi*, ex facto Græcorum & Latinorum in *Florentino*: item Ratione, 363.

8. 9. 10 & 11 Soluũtur OBIECTIONES de errore *Chiliaſtarum*, de errore circa *manſionem* Sanctorum ante Reſurrectionem generalem, &c. de errore Cypriani: de errore circa *Originem animæ*, 365.

Digitized by Google

12 Exponitur quomodo Eccleſia cenſeatur tolerare ſententias Patrũ, 369.
13 Eccleſia nihil declarat, niſi excitata per Schiſmata, 370.
14 Nõ eſt feſtinandũ, nec temerè procedendũ in definitionibus Fidei, 371.
15 16 17 & 18 Manſuetè agendum circa aliquos errores, & exemplificatur in condemnatione *Arianorum*, *Origeniſtarũ*, *Pelagianorũ*, &c. ibid. & ſeqq.
19 Resolvtio Avthoris circa *dilationem* definitionum Eccleſiæ, 375.
20 Diſcrimẽ inter declarare & permittere ſententiã probabilem, ib.
21 Declaratur exemplo *Tridentini* circa Conceptionem B. Virginis, ibid.
22 *Baſileenſe* non definit niſi vt rẽ piã & conſonã Fidei: & Ponitur ratio dilationis huius definitionis ex Tridentino, 376.

CAPVT XXXVI.

De numero ſuffragantiũ in Cõcilijs, vbi multa particularia examinantur, ad pleniorem Conciliorum rationem neceſſaria.

1 Decreta *Conciliorum* non fiunt ex ſententia maioris partis Suffragantium, 379.
2 & 3 Rabbini ſic olim procedebant: ſed Eccleſia non definit, vbi pars notabilis contradicit, ibid.
4 & 5 Iuxta *Aug.* res Fidei debent eſſe per communem Conſenſum: & probatur ex *Nicolao* Primo, 380.
6. & 7. Nihil definiendum ſi magna pars obſtiterit, & reſpondetur obiectioni de facto *Concilij Chalcedonenſis*, 381.
8 & 9 Quid magna ſeu notabilis pars? Et hoc intelligendum de Patribus Orthodoxis, 383.
10 11 12 & 13 Soluitur obiectio de cauſa Cypriani: Reſpondetur *Firmiliano*, & excuſatur *Baſiius*, 384 & ſeq.
14 Multi errores pullularunt tempore Apoſtolorum, 386.
15 Concordantia Conciliorum in decretis, 387.
16 Agitur de numero Prælatorum Italorum in *Baſileenſi* & *Tridentino*, ibid.
17 Multiplicatio Epiſcoporum in eadem regione nihil facit, 387.
18 Ponitur modus procedendi in Cõcilio *Conſtantienſi* vbi de Loco Legati Angliae in Concilijs generalibus, 388
19 Singulæ Nationes debent mittere ſufficientẽ Numerum Prælatorũ, ib.
20. & 21. Soluitur obiectio contra Tridentinum, vindicatio & laus eiuſdem. 390.
23 24. Conſultatio in ſingulis Prouincijs ante Concilia: quòd oſtenditur ex *Auguſtino*. 392.
25. Pauci ex qualibet Prouincia, ſed bene inſtructi ſufficiunt. 392.
26. *Defectus inſtructionis* impedit quãdoque determinationem in aliquibus dogmatibus. 393.
27. Quid agendum quando *Patres Congregati* diſſentiunt 394.
28. *Patres Congregati* debent habere liberam loquendi facultatem. ibid.
29. 30. 31. Modus *colligendi ſuffragia*, & ponitur

ponitur exemplum *Concilij Niceni* & *Chalcedonenſis* 395.
32. 33. & 34. Soluũtur obiectiones. 397.
35. Oſtenditur eſſe maximè conſultum poſt Concilia generalia conuocare *Synodos Regionales*. ibid.
36. Sic ordinatum fuit in *Lateranen. Conſtantien.* & *Triden.* 399.
37. Non eſt Conciliorum Prouincialium dogmata Fidei ſtatuere, ſed iam decreta ſeu ſtatuta acceptare, declarare ac promulgare. ibid.
38 & 39 Concilia Prouincilia debent fieri bis in anno, & in morum reformatione ſufficit maior pars ſuffragantium. 400.
40 De determinatione *Tridentini* circa MATRIMONIVM CLANDESTINVM, ibid. 401
41 Inſurgit Author in Contradictores Conciliorum, ibid.
42 Quam parcè & cautè proceſſerit *Tridentinũ* in MVTANDIS LEGIBVS, ib.
43 De quibuſdam loquendi formulis in Tridentino, ibid.
44 Hiſtoria de Actis *Seleuciæ*, digna ab Orthodoxis expendi, 402

CAPVT XXXVII.

De Scripturis Canonicis, hoc eſt, de Catalogo: An ab Eccleſia veteri recipiebatur, & An omnes hodie obliget?

1. Ad authẽticationem alicuius libri, non ſufficit legi publicè in Eccleſia vel compingi cum Canonicis. 403.
2. Aſſignatur pro Regula cognoſcendi tales libros, RECEPTIO VNIVERSALIS Eccleſiæ à Concilijs Vniuerſalibus determinata. 404
3 Ignorantia Eccleſiæ particularis nõ impedit Acceptationẽ vniuerſalẽ, ib.
4 *Præſens* Eccleſia conſentit cũ *Antiqua* quoad libros Script. S. 405
Nulla Synodus vnquam contradixit libris iam Canonicis: bene tamen Iudicium ſuum ſuſpendit, 406
6, 7 & 8 Ponuntur exẽpla de Epiſtolis S. Iacobi & ad *Hebræos*, *Apocalip.* Suſãna, Daniele, Tobia, &c. 406 & ſeqq.
9 & 10 Explicatur *Naziãzenus*, & agitur de libris *Eccleſiaſt.* & *Baruch*, 408
11 & 12 Eccleſia cõpulſa in *Tridẽtino* declarare *Catalogum Script.* S. Ratio cur Aduerſarij reijciãt aliquos libros, 409
13 Agitur de Libro *Sapientiæ*, 410

CAPVT XXXVIII.

An & ex quo capite TRANSSVBSTANTIATIO, *ſit de fide.*

1. Oſtenditur Sacramentum Altaris eſſe maximè myſterioſum, & vindicatur *Ferus*. 411.
2. Declaratur de rebus Fidei non nimis curioſè eſſe inquirẽdum, ibid.
3. Exponitur quomodo *ſubſtantiã Panis deſinere eſſe*, ſit omnium Sãctorũ opinio, Et probatur ex *Traditione*. 412.
4. Probatur *Tranſubſtantiatio* ex Patribus. ibid.
5. Explicatur *Tertullianus* aſſerens *panem eſſe Figuram Corporis*. 414.
6. Declarantur verba eius de *Allegoria in verbis Chriſti*. ibid.
7 Exponitur quomodo alij Patres dixerũt, *panem eſſe Figuram Corporis*. 415

Digitized by Google

8. Adhuc ex Patribus probatur *Trāſubſtantiatio*, & eorum verba explicantur. ibid.
9. Probatur ex conſenſu vtriuſque Eccleſiæ. 417.
10. Agitur de verbis Conſecrationis, *Ex Cypriano*, & ſunt ea quibus iam vtitur Eccleſia. ibid.
11. Oſtenditur Græcos adhuc docere *Tranſubſtantiationem*: de alijs Eccleſijs vt potè ſeparatis non eſſe curandum. ibid.
12. Agitur de *Tranſubſtantiatione*, quā carpūt Hæretici: ſed approbauit Eccleſia & quare, 418.
13. Vindicatur *Bertramus*, apparenter eam negans, ibid.
14 Tranſubſtantiatio probatur per Lanfrancum ex *Concilio Epheſino*. & ex *Concilio Romano* contra *Berengarium*, ibid.
15 Declaratur factum Leonis contra Manichæos, 419.
16 Oſtenditur *conuerſionem* aliquando ſumi in alio ſenſu, & quomodo, ibid.
17. Probatur multæ Cæremoniæ circa hoc Sacramentum ex *Athanaſio* & *Auguſtino*, 420.
18 Oſtenditur omnes Patres docuiſſe *Corpus & Sanguinem realiter adeſſe*, 421
19 Probatur ex *Marco Valentiniano*, *Ireneo*, ibid.
20 Ex *Iuſtino*, *Baſilio*, *Hieronymo & Chryſologo*, 422.
21 *S. Ignatius* docuit aliquos Hæreticos ſuo tempore hoc negaſſe, ibid.
22 Patres docuerunt *Chriſtum ſub ſpeciebus latitantem, eſſe adorandum*.
23 Non eſt definitum adhuc: an *conuerſio iſta ſit ſubſtantialis. Hic eſt error in numero paginarū, vitio Typographi*.
24 Oſtenditur non eſſe hærendum de nomine Tranſubſtantiationis, modo conueniatur de re.
25 Oſtenditur Eccleſiam poſſe antiquam veritatem nouis vocibus explicare ad euitandas Hæreticorum æquiuocationes.
26 Declaratur Eccleſiam poſſe errare in Appendicibus Fidei, vnde reijcitur dictum Parſonij.
7 Oſtenditur eſſe certam determinationem Eccleſiæ de modo Conuerſionis, ſcilicet de *Tranſubſtantiatione*.
28. Oſtenditur Iudaicum eſſe quærere QVOMODO. Et captiuandum eſſe intellectum.
29 Oſtenditur in hunc articulum, totam concurriſſe Eccleſiam.
30. Probatur adhuc ex Patribus, per nomina quibus vtebantur in hoc myſterio.
31. Probatur modus celebrādi & offerendi oblationem ſuper Altare.
32. Probatur ex veteri conſuetudine in noſtra Britannia.
33. Denique probatur ex *oblatione ſacrificij pro viuis & defunctis*.

CAPVT XXXVIIII.

An vnquam licuerit Diaconis, vel Laicis, Corpus Chriſti conficere.

& 2. Ponitur error Tertulliani circa æqua-

æqualitatem Laicorum cum Sacerdotibus, & oſtenditur eſſe contra communem ſenſum Eccleſiæ. 424.
3. Laici aliquando reſeruarunt Hoſtias, & ipſimet ſumpſerunt per ſe, ſed non præſente Sacerdote. 425.
4.& 5. Senſus *Tertulliani* oſtenditur: & quòd Laici ad *Chorum vel Summum Altare non fuerint admiſſi. ibid.
6. & 7 Excuſatur aliter *Tertullianus*, reeijcitur eius liber & agitur de errore *Montaniſtarum*, 426
8 & 9 Diaconi non debent celebrare & quid per verbum OFFERRE intelligatur in Sacris Canonibus, 427.
10 De Antiquo modo panes offerendi Super Altare, 428.

CAPVT XL.

De Communione paruulorum, An fuerit de Fide?

1. Aſtruitur ab aliquibus Communionem eſſe paruulis neceſſariam ad ſalutem, 430.
2. Dicitur fuiſſe praxim vniuerſalis Eccleſiæ per ſexcentos annos, ſed falsò, ibid.
3. Praxis hæc debet reduci ad agibilia & non fuit in multis mundi partibus, ibid.
4 Quid Innocentius egit in hoc negotio, 431
5 Talis fuit ſententia *Auguſtini* & multorum aliorum, ibid.
6 Contraria ſententia probatur ex Concilijs & Patribus: vbi oſtenditur baptiſmum eſſe ſufficientem ad ſalutem, 432
7. *Confirmatio* debet præcedere *Communionem*, 433
8 Probatur ſufficientia Baptiſmi aſſertiuè ex *Patribus*, 434
9 Non eſt par neceſſitas Communionis ac Baptiſmi, 435
10 Explicatur ſenſus Auguſtini hac in re, 436
11 Aliter explicatur, ibid.
12 Oſtenditur Auguſtinum non ſibi contradixiſſe, 437
13 Priuata ſententia Auguſtini non debet nos mouere, ibid.
14 MENS AVTHORIS circa ſententiam S. Auguſtini, ibid.

CAPVT XLI.

De Communione ſub vtraque ſpecie, an ſit neceſſaria ad ſalutem?

1 Praxis Communionis paruulorum oſtendit Communionem ſub vna ſpecie, 436
2. 3. 4. & 5. Cõmunionem ſub vtraque ſpecie nunquam fuiſſe præceptam, probatur ex praxi primæue Eccleſiæ, ex Baſilio, Cypriano, Tertulliano & Synodis Conſtantien. & Baſileen. 439
6. 7. & 8. Ponitur probatio Authoris, ſoluitur difficultas ex inſtitutione Chriſti, & ponitur determinatio Tridentini, 439

**** CAPVT

CAPVT XLII.

De Sacramento Confeſsionis. Quæritur an ſit de Fide, & ex quo capite, &c?

1 Oſtenditur Confeſſionem fuiſſe non ſolum ex Scripturis ordinatam, ſed in ipſis primordijs Eccleſiæ haberi per traditionem, 439
2 Ponitur ex *Athanaſio* diſcrimen inter Baptiſmum & Pœnitentiam, ib.
3 Adhuc oſtenditur ex Patribus, 442
4. Confeſſio non tam frequenter vſitata fuit, ſicuti iam. Quomodo Euchariſtia dat primam gratiam?
5. Agitur de publica Confeſſione & oſtenditur fuiſſe in vſu & eſſe Sacramentum, 444.
6. Reſpondetur obiectioni ex *Chryſoſtomo*, 445.
7. Declaratur factum *Nectarij* non vrgere, & probatur Confeſsio ex *Ambroſio & Chryſologo*, 446.
8. Varia Hæreticorum placita. 447.
9. Reijcitur *Rhenanus*, ibid.
10. Reprobatur dicterium *Eraſmi & Rhenani*, ibid.
11. Confeſsio ſemper viguit in Eccleſia, an ſecretò vel publicè, relictum fuit iudicio Sacerdotis pro ratione Criminis, 448.
12. Exomologeſin facere, non ſemper ſecramentale. Quid Diaconus hac in re facere potuerit declaratur, 449.
13. RESOLVTIO AVTHORIS, & probatur adhuc ex *Cypriano*, ibid.
14. Similiter ex *Beda*; vbi agitur tum de Confeſsione tum de ſatisfactione, 450.
15. Ponuntur caſus in quibus neceſſariò debeat eſſe ſecreta, 451.
16. Exponitur neceſsitas Confeſsionis, ibid.
17. Agitur de pœnitentijs antiquis, pro peccatis iniungendis, quas Conc. Trid. vellet renouari, ibid
18. Concilium Trident. docet pœnitentiam habere non tantum rationem medicinæ ſed etiam vindictæ,
19. Abſolutio poteſt dari ſine pœnitentiâ proportionatâ, ibid.
20 Inſurgit author in eos qui flocci faciunt pœnitentias ab Eccleſiâ ordinatas, 453.
21 Probatur authoritatem abſoluendi eſſe in Eccleſia, ibid.
22. Hoc ſatentur Hæretici 454.

CAPVT XLIII.

De Purgatorij aſſertione, An & quomodo ſit de Fide?

1. Dari locum purgationis ſemper fuit dogma Catholicum ex omnibus liturgijs, 455.
2. Probatur ex oratione pro Defunctis à Patribus edocta, ibid.
3. *Auguſtinus* poſuit purgatorium 456.
4. *Auguſtinus* fluctuauit de modo qui adhuc non eſt definitus ab Eccleſia 457
5 Probatur Purgatorium ex alijs Patribus, ibid.

Digitized by Google

6. Vindicantur opera S. Dionyſij Areopagitæ, 458
7 Explicatur locus *Baſilij* circa ignem infernalem, ibid.
8 Probatur Purgatorium ex *Chryſologo* & *Tertulliano* & alijs, ibid.
9 Contraria Hæreſis eſt condemnata, in Aerio, 459
10 Optimè deducitur Purgatorium ex *Auguſtino Angliæ Apoſtolo*, 460
11 Talis fuit ſententia *Rabbinorum*, ibid.
12 Expenditur opinio *Roffenſis*, & oſtenditur Græcos hanc ſententiam tenuiſſe, 461
13 Oſtenditur *Rogerum Baconum* Purgatorium affirmaſſe, ſed de modo vacillaſſe, ib.
14 & 15 Exponitur qualem ſcientiam habemus ex principijs Naturæ de rebus Fidei, ib.
16 Fuſius cum optima admonitione pro tempore mortis explicatur, 463
17 Idem ſuadetur ex ſententia Philoſophorum, 464
18 Oſtenditur Tridentinum Concilium optime determinaſſe iſtam materiam, 466 & ſeqq.

CAPVT XLIIII.

De Invocatione Sanctorvm: *ex quo capite ſit de Fide?*

1 Oſtenditur ex Traditione Concilium Tridentinum definijſſe *Inuocationem Sanctorum*, 468.
2. Probatur ex *Dionyſio*, *Baſilio* & alijs ibid.
3. Ponuntur multa pulchra ex *Oroſio* de hac materia. 469.
4. Ponitur teſtimonium *Iuliani*. 470.
5. Oſtenditur *Inuocationem Sanctorum* non eſſe neceſſariam ad ſalutem, & explicatur dictum Blackloi, ibid.
6. Declaratur *bonum & vtile eſſe inuocare Sanctos*, prout definit Concilium Tridentinum. 471.
7. Commendatur *Sanctio Concilij Tridentini* circa hanc materiam, ibid.
8. Declaratur veram Religionem aliquando verti in ſuperſtitionem, quæ maxime vitari debet. Agitur de *Peregrinatione ad loca Sancta*, ibid.
9. Declaratur & probatur veritas Inuocationis Sanctorum, 473.
10. Probatur ex *Concilio Chalcedonenſi*, 474
11. Probatur ex Athanaſio & alijs, ibid.
12. Oſtenditur eandem fuiſſe ſententiam *Iudæorum ac Chriſtianorum*, 475.
13. Reſpódetur obiectioni quâ aſtruitur nullos fuiſſe tunc in Cœlis, & oſtenditur aliquos fuiſſe in beatifica præſentia, 476.
14. Reſpondetur obiectioni de non auditione ex parte Sanctorum, oſtenditur nil facere, 477.
15. Optimè ſuadetur Sanctos nos audire poſſe, ibid.
16. Suadetur ipſos poſſe ſe diffundere in longè maximas diſtantias, ibid. & ſeqq.

CAPVT XLV.

An dentur Species Platonicæ, id eſt, Species quas vocant vniuerſales congenitæ animabus humanis.

1. Author ponit rationem quare egerit de iſta Quæſtione, 479.
2. oſtenditur multos fuiſſe Authores qui illas ſuſtinuerunt. 480.
3. Agitur de Pueris recenter natis, qui locuti fuerunt, ibid.
4. Agitur de loquentibus Idiomata peregrina, 481
5. Indicantur illa eſſe *portenta*, 482.
6. Colligitur dari tales Species ex Peripateticis. ibid.
7. Item ex *S. Auguſtino* 483.
8. Similiter ex *Auicenna*, 484.
9. Dari tales Species vniuerſales in animabus ſeparatis, *ſuadet Author* ex comparatione ad Angelos. ibid.
10 Suadet ſimiliter de anima coniuncta, 486
11 Reſpódetur obiectioni de intellectu agente, qui non facit ad propoſitum, ibid.
12 Suadetur neceſſariò dari Species vniuerſales, 487.
13 Oſtenditur illas eſſe impeditas in animabus coniunctis, ibid.
14. Examinatur difficultas de Reminiſcentia, 492.
15. Examinatur quomodo res materiales moueant potentiam Spiritualem, 490.

Digitized by Google

SYSTEMA FIDEI.

QVÆTIONES PROŒMIALES.

CAPVT I.

In quo ſenſu intelligendi ſunt Theologi dum inueſtigant, an Concilia vniuerſalia ſint infallibilia.

1. HÆc quæſtio neceſſariò prius examinanda & ſoluenda eſt antequam ad vlteriora procedamus, nam pleraque dependent ab explicatione huius; imò hoc non noſſe, & ſolutionem reliquorum quærere, eſt aërem verberare, vt rerum connexio demonſtrabit. *In hâc verò expoſitione, ſit ne veritati conſentanea futura oratio noſtra, nimirum ipſa veritas plenè intelligit*, vt humiliter Baſilius de Opificio hominum apud Niſſenum *cap.* 22. Ad clariorem procedendi ſtylum, aliqua ſunt ſupponenda: ſed quia rectè monet Philoſophus, Polit. lib. 2. cap. 4. *Suppoſitiones quidem ſunt pro arbitrio faciendæ, non tamen impoſſibiles*, cauebimus ne loco rationabilium, impoſſibilia ſupponamus.

2. Supponendum primò non poſſe probari à priori, ſcilicet à cauſis intrinſecis, Concilia eſſe infallibilia (efficiens hic coincidit cum materiali, finis eſt nimis extrinſecus) ſi ſic: vel à materiâ, vel à formâ, vel potius à compoſito propter materiam & formam, vt homo dicitur riſibilis ex formâ, ſcilicet propter rationabilitatem: dicitur corruptibilis ex materiâ, ſcilicet propter corpus quod ſubijcitur: non à materiâ, ſeu parte materiali Conciliorum, quæ eſt, tot homines inſimul congregati, nam omnes homines totius mundi quocumque modo vel ſenſu ſumantur in ratione hominum, ſunt fallibiles, & in ſuis iudicijs defectibiles: hoc non indiget probatione, vtique ex ipsâ naturâ hominis, cùm non ſit infinita, certò certius demonſtrari poteſt. Nec con-

 curſus

Digitized by Google

curſus ad eundem locum, reddit aliquos magis inobliquabiles à fide quam ante. Quia ſicut locus non ſanctificat hominem, ſic non confirmat in fide ſecundum Cameracenſem *quæſt. de reſumpta*.

3. Nec à formâ ſeu à parte formali, huius infallibilitatis demonſtratiuum peti poteſt argumentũ: ſcilicet ex hoc quod in nomine Chriſti congregantur, quod eſt formale veri Concilij. Suppoſito igitur quod Concilium ſeu homines in Concilio rectè informentur à cæleſti illâ formâ Nominis Chriſti; Dico adhuc ſeu ſuppono ſecundò, quod licet nomen ſeu virtus Chriſti in ſe ſit infallibilis, cùm ſit ipſe Chriſtus, ſeu veritas Dei in Chriſto nobis reuelata; prout tamen illud nomen ſeu virtus Chriſti eſt aliquid Concilij, ſeu pars eius formalis, (detur venia locutioni) ſi fuerit rectum & verè œcumenicum, non tamen concludit Concilium, ſeu illud quaſi compoſitum artificiale eſſe ſemper infallibilis veritatis.

Ratio eſt, quia forma quantumcumque nobilis, etiam verè & intrinſecè componens, nunquam auferre poteſt ignobilitatem materiæ ſeu alterius partis componentis, nam hoc eſſet deſtruere non informare materiam, ex cujus informatione non deſtructione ſeu mutatione exſurgit compoſitum ex vtriſque: manente verò materiâ in ſuâ naturâ, dicetur ſemper, & verè à parte rei erit compoſitum corruptibile, licet forma ſit incorruptibilis, vt patet in homine: patet etiam in Sacramentis, quæ ſunt adinſtar compoſitorum artificialium (vt loquuntur Theologi) nempè ſunt ſigna pro materiali, efficaciter ſignificantia ex inſtitutione diuinâ gratiam diuinâ pro formali, &c. tamen experimur quod poſſunt non efficere gratiam. Cùm igitur homines ſemper erunt homines, quantumcumque eleuati ſeu in nomine Chriſti congregati, ſemper erunt fallibiles, & proinde periti docent Theologi in 2. d. 23. q. 1. *Deum non poſſe facere Hominem ſimpliciter viatorem, impeccabilem*, ob eandem ſcilicet rationem, ideò etiam dicit Scotus 3. d. 12. quæſt. vnicâ, *ipſe Chriſtus non obſtante vnione hypoſtaticâ potuit peccare*, ſi nihil aliud reſpiciatur. Aggregatum igitur illud Conciliare ſemper erit intrinſece fallibile: Infallibilitas verò quam habent Concilia eſt valdè diminuta, nec ſimpliciter attribuenda, ſed ſolùm & in quantum

in quantùm ſequuntur veritatem Chriſti, actu non fallunt; ſemper tamen ſunt fallibilia in ſenſu dicto: Imò quia non per reuelationem immediatam, ſed per diſcurſum humanum ſequuntur Chriſtum præmiſſas dictantem, & cum ipſis conſequentias inferentem, adhuc proximius ſunt obnoxij fallibilitati.

4. Suppono & dico tertiò, Quod etiamſi virtus Chriſti ſeu (quod idem eſt) ipſe Chriſtus, vel Deus ſpecialiter concurrat cum Hominibus conciliariter congregatis in genere cauſæ efficientis, non tamen reddentur infallibiles in ordine ad effectum intentum. Nam tàm effectus producendus, quàm modus producendi præſertim in hoc genere cauſationis determinari debet à debiliori cauſá: vtique causâ naturali ſeu finitâ, quæ non poteſt attingere effectum ſupernaturalem ſeu infinitum, vt patet in concurſu Dei cum omnibus cauſis ſecundis, vbi ſemper ſequitur effectus finitus, & modus producendi eſt ſemper finitus, patet etiam in concluſionibus deductis à præmiſsis, vt ab efficiente, vbi conſequens non poteſt non ſequi debiliorem cauſam. Sic in propoſito, cauſa ſecunda defectibilis (vt ſunt omnes homines ſimul congregati) non poteſt producere ſeu deducere indefectibiliter concluſionem ex præmiſsis, ſeu veritatem infallibiliter eruere ex occultis, &c. quia omnis actio hominis eſt defectibilis, prout ipſe homo eſt intrinſecè deuiabilis à regula veritatis, & hoc licet Deus concurrat: quia non obſtante Dei concurſu in genere cauſæ primæ tàm naturalis, quàm ſupernaturalis, ſemper tamen erit actio hominis, non ſubſtantialiter mutata; Sicut dum Deus producit ignem cum igne, actio verè attribuitur igni non Deo ob rationem datam, & ideò eſt defectibilis, imò ſæpiùs deficiunt cauſæ ſecundæ in actionibus ſuis, non obſtante Dei concurſu, vt patet in monſtris. *Horum rationem quærere dimittentes ſenſum*, vt loquitur Ariſtoteles, octauo Phyſicorum *cap* 1. *tex.* 22. *infirmitas quædam eſt intellectus*, nempe quia de tàm claris dubitare eſt hebetioris ingenij. Et hinc Summuliſtæ dum de loco ab authoritate agunt, diuinæ ſolùm infallibile, humanæ dialecticum aſsignant argumentum. Vndè vlterius ſequitur, quod cùm ipſa Eccleſia Catholica ſit purè aliquod creatum, vt neceſſariò conce-

Digitized by Google

dendum eſt, niſi diceremus eam eſſe Deum: de quâ re pulchrè: Ruffinus in expoſitione ſymboli Apoſtolorum, tractans Articul. de Eccleſiâ Cath. ſic loquitur. *Non dixit in Sanctam Eccleſiam, nec in remiſſionem Peccatorum, nec in Carnis Reſurrectionem. Si enim addidiſſet* In *præpoſitionem, vna eademq; vis fuiſſet cum Superioribus. Nunc autem in illis quidē vocabulis, vbi de diuinitate fides ordinatur,* In *Deum Patrem dicitur &* In *Ieſum Chriſtum Filium eius, &* In *Spiritum Sanctum. In cæteris verò vbi non de Diuinitate, ſed de Creaturis ac Myſterijs ſermo eſt,* In *præpoſitio non additur, &c. Hac itaq; præpoſitionis ſyllaba Creator à Creaturis ſecernitur, & Diuina ſeparantur ab humanis.* Hactenus ille. Hoc dico ſuppoſito, conſequenter negari non poteſt ipſam eſſe defectibilem in omnibus ſuis actionibus, & fallibilem modo explicato.

5. Homines tamen vt prius congregati, & à Deo ſpecialiter directi, non *actu fallent* in concluſionibus neceſſarijs deducendis, vt ſæpius in curſu libri oſtendo, & hoc propter promiſſum diuinum, de quo ſunt multi textus, & conſenſus Eccleſiæ vniuerſæ ſemper confirmauit, & hoc benè ſtat cum doctrinâ datâ: vtique longè aliud eſt non actu deficere, quam non poſſe deficere, patet in omnibus cauſis ſecundis, quæ vt plurimum non deficiunt, licet ſemper poſsint deficere ob naturarum finitatem, &c.

6. Finalis igitur huius quæſtionis determinatio eſt, quod certitudo Conciliorum & latitudo ipſius certitudinis petenda eſt, non ſimpliciter ex naturâ Conciliorum, vel ipſius Eccleſiæ Catholicæ, vt iam dixi (quia ſunt ſimpliciter fallibilia) ſed ex promiſſo Dei, quod licet ipſis ſit extrinſecum, tamen pro ratione & extenſione promiſsionis longè certiſsimum. Et ideò D. Tho. 2. 2. q. 1. a. 9. in ſolutione 5. obiectionis, dicit, *ſi dicatur nos credere in Eccleſiam Catholicam, Hoc eſt intelligendū ſecundum quod fides noſtra refertur in Spiritum S. vt ſit ſenſus, Credo in Spiritum Sanctum ſanctificantem Eccleſiam.* Quo tamen non obſtante, vel quocūque demum modo, etiam implicando illud diuinum promiſſum, ſemper erit verum quod Cōcilia ſint intrinſecè fallibilia, ob rationes datas, quia non mutat naturas Hominum, licet efficaciſſimè dabit non *actu fallere*, quia Deus eſt in promiſsis ſemper verax; hoc etiam

Digitized by Google

hoc etiam patet in doctrinâ receptiſsimâ Theologorum, in materiâ Prædeſtinationis 1. *d.* 40. *q.* 1. Vbi etiam inuoluendo decretum efficax Dei de ſalute Petri, tamen benè ſtat, Petrum poſſe damnari, & in hoc ſenſu ſemper dicturus ſum, Concilia eſſe infallibilia, hoc eſt ſuppoſitis ſemper ſupponendis, non actu erratura; modum verò quo Deus dirigit Concilia, vel terminos quos ſibi præfixit, infallibiliter dirigengo Concilia, ptout ex veritatibus reuelatis & doctrina recepta elicere licet, fuſiùs oſtendam in Capitibus ſequentibus. Statu igitur quæſtionis ſic intellecto ſecundum veritatẽ Theologicam, qui etiam neceſſariò explicari debuit, nam aliàs in plures errores facilè laberemur ſecundum illud Philoſophi 1. de Cælo. *Paruus in principio error in fine fit maximus. Mihi* (igitur) *neminem iraſci volo, altius rem quæ in conſiderationem venit repetenti*, vt olim Baſilius apud Greg. Niſſenum de hominis opificio cap. 16.

CAPVT II.

Exponuntur opiniones quærentium, In quo conſiſtit poteſtas Eccleſiæ in veritatibus definiendis.

1. M*Agna eſt huius caliginoſiſſimæ quæſtionis obſcuritas, nec quod ſciam hactenus à diuinorum librorum Catholicis Tractatoribus pro merito ſuæ obſcuritatis & perplexitatis euoluta atq; illuſtrata; aut ſi iam factum eſt, nondum in manus noſtras huiuſcemodi litteræ peruenerunt*, vt olim Auguſtinus de origine animæ *ep.* 7. Quæ tamen apud Orthodoxos receptiora inuenero, in curſu operis, exponam, & quod juſtè & legitimè ex eorum principijs elicere potuero; adijciam. Intereà verò prælibamina quædam futurarum rerum, præmittam, ſed quia in quacumque diſceptatione, magnus vſus haberi ſolet ex diſcuſſione ſententiarum quas alij profeſsi ſunt: vndè Ariſtoteles qui ſemper antiquorum commentationes legebat, & ideò à Platone ἀναγνώστης nuncupabatur (& vt notat Ioannes Grammaticus in vita

Digitized by Google

Ariſtotelis, Plato illius ædes non aliter appellauit atque ædes *Lectoris, Philoſophorum*) aliorum opiniones non ſolùm legebat, ſed ſedulò examinabat, antequam rem alicuius ponderis explicaret. Integram igitur ipſius & longè ſacratioris Philoſophiæ, nempè Theologorum ſcholam ſecutus, aliorum ſententias proponam, vt ex tot diuerſis aliorum aſſertionibus, quæ reuerâ dicenda ſunt, facilius inuenire, elicereque poſſim. Vtique hæc quæſtio eſt de numero earum de quibus Ariſtoteles 1. de cœlo Sum. 7. tex. 33. *Sic enim aut illo modo ſe habere, non aliquid parum, ſed totum refert; ac omninò ad eam quæ de veritate eſt ſpeculationem. Ferè enim hoc eſt principium contrarietatum omnibus, qui aliquid de totâ naturâ enunciarunt, & fuit & erit vtiq́. Si quidem modica tranſgreſsio à veritate diſcedentibus fit longè decies millies major.*

2. Sic planè eſt in hâc quæſtione; omnes etenim hæreſes hinc pullulant, hinc omnes contrarietates in omnibus, qui de toto corpore controuerſiarum aliquid enunciarunt, exortæ ſunt. Neceſſarium proindè erit, vt dixi, antiquorum placita recenſere & ſeriò expendere, etenim *oportet eos arbitros eſſe, non aduerſarios, qui veritatem ſunt iudicaturi ſufficienter* 1. de cœlo *cap.* 4. *Text.* 101. Eorum quidem dicta, omni quâ poſſum breuitate explicabo, ne videar Codicum dilatare Philacteria, vt libri moles excreſcat aliorum dogmatum hiſtoriam recenſendo, vel in eâ ipſâ paleſtram intentis viribus inſtruendo: obſcuram ſcilicet latentemq; veritatem explanare ſolū propono.

3. Per quam plurimi igitur ſunt, qui tenent Eccleſiam non poſſe quæſtiones hactenus non conſtanter, & vniuerſim vt Fidei Dogmata defenſas, tanquam de Fide certas hodie definire. Sic Molina *ad* 1. *p. q.* 1. *a.* 2. *diſp.* 1. *& diſp.* 2. *ad* 3. & alij moderni. Fundamentum eorum eſt; Quandoquidem ſecundum D.Th. & Doctorem ſubtilem, ac vtriuſque ſcholæ Magiſtrorum ſententiam, Articuli Fidei poſt tempora Apoſtolorum non creuerunt, quia ſecundum communiter loquentes, nulla de nouo datur Eccleſiæ reuelatio, quæ omninò requiritur, ſi creſcere deberet Fides; & vice verſa. Hinc prætacti opinantur, nihil prorſus tanquam Fidei dogma decerni poſſe, præter quam quod apud ipſiuſmet Eccleſiæ Paſtores & Doctores eandem ſemper

habuerit

Digitized by Google

habuerit authoritatem. Sic in terminis pro Theſi Scholaſtica ſolemniter defendebatur Pariſijs in veſperijs Doctoralibus doctiſsimi Conterranei noſtri Doctoris Holden amici mei, & quidem cum ſingulari Doctorum applauſu: nempè quia ſi de nouo incipiat credi, quod antea ſaltem à Sanctis Doctoribus ſeu Patribus & Paſtoribus non fuerit creditum, ſequeretur (ſecundum eorum ſententiam) quod reſpectu vniuerſalis Eccleſiæ ſimpliciter nouus eſſet Fidei Articulus, & conſequenter reuelatio noua, quod eſt contra commune & in ſcholis famoſum ſuppoſitum. Multos etiam ad hanc Theſim confirmandam adferunt Patres, qui eodem penè tenore loquuntur cum S. Cæleſtino primo Pontifice ad Concil. Epheſin. Patres Epiſt. 7. *Agendum igitur nunc eſt labore communi, vt credita, & per Apoſtolorum huc vſq; ſucceſsionem detenta ſeruemus.* Hic ſtylus omnium veterum, quos opportunè adferam in curſu operis. Hoc igitur Conciliorum etiam generalium munus eſt in iudicio Cæleſtini & reliquorum Patrum, huc vſque credita ſeruare nec vlterius procedere cudẽdo Fidei Articulos.

4. Quod ſi obijciatur ex Cano in locis *l.* 12. *f.* 353. S. Thom. Scoto & alijs communiter, Eccleſiam has vel illas veritates controuerſas, iam pro re natâ declarare, & vt de Fide definire; Reſpondebunt, Concilia vniuerſalia ſubinde toti Eccleſiæ aliqua credenda proponere, quæ per Patrum in diuerſis orbis partibus confluentium ſuffragia, vbique & paſsim, vt quæſtiones Fidei recepta, & ſucceſsione tradita eſſe perſpiciunt, & huiuſmodi rectè dicuntur niti primæuis reuelationibus: ab initio quippe credita ſunt, licet huic Eccleſiæ parti non adeò conſtiterit de aliarum Eccleſiarum iudicio ante Concilij coactionem; quo non obſtante, inconcuſſum manet, nihil hodie proponi ſub Fidei obligatione, quod non ſemper ante creditum erat.

5. Incedendo verò viam magis tritam, breuiter vſque dum altiora penetrauerimus, in hunc modum reſpondendum eſſet. Si de veritatibus virtualiter in primæuis articulis incluſis, ſeu de talibus, quæ vt concluſiones in ſuis principijs contineantur, vel ſtrictius loquendo, vt ſuo loco fusè declaraturus ſum, ſi de concluſionibus quæ re quidem verâ objectiuè & realiter eadem ſunt cum antecedentibus antiquitùs

reuelatis,

reuelatis agatur, facilè concedi poſſit, Eccleſiam huiuſmodi definire ex primæuis reuelationibus ſecundum Diuum Thom. & Doct. Subtilem vbi ſupra: Sic enim Scotus in terminis hoc punctum determinat *q.* 2. prologi propè finem, & hoc conſtanter & vbique docet; nec aliud vult quando dicit in eâdem quæſtione; *Patet quod Sacra Scriptura ſufficienter continet doctrinam neceſſariam viatori*, continet nempè formaliter, vel virtualiter, ſeu per neceſſariam conſequentiam ſicut Concluſiones in Principijs (vt ipſe ibi loquitur cum omnibus ſuis Commentatoribus in illum locum) nec excludit Traditiones, quas alibi expreſsè concedit. Sic etiam ibidem intelligendus eſt Smiſings dum ad modum loquendi Doctoris ſic loquitur in proœmio *quaſt.* 1. *n.* 23. Licet omnia quæ definit Eccleſia, confusè ſeu implicitè contineantur in ſcripturâ, vt nunc ex tractatu de Fide ſuppono, &c.

Doctiſsimè etiam Scotus 1. *d.* 11. *q.* 1. Ad rationem illam, hoc declarat, vbi omnia neceſſariò credenda ad Sacram Scripturam & Apoſtolicam Traditionem refert, & addit, *Periculoſum eſſet errare circa illa, quæ non tantùm deſcendunt ab Apoſtolis per ſcripta, ſed etiam quæ per conſuetudinem vniuerſalis Eccleſiæ tenenda ſunt.* Per conſuetudinem manifeſtè intelligit, non aliam niſi ab Apoſtolis traditam, & ab vniuerſali Eccleſiâ pro tali acceptam, vt in verbis ſequentibus ibi patet; & hoc etiam eſt quod vult Bellarminus. *Nihil eſt de Fide niſi quod Deus per Apoſtolos aut Prophetas reuelauit, aut quod euidenter inde deducitur;* intelligit nimirum, vt in contextu patet de conſequentijs euidentibus ex verbo Dei ſcripto, vel per ipſos certò tradito deductis. Hanc addit rationem, *non enim nouis reuelationibus*; nunc regitur Eccleſia, ſed in ijs quæ tradiderunt illi, qui miniſtri fuerunt ſermonis, &c.

6. Cui etiam per omnia conuenit Occhamus p. 3. Dial. tract. 1. l. 3. c. 24. *Notandum autem quod Auguſtinus in authoritate illâ loquens de Scriptoribus alijs à Scriptoribus Bibliæ, inter hos Scriptores non Canonicos, & illos, non diſtinguit, & ideò ſiue fuerint SS. Pontifices, ſiue alij, ſiue ſcripſerint aliquid in Concilio Generali, ſiue extra; conſimile de ijs Iudicium eſt habendum; vt in his quæ ſcientiæ vel juris ſunt, non ideò aliquid certitudinaliter modo prædicto eſſe verum, quia ipſi ita ſcripſerunt, niſi id vel per*

ſcripturam

ſcripturam diuinã, vel rationes irrefragabiles, aut operationem Miraculorum, aut per approbationem vniuerſalis Eccleſiæ perſuadere valuerint. Rem ſanè adæquatè dilucidat: requirit enim ad Conciliorum infallibiles Definitiones, vel ſacras Scripturas, vel vniuerſæ Eccleſiæ conſenſum (vbi Traditiones ſubaudiuntur) vel Rationes irrefragabiles, nempè ex prædictis concludentes; Hæc ille optimè; nihil minùs vtique hîc voluit (quicquid dicunt Aduerſarij) quam Concilijs vniuerſalibus denegare infallibilitatem, quinimò diſertè aſtruit & explicat. Infinitus eſſe poſſum in Theologorum triplicis Scholæ ſcriptis, & ſententijs citandis, ſed ex his Scholarum Principibus de inferiori plebe facilè iudicandum.

7. Vnicum tamen addam Vegam, ob peculiarem in Sacro Tridentino (cui interfuit) eminentiam, eò etiam magis, quia non tàm ſuam, quàm omnium Patrum ſententiam & praxim hâc in re fideliter ponit & eorum procedendi modum exponit. *Nunquam Patres in Concilijs ſibi vſurparunt authoritatem faciendi Catholicas veritates aliquas, quæ non eſſent Catholicæ; hæc enim duntaxat eſt Dei & habentium ſpiritum propheticum, ſed illud præcipuè curarunt, quod ex geſtis multorum Conciliorum conſpicuum eſt, vt definitiones ſuas, teſtimonijs Chriſti & Apoſtolorum approbarent,* & poſtea, *Concilia Generalia hoc tantùm habent, vt veritates iam alias, vel in ſeipſis, vel in ſuis principijs à Deo, Eccleſiæ & SS. Patribus reuelatas, vel per ſcripturas vel Traditionem Prophetarum & Apoſtolorum tum declarent, tum confirment, & ſua authoritate claras & apertas & abſq; vlla ambiguitate ab omnibus Catholicis tenendas tradant.* addit: *Et ad hoc dico: præſentiâ Spiritus Sancti illuſtrantur, primò vt infallebiles declarent veritates Eccleſiæ reuelatas, & ſecundò, vt ad terminanda dubia in Eccleſia ſuborta, extirpandoſq; errores & abuſus infallibiliter etiam ex reuelatis colligant Populo Chriſtiano credenda & vſurpãda in fide & moribus.* Hæc ille.

8. Quod ſi Vegæ teſtimonium non ſufficiat ad explicandum veterum ſententias, adferam vnum Lirinenſem, qui in hâc materiâ eſt inſtar omnium C. 1. Sic loquitur. *Sæpè igitur magno ſtudio & ſummâ attentione perquirens à quàm plurimis ſanctitate & doctrina præſtantibus viris quonam modo poſſem certa quâdam & quaſi generali ac regulari via Catho-*

licæ fidei veritatem, ab hæreticæ prauitatis falſitate diſcernere, huiuſmodi ſemper reſponſum ob omnibus ferè retuli. Quod ſiue ego, ſiue quis alius, vellet exurgentium hæreticorum fraudes deprehendere, laqueoſq́; vitare, & in fide ſana ſanus atque integer permanere, duplici modo munire fidem ſuam Domino adiuuãte deberem, primò ſcilicet diuinæ legis authoritate, tum deinde Eccleſiæ Catholicæ traditione. Hæc ille. Nec hæc eius doctrina intelligi ſolùm debet de priuatis perſonis, ſed de Concilijs etiam generalibus, vt apertiſsimè oſtendit *c.* 32. vbi fortè hoc declarat.

9. In quæſtionibus igitur fidei ſemper ad vnum vel alterum horum recurrendum; quod etiam accuratè fecerunt Patres Nicæni, vt abundè teſtatur Athanaſius in libro de Synodis, de quibus ſic ſcribit. *Nam neque in hac parte negligentes fuere qui Nicæa conuenerunt, ſed ita accuratè ſcripſerunt, vt qui ſinceriter eorum ſcripta legat, facilè reminiſceretur eius in Chriſtum Religionis, quæ à ſacris literis annunciatur.* Et eâdem facilitate videnda ſunt omnia antiqua Concilia, quæ pro re nata ſexcenties adferã in curſu operis, & vltimò Tridẽtinum in primo decreto *ſeſſ.* 4. vbi clarè oſtendit, Patres non aliundè quam ex ſcripturis & veris traditionibus argumenta fidei petituros. Vndè Canus (vir certè magnus) cum Patribus Tridentini, quibus adfuit, rectè dicit, *Non ad fidem illud attinere poteſt, quod neque in ſacris literis, aut Apoſtolorum traditionibus inuenitur, neque ex ijs certa valet connexione confici.* Hæc igitur ſunt Topica Eccleſiæ in cauſa fidei. Reſolutio quæſtionis in titulo poſitæ, quam hactenus ſine multis argumentis adhibui, eſt omnium ferè ſubſequentium reſolutionum ſummaria, nimirùm in eius tum explicatione, tum probatione, ſuccedentia Capita præſertim poſt caput nonum, vt plurimùm verſantur, & ideò hîc non morandum.

10. Secunda igitur ſententia & illa communiſſima eſt, Quod Eccleſia non poteſt infallibiliter definire, niſi quæ ſacra Scriptura, vel Traditiones certò & clarè proponunt, vel *virtualiter*, vt loquitur Doctor Subtilis, vel *euidenter*, vt Bellarminus, in illis includuntur. Hæc eſt Doctoris Subtilis & ſuorum; in Schola etiam D. Thomæ, multi eam expreſsè amplectuntur; ex Nominalibus plerique: & fundamẽtum prioris ſententiæ hanc à fortiori demonſtrat. Doctor Subtilis tùm alibi,

tùm

tum adæquatiſſimè in 4. *d.* 5. *q.* 1. hanc veritatem ſic exponit: poſtquam omnia credibilia in tria Capita diſtribuiſſet, duobus prioribus declaratis, ad tertium deueniens, ſic loquitur. *Alia ſunt quæ nec neceſſariò ſunt explicitè credenda ab iſtis, nec illis; quia non adhuc illorum veritas eſt declarata & determinata per Eccleſiam. v. g. multa concluſiones neceſſariò incluſæ in articulis creditis, ſed antequam ſunt per Eccleſiam declaratæ & explicatæ, non oportet quemcumque eas credere: oportet tamen circa eas ſobriè opinari, vt ſcilicet homo ſit paratus eas tenere pro tempore pro quo veritas fuerit declarata*, &c. Aurea ſane verba & authore digna, vbi, vt patet, vult illas eſſe concluſiones neceſſariò incluſas, &c. Gerſonius tum in alijs locis, tum præcipuè *De veritatibus de neceſſitate ſalutis credendis*, hanc ſententiam declarat, & ſequitur, nimirum, quod nihil eſt de neceſſitate credendum præter ſcripturas & Traditiones certas, & veritates, quæ concluduntur ex illis, *in conſequentia certa, in lumine Fidei, vel in euidenti lumine naturali, quamuis non in propria forma verba illic habeantur. Quemadmodum iſta veritas eſt de neceſſitate ſalutis tenenda, quod Chriſtus habuit neruos, & venas, quamuis in ſcriptura ſacra non habeatur in propria verborum forma. Et ita de ſimilibus ſine numero, quoniam illa eſt euidens conſequentia nedum in lumine Fidei, ſed in lumine naturali apud Philoſophos.* Hæc Gerſonius planè cum reliquis cōſentiens. Corduba etiam apertè intimat, quod ſi definire intentet alia, quàm quæ ex Scripturis, Concilijs prioribus, & ſanctis Doctoribus hauriat, *legitimè in nomine Chriſti non procedit.* Et vt optimè dicit Stapletonus Relect. Cont. 4. q. 1. Notab. 3. *Exacta & omnimoda infallibilitate non indiget, ſed ſatis eſt ſemel acceptis, &c.* Non igitur Fides aſtrui poteſt niſi *in nomine Chriſti*, ſecundum Cordubam, vel *niſi acceptis adhæreat* ſecundum Stapletonum, non pro voluntate humana ad eius definitionem in Concilio procedatur, quia non eſt plus attribuendum præſenti Eccleſiæ, quam quod Moſes, Chriſtus & Apoſtoli ad veritates prædicandas vſurparunt: ſemper enim teſtimonijs authenticis, & ab auditoribus iam receptis, vel miraculis, veritatem confirmabant, vnde Ioan. 15. *Si opera non feciſſem quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* In definitionibus igitur debet certum eſſe quod in veritate Catholica, ſcilicet in ſcripturis

Digitized by Google

vel traditionibus certis fundati ſint, ſecundum illud Pauli, Rom. 15. *Non enim audeo aliquid loqui eorum quæ per me non efficit Chriſtus in veritate ſignorum, &c.*

11. Dicunt igitur huius ſententiæ Doctores, imò ipſa Eccleſia in Concilijs citatis & citandis, Quòd Eccleſia in Concilijs, ſolum declarat ſenſum Scripturæ & Traditionum, (modo quo ſupra dixi) ſcilicet neceſſarium, non probabilem: vel elicit concluſiones neceſſarias, tanquam in principijs ſuis virtualiter incluſas: & in his duobus ſolùm Spiritus Sancti illuſtratur præſentiâ, adeò vt ſi per poſsibile, vel impoſſibile vlteriùs procedant; vt homines agunt, & errare poſſunt; & hoc eſt quod volunt Doctores, dicentes Eccleſiam errare non poſſe in Fundamentalibus: vndè Origenes *l.* 3. *in c.* 3. ad Romanos ait; *Ea quæ Doctores Eccleſiæ loquuntur ad populum, diuinis munita teſtimonijs, proferant: ſi enim tantus ac talis Apoſtolus Paulus, authoritatē dictorum ſuorum ſufficere poſſe non credat, niſi doceat in lege & Prophetis ſcripta quæ dicit, quantò magis nos minimi, hoc obſeruare debemus?* Et Dialogo 3. *De Reſurrectione* inter Marinum Hæreticum, & Eutropum Philoſophum iudicem, & Origenem Catholicum. *Solis ſcripturis credēdum* ait Martinus. *Sanè ſcripturis ſuademus* ait Origenes. Et Iudex definit; *Apertùm & confeſſum eſt quæ ſit aſſertio vtriuſq́, nempè ſolis ſcripturis ſuadendum & credendum.*

12. Quod intellige mediatè vel immediatè, adeò vt ſemper Diuinis muniri debeant Teſtimonijs, vt loquitur Origenes: & in his errare non poteſt Eccleſia, quia *fundamentalia* ſunt. Liceat pro maiori charitate, ſubinde in hâc materiâ vti his terminis *fundamentalium* & *non fundamentalium*, licet in ſcholis noſtris non adeò frequenter adhibeantur, coincidunt ſcilicet quantùm ad rem attinet cum frequentioribus illis, *neceſſarium* & *non neceſſarium*. Non igitur de cortice verborum litigemus, quandoquidem de re ipſâ conſtat inter ſolemniores Doctores noſtros, vt patebit, ſecundū illud Aug: cōtra Creſc: Gramat: *l.* 2. *c.* 22. *Cum de re conſtat, non eſt de nomine laborandum*, præſertim cùm nec Eccleſia in ſuis Concilijs vel ſummis Paſtoribus, nec Sacri Doctores in ſuis fidei determinationibus, vel vllæ Vniuerſitates, vel

Scholæ

Digitized by Google

Scholæ Catholicæ reſtrixerint nos ad conceptam verborum formam in hâc materiâ.

13. Aliàs ſcio καινοφωνίας omninò cauendas ſecundum Apoſtolum. 1.*Tim.* 6.*v.* 20. 2. etiam ad *Tim.* 2.16. nempè *Hæreticorum nouitates*, vt ibi ſpecificat Paulus: Aliàs Eccleſia, vt alibi noto, antiquas res nouis nomenclaturis diſtinguit. Et ideò, vt notat Auguſt: *l.* 10. de Ciuit. *c.* 23. *Philoſophi ad arbitrium loquuntur, ſecus verò in Philoſophiâ Chriſtianâ, vbi loquēdum eſt ad Regulam Eccleſiaſticā.* Quandoquidem igitur ab Eccleſiâ nondum eſt conſtituta aliqua regula (prout in alijs multis materijs) vtimur libertate ſcholarum, nempè vnus ſic, alter verò ſic, modo in re conueniam.

14. Refert noſter *Tuamenſis in ſuo Peregrino Hierichuntino* c. 9. liber tā ſingulariter doctus eſt, vt de eo rectè dici poſsit quod refert Gellius de *Acroamaticis* Ariſtotelis, nempè *ipſe Alexander inuidebat publicationem eius*. Refert ergò *quod nonnulli Catholici*, quibus ab Arrianis *ſubdole proponebatur, Homoouſion ſequi vellent an Chriſtum; inſulsè decipiebātur, reſpondentes Chriſtum ſe ſequi, Homoouſion repudiare*; putabant enim ſic reſpondendo, ſe in Chriſtum credere, quem iam negauerant Homoouſion, ideſt vnius cum Patre ſubſtantiæ denegando &c. (Nempè ſic fiebat in Ariminenſi Synodo, vbi etiam populares noſtri Epiſcopi, ſcilicet Britannici cum cæteris erant ab Arianis decepti, (vt obſeruat Harsfieldius noſter in hiſtoriâ ſuâ Eccleſiaſticâ Angliæ ad ſex prima ſæcula *c.* 16.) Sic ſanè videtur in propoſito dicēdum reſpectu horum terminorum de quibus hîc agitur, vt dixi, idem prorſus ſignificant, quòd termini illi apud recentiores magis in vſu: quinimò ipſiſſimi etiam termini ſubindè reperiūtur, vbi Veteres *ſubſtantiam* Fidei, *fundamentum* Fidei, ab alijs ad fidem etiam ſpectantibus decernunt, vt in capitibus ſequentibus patebit.

15. Hæc denique ſententia ſic efficaciter confirmatur. *Certa & firma Eccleſiæ decreta eſſe non poſſunt, quæ non certis & firmis principijs ac fundamentis innituntur.* Hæc propoſitio in ſe eſt manifeſta, & ſpecialiter à Cano *l.* 12. ſub initium in terminis aſſeritur. *Sed præter Scripturas & Traditiones non ſunt alia principia & fundamenta firma & penitus certa*

quibus Eccleſia in decernendo inniti poſſet ac debeat ergò &c. Singulæ propoſitiones, vti credo, ſunt manifeſtæ: vndè ſequitur vlterius quod ſi Eccleſia vel Concilium ſequatur probabilitates licet maximas, vel maximè apparentes, in ſenſu ſcripturæ vel Traditionum eliciendo, Concluſionem ſolum probabilem, non certam, inferre poteſt. Sed de his alibi, vbi hoc argumentum fuſiùs declarabitur & preſsius vrgebitur. Hæc ſunt ſolum prælibamina ad futuras diſputationes.

CAPVT III.

Vbi prægustatur, exponitur & reijcitur opinio aſſerentium Eccleſiam in definiendo, nouis vti Reuelationibus.

1. EST adhuc tertia opinio quam olim expoſuerat Occhamus in Dialogo & repetiuit Horantius in locis *l. 2. c. 12.* & alibi, Eccleſiam errare non poſſe in proponendis quibuſcumque Dogmatibus à populo Chriſtiano credendis, licet, ſi poneretur caſus per poſsibile, vel per impoſsibile, quod nec ex Scripturis, nec Traditionibus vel antiquis reuelationibus ea deduxerit: ſed ſufficit in hac ſententia quod per præſentis Eccleſiæ nouum Decretum independenter à prædictis, fundamentis proponantur.

2. Aliqui Neoterici quos in corpore huius Capitis citabo, hoc aſtruere videntur. Hortantius etiam dixit, *Tanquam diuinum Oraculum excipiendum eſt, quod vel per Apoſtolos ſola Traditione, vel per Spiritum Eccleſiæ, qui Spiritus Dei eſt, proponitur.* Alibi tamen Horantius præſertim Ca. 13. ſeipſum explicans, cum ſecunda ſententia dicit, *Quando nos damus errare non poſſe Eccleſiam in rebus ad ſalutem neceſſarijs, hic eſt noſter ſenſus: ideò hoc eſt, quod abdicata omni ſua ſapientia humana, Spiritu ſancto docetur per Dei verbum, vel quod Scripturâ conſtat, vel quod Traditione accepit.* Duo hic habet Horantius, vnum quod definitio infallibilis debet eſſe *in rebus ad ſalutem neceſſarijs*, quod eſt optimè dictum: alterum eſt, quod ex Scripturis, vel Traditionibus petatur. Ille igitur prioris, haud huius eſt ſententiæ.

3. Ariſtoteles

3. Ariſtoteles in Pol. l. 2. c. 5. expendens Remp. Carthaginenſium à Phalea inſtitutam, vt inde ſibi facilius poſſet inuenire regulas accomodatiores ad Politeian rectè formandam, poſt alia concludit. *Itaque Phaleas paruis duntaxat iniurijs ſuæ Reipublicæ conſtitutione ſuccurrit. Præterea multa ſtatuere pergit, per quæ ad ſeipſos rectè inſtituti erant; ſed oportebat quoq; ad finitimos & peregrinos omnes reſpicere.* Addit. *Neceſſe eſt ergo conſtitutam eſſe Remp. ad bellicum robur.* Idem prorſus dici poteſt de illis Doctoribus, qui dum de poteſtate Eccleſiaſtica tractent, ſuâ nimia liberalitate *paruis dumtaxat iniurijs* Eccleſiæ *ſuccurrunt*: Multa vtique inter priuatos parietes dici poſſunt, quæ tamen hoſtibus propalata. omnem Politeian deſtruent. Oportet igitur ad *finitimos & peregrinos omnes* reſpicere, præſertim dum ſuos conceptus prælo tradunt, *neceſſe* vtique *eſt conſtitutam eſſe Remp.* Chriſti *ad bellicum robur.* Nam vt rectè idem Philoſophus Pol. l. 3. c. 7. *Patet quod & iuſtitia & virtus bellica requiritur, ſine his enim ſtare Ciuitas non poteſt.* Quod de Ciuitate Dei ſupra *montem* poſita aſſeruit Apoſtolus quando dixit, *Oportet Hæreſes eſſe.* Valet igitur his illud quod Oraculũ Gordio de fine diſcordiarum conſulenti reſpondiſſe fertur, *Regi diſcordijs opus eſſe*, ſic refert Iuſtinus Hiſtoricus l. 11.

4. Aduerſarij hinc inde Eccleſiam impetunt, ad bellum prouocant, ſobriè agendum, & in locutionibus ſaltem publicis, *non ſolum ad Ciuium vſum, verum etiam ad pericula externa* reſpiciendum. Nec in *verborum* pugnis conterendum tempus, vbi res ipſa eſt ſalua. *Eubolus conſiderare iuſſit Anthophradatē cum Atarnea obſidere vellet, vt cogitaret quanto tēpore circa expugnationē eius loci deſtinaretur, ac exiſtimaret huius tēporis iacturã, &c.* Dum nos obſidemus molimina aduerſariorum, iactura temporis exiſtimanda eſt, non ad friuola, ſeu non realia digrediendum. Non paruam ſanè victoriam reportant, dum nos ad temporis & horarum iacturam cogunt: quæ leuia vel præter rem ſunt, cum maiori prudentia diſſimulare quàm illis reſpondere decet. *Cauendum eſt* cum Auguſtino magno, Ep. 239. *ne cum rem dubiam emendari volumus, maiora vulnera faciamus.* Imò & olim Seuerus Sulpitius in vita S. Martini l. 3. de quibuſdam erroribus minutioribus agens, *Nequaquam haud latè ſe*

potuiſſet

potuiſſet effundere, niſi contentione creuiſſet. Diuagentur quò voluerint, modo ipſa Fidei ſubſtantia inconcuſſa maneat, ad fundamenta eundum, ibi Rhodus, ibi ſaltus eſſe debet, nec ea iam fingenda: poſita ſunt à Chriſto & Apoſtolis, illis hærere oportet.

5. Qui igitur ſententiam ſuperiorem vrgentius premunt, cauere debent, ne ſuos, non Eccleſiæ obtrudant conceptus, in magnum Eccleſiæ & Sacro-ſanctæ noſtræ Fidei præiudicium; experimur enim Aduerſarijs hinc magnum oriri ſcandalum, & neſcio quas blaſphemias in dies effingunt; & ideò Gerſonius c. 3. citandus ſatis indicat in ſuo iudicio hoc tenere, eſſe delirare. Caueamus illud Auguſtini in Gen. ad litt. l. 2. c. 18. *Non pro ſententiâ diuinarum ſcripturarum, ſed pro noſtrâ dimicantes, vt eam velimus ſcripturarum eſſe, quæ noſtra eſt: cùm potiùs eam quæ ſcripturarum eſt, noſtram eſſe velle debeamus.* Secundùm illud Chryſoſtomi, *de ſancto & adorando Spiritu. Multi,* inquit, *Spiritum ſanctum iactant, ſed quia propria loquuntur, falsò illum prætenderunt: vt Chriſtus non à ſeipſo loqui teſtabatur, quia ex lege loquebatur & Prophetis; ita ſi quid præter Euangelium ſubt itulo Spiritus obtenditur, ne credamus, quia ſicut Chriſtus legis & Prophetarum impletio eſt, ita Spiritus Euangelij.*

6. Eccleſia igitur nihil tanquam de Fide proponere poteſt vel ſolet, quod ex Euangelio non deſcendat. Per Euangelium verò non ſcripturas tantùm intelligit, licèt ſic eum deprauarit Caluinus: ſed quidquid Apoſtoli in nomine Chriſti docuerunt; Prædicationem vtique Euangelicam intelligit. Vndè idem Chryſoſt. ad Tit. Hom. 1. dicit, *Omnia Euangelium continet & præſentia & futura, honorem, pietatem, Fidem.* Poſteà verò ne ad alia detorqueantur, omnia ſub prædicationis verbo concludit. Illi igitur ſunt limites Eccleſiæ: non nouis Spiritus reuelationibus, ſed antiquis Prophetarum & Apoſtolorum prædicationibus niti debet, vt infallibiliter vera doceant eius Concilia, ſecundùm præclarum illud Tertull: de Præſcrip: non longè ab initio. *Nobis curioſitate non opus eſt poſt Chriſtum, nec inquiſitione poſt Euangelium. Cùm credimus, nihil deſideramus vltra credere. Hoc enim priùs credimus, non eſſe, quod vltra credere debemus.*

7. Et ideò apertiſsimè voluit Tridentinum in primo decreto, contra huius tertiæ ſententiæ ſequaces, nulla alia vſurpanda eſſe fundamenta in confirmandis dogmatibus, in inſtaurandis in Eccleſiâ moribus, quam certas ſcripturas, & veras veterum traditiones, nouas reuelationes non agnoſcit. Nam vt rectè Petrus à Soto c. 47. *Apoſtoli docuerunt affluentiſsimè ad plenitudinem vſque audientium.* Optimè igitur Tertull. de preſcript. *Nobis nihil licet ex noſtro arbitrio inducere, ſed nec eligere quòd aliquis de arbitrio ſuo induxerit: Apoſtolos Domini habemus authores, qui nec ipſi quidquam de ſuo arbitrio, quod inducerent, elegerunt, ſed acceptam à Chriſto fideliter diſciplinam nationibus aſsignarunt.* Aug. etiam c. 25. l. 1. in Gen. ad lit. egregiè docet, *Atq; ita teneamus fidem Domini noſtri in quo ſunt abſconditi omnes theſauri ſapientiæ, vt neque falſæ Philoſophiæ loquacitate ſeducamur, neque ſimulatæ Religionis ſuperſtitione terreamur.* Non igitur aliud fundamentum quærendum eſt: Sed ad Apoſtolos ſolos recurrendum, ad Eccleſiam veterem redeundum, habet vtique illa apud ſe omnes fidei traditiones neceſſarias ab ore Apoſtolorum acceptas, & aliquas etiam eorundem ſcriptis conſignatas, & in his immorandum.

8. Vanum proindè eſt noua Fidei dogmata iam iactare, vel ab Eccleſiâ petere, ipſa etenim eſt *teſtis*, non *factrix Fidei* nec abſoluta *magiſtra*, ſed *cuſtos fidelis veritatum*, vt optimè declarat Stapletonus locis opportunè citandis. Vndè Epiphanius Hæreſi. 55. aliàs 35. contra Melchiſedecianos. *Termini præſcripti ſunt nobis & fundamenta poſita, & Fidei ſtructura, & Apoſtolorum traditiones, & Sacræ Literæ, & cæleſtis doctrinæ propagata ſucceſsio, ac denique diuina veritas ex omni parte munita eſt & conſtituta.*

9. Concilia igitur nihil noui attentare poſſent ſine erroris periculo; horum enim infallibilitas non vltra hos terminos protenditur, hanc fidei regulam, vt loquebantur veteres, præſertim Aug. poſt Tertullianum *l.* 3. de peccat. meritis. *c.* 5. & *tract.* 98. in Ioan. de præſcrip. *l.* 3. *c.* 45. tranſgredi non poſſunt. Grauina igitur vir ſanè doctus eatenus dicit præſcript. Cath. *l.* 3. *c.* 45. *Eccleſiæ ſeu Conciliorum Doctrinam & prædicationem, normam Fidei ſtatui, ſeu quod idem eſt, infallibi-*

Digitized by Google

lem agnoſci, quatenus Apoſtolorum & Sãctorum Patrum tradita ſubſequuntur, nimirùm nihil decidendo, niſi quod ante exortam Hæreſim (quam damnant) *publicè ab Eccleſiâ docebatur & prædicabatur*, ſic ille. Addit etiam in ſolutionibus (quas vocat) oppoſitionum ad quartum, quòd *non propterea, quia fidei regulam, nempè tradita Apoſtolorum conſulit Eccleſia, aliquid de ſua authoritate minuitur, ſicut nec in aliquo Apoſtolica dignitas eandem Fidei regulam conſulens, in minimo labefactata eſt, ſicut nec legiſlatorum authoritas, ſi regulam rationis attendat. Imò eò plauſibiliùs authoritati Eccleſiæ inniti debent aduerſarij, qui perſpicaciùs vident Eccleſiam, non de Apollinis tripode decreta eructantem, ſed Apoſtolorum exemplo innixam, magnâ conquiſitione factâ de rebus controuerſis veritatem eliquatam ſummâ diſcuſſione decernentem.* Imò paulò poſt ad quintum dicit, *ſic ex certâ regulâ Fidei ab ipſis prædicatâ Apoſtolis, controuerſia legalium finita eſt.*

10. Semper igitur in definiendo materiam Fidei, Eccleſia tàm naſcens, quàm ſeneſcens ad priora recurrit, non noua aſtruit, nec aſtruere poteſt. Vndè Hieronymus in pſ. 86. ſuper illa verba, *Dominus narrabit in ſcripturis populorum*, dicit, *videte quid dicat, qui fuerint non qui ſunt, vt exceptis Apoſtolis, quidquid poſtea aliud dicitur, abſcindatur, non habeat authoritatem.* Nam vt rectè D. Thom. 1. p. q. 1. a. 8. ad. 2. *Innititur Fides noſtra reuelationi Apoſtolis & Prophetis factæ, qui Canonicos libros ſcripſerunt.* Non igitur nouis reuelationibus Eccleſiæ iam faciendis. Vndè Braduardinus ſub init. c. 5. citandus. *Scio & confidenter me ſcire affirmo, quod non eſt articulus aliquis magnus vel paruus de ſubſtantia Fidei Chriſtianæ, quem Deus non priùs reuelauit.* Addit. *Sicut euidenter oſtendunt libri authentici noui & veteris Teſtamenti, &c.* Quicunque perſpexerit ſingularem huius grauiſsimi viri in rebus longè arduis acrimoniam & modeſtiam, iudicabit illa verba reflexiuè prolata, *Scio & confidenter me ſcire affirmo*, non leuiter fuiſſe appoſita. Denique Roffenſis in artic. 28. Lutheri hoc optimè declarat. *Neque enim opinor Pontificem vnà cum Concilio poſſe quidquid libebit, indiſcriminatim decernere de ſubſtantiâ Fidei eſſe, quòd non anteà fuerat de ſubſtantiâ Fidei. Nam in eorum arbitrio non eſt ſitum (vt Scotus ait) vt quidquam tale, vel non tale faciant,*

Digitized by Google

faciant, ſed Spiritu potiùs veritatis edocti, id quod reuerà credent, de ſubſtantiâ Fidei fuerat, iam declarant eſſe de ſubſtantiâ Fidei, &c. Poſtea. *Non quòd Eccleſia quicquam verum aut non verum faciat, ſed quòd id quod ante verum fuerat, quanquam à pleriſq; dubitatum, iam explicatiùs & apertiùs verum eſſe definit.*

11. Tertia igitur hæc ſententia de nouis definitionibus ex nouis reuelationibus Eccleſiæ in Concilijs factis vel faciendis, non poteſt teneri, ſi conſtans iudicium veterum tàm Patrum quàm Scholaſticorum (de quibus fusè agetur capitibus 13. & 14. & ſæpè alibi) reſpiciamus; vti verò dicitur à Caſsiano l. 1. de Incarnat. *Quod non ita dicitur vt eſt, etiamſi Honor videatur, iniuria eſt*; illum tamen amplexi ſunt aliquot Doctores Neoterici, inter quos haud infimus eſt Salmeron diſp. 57. in Ep. ad Rom. *Habet vnum quodq; ſæculum peculiares reuelationes diuinas.* Per hæc verba intimare voluit, ſi ipſius mentem attigerim, Eccleſiam aliquas veritates per nouas reuelationes à Deo accipere, vel Eccleſiam ſolere definitiones ex nouis reuelationibus condere, & ideò eſſe inerrabilem. Sic etiam Valentia de Fide *q.* 1. *puncto.* 1. §. 5. vbi diſtinguit duos definiendi modos, vnum *Aſſeuerationem* vocat, quæ eſt definitio rei antea non reuelatæ à Deo, & nunc primò creditur ob teſtimonium Dei per os Eccleſiæ; & illa Eccleſiæ *Aſſeueratio, ſeu noua definitio, eſt obiectum formale Fidei. Alterum definiendi modum vocat, Propoſitionem in qua definitur ſeu declaratur res antiquitùs reuelata vel in ſe, vel in ſuis principijs, in quibus virtualiter continebatur.* Sic ille: Nos ſanè eiuſmodi definitionem arguta quadam, ſcitaque acrimonia adornatam eſſe non negamus, at eandem non continuò veram eſſe concedemus, vt olim Baſilius in Hexameron.

12. Theodorus etiam Smiſings proem. *q.* 1. *n.* 22. videtur dicere Eccleſiam hodiè habere Reuelationes immediatas: Sic enim loquitur. *Hoc eſt quod vrget argumentum, quod poſsit Eccleſia tàm extra ſcripturarum aliquarum immediatam reuelationem habere, quàm poteſt habere immediatam reuelationem quod Hæc ſit legitima ſcriptura.* Poſtea. *Significat Eccleſia ſeſe, ea quæ definit, accipere immediatè à Spiritu Sancto.* Poſtea tamen fatetur Eccleſiam ſolum diſcurſiuè definire: dicit etiam quòd *omnia quæ defi-*

Digitized by Google

nit Eccleſia confusè ſeu implicitè continentur in Scriptura. Non vult igitur quod nouos condere poteſt Fidei articulos; ſed ex priùs reuelatis, per diſcurſum & diuinam inſpirationem (quam vocat reuelationem) definit, ſeu declarat concluſionem antea non adeò clarè creditam; quod eſt veriſsimum quoad rem, licet in modo loquendi, prima facie aliquantulùm differre videatur vir Doctiſsmus à communi Scholarum & Sanctorum Patrum loquendi ſtylo, vt ex hactenus dictis patet, ſed hoc non intendit. Hoc benè explicat noſter Hauzeur in ſuo arduo Tomo 2. in B. Auguſtinum l. 2. de Bapt. c. 5. *Plerunq; Doctioribus minus aliquid reuelatur: vt eorum patiens & humilis charitas comprobetur, &c.* Vbi Hauzeur, *Ad quid ergo Doctrinâ in concilijs, ſi plerunq; Doctioribus minus reueletur?* Reſpondet. *Doctrinam eſſe ad propoſitionem, diſcuſſionem, præparationem controuerſiarum: earum autem definitionem non eſſe ex doctrinâ humanâ ſeu habituali, ſed ex quadam reuelatione, non quaſi miraculoſa, ſed Eccleſiæ Dei ordinaria per directionem ſingularem plurium ſuffragantium in vnam eandemq; ſententiam.* Non igitur reuelationes expectandæ ſunt, ſed directio Dei ſpecialis eo fortè modo quo explicaturus ſum *c.* 12. Ad eundem etiam ſtylum optimè loquitur Patriota noſter Baconus in ſua fidei Analyſi diſp. 2. c. 1. & ibidem n. 15. benignè & benè explicat noſtrum Smiſing, fusè etiam proſequitur tùm ibi, tùm alibi noſtram aſſertionem, & ex ſuis plures adfert. Denique vt conſequenter procedant, hanc tertiam ſententiam tenere debent omnes illi, qui diſtinctionem fundamentalium & non fundamẽtalium, ſeu neceſſariorum & non neceſſariorum in Fidei & rerum eò ſpectantium deciſionibus reſpuunt, vt facilè ſpeculanti patebit.

13. Sed ſaluâ eorum pace, ad veritates dilucidandas, diſtinctio illa vel maximè in materia fidei inſeruit: nec recens eſt inuenta, imò omnes Scholaſtici ſapientiores eam quoad ſubſtantiam adhibent, contra Canoniſtas aliquot, ſuper Caput, *Cum Chriſtus, extra. de haret.* qui volebant Eccleſiam poſſe cudere nouos Fidei articulos. Idem etenim ferè eſt, ac ſi diceretur, Concilium poſſe ad placitum ſaltem ad arbitrium, quamcumque aſſertionem tanquam Hæreticam damnare, quòd etiã falsò nobis attribuit Caluinus, tùm alibi, tùm *l.* 4. Inſtit. *c.* 8.

ſect. 13.

ſect. 13. & poſt eum aliqui poſteriores, præſertim his annis currentibus in Angliâ.

14. Et vt ex zelo Fidei & veritatis Catholicæ, veritatem dicam, Illi Doctores qui tam illimitatam & illimitabilem Conciliorum prædicant in definiendo infallibilitatem contra omnes veteres, valdè diminuunt quam ſe augere putant authoritatem. Nam *ponendo aliud præter quod poſitum eſt Prophetarum & Apoſtolorum fundamentum* ſcilicet *nouarum reuelationum* ſingulis ſæculis peculiarium, vel quas vocant *Aſſeuerationum*; ſingulis conſequenter ſæculis nouam dabunt Fidei compaginem, & tandem tot nouorum adiectione peribunt vetera, nec certè habebimus vndè aduerſarios ad Eccleſiæ gremium reducamus, ſi ſemel daretur Eccleſiam alias iam Fidei reuelationes præſtolari. Vtique omnes veteres regulæ quibus hactenus in dignoſcendo & decernendo fidem innixi ſumus, ex illâ doctrinâ penitùs euaneſcent. Hoc facilè ſpeculabitur æquus lector ſecundùm illud Hypognoſtici *l.* 3. quod eſt compendium Aug. ſecundum Eraſmum & Louanienſes. *Tunc à nobis limes Fidei ſanæ defenditur, quando termini, quos poſuerunt Sancti Patres non transferũtur, imò obſeruantur & defenſantur, &c.* Hîc præcluduntur omnes nouæ Fidei reuelationes.

15. Iudicetur de reliquis omnibus ex Catholiciſsimâ illâ Lerinenſis regulâ, *c.* 32. *Hoc inquam ſemper*, audiatur. *Neque quidquam præterea Hæreticorum nouitatibus excitata Conciliorum ſuorum decretis Catholica perficit Eccleſia, niſi vt quod prius à maioribus ſolâ traditione acceperat, hoc deindè poſteris etiam per ſcripturæ Chyrographum conſignaret.* Nullus hîc locus pro nouis reuelationibus, vt ex iſtis petatur noua fides, illud *ſemper* & *neq; quidquam* omnia talia deſtruit. His Doctoribus igitur optimè applicatur id quod Cicero *l.* 1. de legibus improperat quibuſdam ſui temporis Iuriſtis, eos *magna profeſſos in paruis eſſe verſatos.* Hæc equidem *parua* ſunt potiùs, quia *noua*, pro nihilo reputanda, licet fatendũ ſit de his ſicut Cicero de ſuis, eos ſummos fuiſſe viros. Alioqui tamen dicuntur eſſe homines, qui videntur putare rem Chriſtianam fuiſſe periclitatam, ſi ipſi non in pugna obſtitiſſent, hoc eſt niſi noua ſuggeſsiſſent. De cuiuſmodi agit Arnobius *l.* 3.

Digitized by Google

ſub init: *Neque enim ſtare ſine aſſertoribus non poteſt Religio Chriſtiana? aut eò eſſe comprobabitur vera, ſi aſtipulatores habuerit plurimos, & authoritatem ab hominibus ſumpſerit? Suis illa contenta eſt viribus, & veritatis propriæ fundaminibus nititur, nec ſpoliatur vi ſua, etiamſi nullum habeat vindicem, &c.* Contra quos militat illud Thomæ de Cartellis Doctoris & Decani Pariſienſis in Concil. Baſil. ab omnibus applauſum, *Petro à Chriſto dictum, Quicquid ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in Cælis, non autem quicquid* dixeris *eſſe ligatum*; Sic in præſentiâ fortiori dicendum. Volunt verò prædicti opinantes, Concilium œcumenicum *fraudibus humanis impediri poſſe, diabolicisq́; artibus, ne Spiritus diuinus aliquas veritates etiam oportunas nos ibi doceat: ſed quod minus vera dicat, non magis poteſt, quam quod ad mendacium cogatur.* Sic Horantius *c.* 28. In quo ſenſu hoc verum fuerit, poſtea oſtendemus. Interea vt obuiemus illis qui negant dari diſtinctionem fundamentalium & non fundamentalium in rebus ad fidem ſpectantibus, & etiam quod conſequens eſt, vt aſtruamus Eccleſiam inniti primæuis non hodiernis reuelationibus, in ſuis Fidei determinationibus: procedendum eſt ad ſtrictum examen diſtinctionis fundamentaliũ & non fundamẽtalium.

CAPVT IV.

An detur diſtinctio fundamentalium & non fundamẽtalium, ſeu neceſſariorum & non neceſſariorum in Fide.

1. LErinenſis diſtinctionem illam agnouit, & pro re natâ adhibuit, etiam in quæſtionibus circa fidem, vt in ſequentibus facilè patebit: vbi inter reliqua, hæc habet verba; *Antiqua Sanctorum Patrum conſenſio non in omnibus diuinæ legis quæſtiunculis, ſed ſolum in Fidei regula, nobis certò eſt ſequenda, atque in his præcipuè quæſtionibus, quibus Catholici Dogmatis fundamenta nituntur.* Duo hic dicit, vnum quod non in omnibus *Diuinæ legis quæſtiunculis* eſt neceſſariò adhærendum omnium Patrum ſenſui, & eadem eſt ratio, de vniuerſalis Concilij ſenſu,

ſeu decreto

Digitized by Google

ſeu decreto, vt ſuo loco oſtendam, nemo tamen negabit, quin in omnibus fundamentalibus adhærendum ſit tam Patrum, quam Conciliorum decretis: Alterum quod dicit, eſt, Dari magis & minus in ijs, quibus ſtandum eſt Patribus & Concilijs vt patet. Hæc ſola eius authoritas ſufficere poteſt: nempè huic quæſtioni accuratè ſtuduit, & vt fatentur omnes, optimè ſoluit. Notabile vero eſt quod dicit Eugenius Doctiſsimus Pontifex in Florentino, & omnem penitùs hâc in quæſtione tollit difficultatem, vt ex ipſis Concilij actis notauit A Capite Fontium l. 1. *Operæ pretium eſt, quandoquidem præcipuam illam & ad Fidem quam maximè pertinentem quæſtionem concluſimus, vt de his etiam alijs* quæſtiunculis *per ſeſsiones agamus, vt noſtra coniunctio firma, &c. ſit. Videlicet de Azimo & fermentato pane, de Purgatorio, de Summi Pontificis poteſtate, nec non de Diuina panis tranſmutatione.* Hæc loquitur Eugegenius ad Græcos Patres in Concilio. Quod verò poſteà in eodem capite addit A Capite Fontium de verbis Conſecrationis agens, *Eugenius Papa quæſtiunculam* illam non appellaſſet, ſi ad Fidei articulos *ſpectare credidiſſet.* Hîc de hac re nihil aſſero. Hanc etiam diſtinctionem, eſt aſſecutus Eminentiſsimus Perronius in Epiſtolâ reſponſoriâ Cauſabonio, quæ præmittitur ſuæ replicæ ad reſponſum Regis Angliæ. Vbi arguēs ambiguitatem horum verborū, *Neceſſaria ad ſalutem,* multos oſtendit gradus huius neceſsitatis; ſed fuſior eſt quàm vt exſcribam. Vtinā pro dignitate tereretur manibus Popularium noſtrorum, qui adeò cordi habuit res noſtras, & in illis enodandis adeò inſudauit. Multùm etiam hac in parte obligamur moderno Archiepiſcopo Rhotomagenſi D. Franciſco d'Harlay Prælato ſiuè Græcè, ſiue Latinè longè Doctiſſimo, pro ſua Apologia Euangelij, inſcripta Regi noſtro Iacobo, & pro ſua Pacificatione ſeu Catechiſmo cōtrouerſiarum. Popularis etiam noſter D. Smitheus Epiſcopus Chalcedonenſis hanc diſtinctionem agnouit in erudito illo opere, quod nuper in eius examinatione compoſuit; & in confirmationem adeſt Ius Canonicum, ſaltem gloſſa *d. 19. c. ita Dominus*, & dicit eſſe communem ſententiam.

2. Rabbini etiam Iudæi eandem diſtinctionem in rebus Fidei omninò admiſerunt (quorum authoritas hac in re non videtur vtcunque

ſpernenda

ſperneda. Eos verò tàm in hac quæſtione quàm in alijs materijs ſubinde in curſu operis cito, tùm quia ab Aduerſarijs citantur, tùm quia nuperrimè à factioſis quibuſdam Sectarijs excitati, illi ſcilicet Rabbini hodierni contra veteres, falsò controuerſias noſtras tetigerunt. Hi tamen vt dixi diſtinctionem datam omninò admiſerunt. Inter quos R. Moyſes Ægyptius, R. Haſdai de Creſcas, & R. Ioſeph Albo, cenſuerunt inter Fidei articulos neceſſariò eſſe referenda certa quædam, quæ vocantur *radices*, alia ſolùm vt *appendices* ſeu *rami*. Nam vt Menaſſeth in initio, *De creatione mundi* notat, *ſicuti rami arboris dependent à radice, ita etiam exiſtimarunt ab iſtis capitibus, ſiue articulis Fidei legem totam dependere, adeò vt ſi quis illos neget, vniuerſam legem irritam faciat.* Alia igitur fuerunt quæ etiam ad Fidem ſpectabant, ſed non *radices* erant; ſed vt *rami* dependebant ab ipſis. Multus ſanè in huiuſmodi eſt R. Moiſes inter omnes ſuos doctiſsimus. Dicit igitur ille p. 3. more Neuochim c. 28. *Præcepta à Deo dari vt veras opiniones de ijs, quæ credenda ſunt, doceat, & quidem tales, quæ vel per ſe ſcitu ſunt neceſſariæ, vel ad violentiam tollendam, aut virtutes honeſtas excitandas.* P. etiam 3. c. 35. dicit *diuerſas eſſe Claſſes præceptorum; prima complectitur articulos, quos vocat fundamentales Fidei, & de his quæri non poteſt, quæ ſit illorum vtilitas. Secunda Claſsis comprehendit præcepta, quæ inſeruiunt ad confirmandas & perpetuò conſeruandas ſententias illas Fidei credendas.* Nihil vt credo manifeſtiùs deſiderari poteſt. Albo etiam, Homo ſi quis alius inter ſuos eximiæ authoritatis inter alia multa *l.* 3. *c.* 18. agens de poteſtate cuiuſcumque de nouo mittendi Prophetæ, hoc habet, *ſi dixerit vt violemus Sabbathum, aut tranſgrediamur aliquod præceptum, pro temporis occaſione, aut in negotio, quod non euertet legis radices, æquum eſt vt illum audiamus*, vbi non ponit præceptum de Sabbatho inter inuariabiles legis *radices* (quod obſeruare debent iudaizare volentes Sabbatharij, quorum multi ſunt in Angliâ) Denique inter Hæbræos videbitur eſſe regula valdè communis, illud ſolùm numerari debere inter fundamenta legis, *ob cuius euerſionem vniuerſa lex concidat.* Ad quem ferè modum loquuntur Doctores noſtri in hac materiâ, quando errabilem prædicant Eccleſiam in rebus, ob quarum euerſionem non perit fides;

vt ſæpiùs

vt ſæpiùs alloquentē adſeremus Canum & alios. Non me tamen latet ſubinde etiam inter Rabbinos latiùs extendi nomen *fundamenti*, & vſurpari non ſolùm pro veritate illâ ad cuius euerſionem euertitur lex, ſed etiam eò ſpectare, vt diſtingueret Iſraelitam à non Iſraelitâ, vt notat *Abrauaniel ex R. Rab*, cuius generis ibi numerat 13. Articulos neceſſariò credendos, ſi quis ſalutem velit conſequi, vel Iſraelita appellari; licet aliqui eorum non ſint, in priori ſenſu, fundamenta legis. Vbi tamen nota, quòd inter tot innumera Iudaica præcepta quæ habebant, eliciuntur ſolùm 13. Articuli fundamentales neceſſarij creditu.. Tamen copioſiſsimè doctrinam datam confirmant *R. Moſes* in tractatu *De fundamentis legis*, & *Abrauaniel* in tractatu *De capite Fidei*, vbi fundamentalia à non fundamentalibus clarè diſtinguunt, poſt celeberrimum *Rambam* in Commentarijs in tractatu *Sanhedrim* c. *Cheloc.* & dicit Interpres, *quòd omnia Rabbinorum effata, ad haſce credendi normas, veluti ad lydium lapidem exiguntur.* Licet *Abrauaniel* verſus finem libri aliter incedat. Hactenus ex Rabbinis. Redeam ad noſtros.

3. *Nazianzenus* totum hoc adæquatè declarat *orat.* 14. quæ eſt de pace. 3. *Non immodico huic contentionis ſtudio finem imponemus? non cognoſcemus quænam quæſtiones à nobis percipi, & quatenus poſſint, quænam rurſus vim noſtram & facultatem ſuperent? quænam huius temporis ſint, ac terrenæ confuſionis, menti noſtræ tenebras offundentis, quænam rurſus futuri ſæculi & cæleſtis libertatis: vt alijs modo contenti ſimus, alijs purgemur ac præparemur, veluti poſtea initiandi ac deſiderij compotes futuri? Non apud nos ipſos diſtinguemus, quænam ne quærenda quidem omninò ſint, quænam mediocriter, quænam contentioſis hominibus concedenda & relinquenda, quoquo tandem modo ſe habeant, vt potè nullum doctrinæ noſtræ detrimentum afferentia? quænam Fidei ſoli donanda, quænam etiam ratiocinationibus, pro quibus denique acri animo pugnandum ſit: Rationibus tamen non ferro atque armis.* Neſcio quid exactiùs poſsit, vt gradus Fidei, vel fides à non fide decernatur. Quòd verò ſit differentia inter fundamenta, & ea quæ ſuperſtructa ſunt, diſertè aſſerit Clemens in l. 5. Stromatum. *Hæ ſunt ſtructuræ gnoſticæ (id eſt quæ maiorem dant cognitionem) ſuper fundamento Fidei.* Et in eodem libro, *omnia illa, quæ Paulus*

 diſtribuit

Digitized by Google

diſtribuit in lac & eſcam, *vocat* κοινὴν πίστιν *Communem Fidem*, hoc eſt fundamenta ſuper quibus reliqua adiectitia ſuperſtruuntur. Et in hoc ſenſu dicit *Paulus Rom.* 15. 20. *ſe non ſolere docere Chriſti myſteria, vbi alius Chriſtum prædicarat, ne ſuper fundamentum alienum ædificaret* hoc eſt vbi alter fundamenta Fidei iactaſſet, ipſe non ſuperſtructuras adiūgeret: Vt etiam rectè obſeruauit Caſaubonus in exercitatione. 15. Non miretur lector, quòd frequentiùs cæteris cito Auguſtinum, & quòd de induſtriâ, ipſum tanquam Magiſtrum in re hâc perplexiſsima, vbique & ſemper ſecuturus ſum. Nam vt alibi oſtendo, Eccleſia Catholica, Concilia & Summi Pontifices, ipſum vt Magiſtrum venerati ſunt, de quo verè dicitur, quòd olim de Phalereo illo Demetrio Theophraſti diſcipulo dici ſolebat, *mirabiliter doctrinam ex vmbraculis eruditorum, otioq́; non modo in Solem atq́; puluerem; ſed in ipſum diſcrimen aciemq́; perduxit:* Auguſtinum igitur meum παγκρατιαστὸν & inuictum Certatorem eligo. Bellum vtique nos circumſtat; bellum hæreticum: & qui ducem ſe præbeat, Hic eſt. Ipſe igitur *in Tract.* 98. diſtinctionem illam haud reijcit, ſapientem enim alloquens, dicit, *Si piè intellexeris quòd non ſit contra regulam Catholicæ Fidei, ad quam, velut viam, quæ te ducat ad patriam, perueniſti, & ſic intellexeris, vt indè dubitare non debeas: adde ædificium, noli relinquere fundamentum.* Ædificium illud ad fidem ſpectare, nemo dubitare poteſt, licet inter fundamenta non reputetur ab *Auguſtino. Fundamentum* enim, Chriſti Domini, Prophetarum & Apoſtolorum Dicta ſolùm vocitat, vt ibi patet. *Auguſtinus* etiam ad *Voluſianum* expreſsè hoc tenet, vt eum citabo inferiùs. Nec dubitem *Eugenium quartum* huc alluſiſſe in tertiâ ſuâ Bullâ reuocatoriâ Concilij Baſileenſis, cum hac vtatur loquendi forma. *Hoc de jure notiſsimum eſt, quod poſſumus quæcumque ſtatuta, decreta, declata, ſiue ſancita, per quoſcumq́; Prædeceſſores noſtros, vel per quæcumq́; Concilia, dummodo in ipſis Fidei fundamenta non exiſtant, ſiue ex hoc vniuerſalis Eccleſiæ bonum principaliter non turbetur, vt Vicarius Chriſti & irreprehenſibiliter pro noſtro amouere & corrigere libitu voluntatis, &c.* Si igitur aliqua fuerunt determinata à Concilijs generalibus, etiam in materiâ Fidei, *modo in ipſis Fidei fundamenta non exiſtant; Eugenius* putauit ſe huiuſmodi irreprehenſibiliter corrigere potuiſſe.

Digitized by Google

Inter poſteriores *Catherinus* in *defenſione* ſua Catholicorum pro poſsibili certitudine gratiæ, dum hæc intermiſcet verba: *Nec ipſa articulorum Fidei determinatorum certitudo par eſt omnium*: Nunquid enim omnia ab Eccleſiâ determinata, ſunt æquè certa, ſi Eccleſia in ſingulis ſuis determinationibus eſt omninò infallibilis, vti eſt, exceptis ſuperfluis, & non neceſſarijs, ſeu non fundamentalibus, ſeu aliquibus *diuinæ legis quæſtiunculis*, vt loquitur *Lerinenſis*, in quibus cum indemnitate errari poteſt? vti ſemper loquitur *Canus*, quem in ſequentibus clarè oſtendo hanc diſtinctionem in credibilibus euidenter admiſiſſe, quem hac in parte apertè ſequitur *Grauina* vt ſæpiùs oſtendam. Sic etiã noſtras *Stapletonus*, & ferè omnes Doctores cum nupero Authore Dialogi Angliæ editi, & ex cõmiſsione *Sorbonæ* approbati De electione Religionis, &c. vbi fusè, & vt omnia ſolet, doctè hoc declarat.

4. Denique non cum tantâ probabilitate poteſt aliter ſolui textus ille *Auguſtini*, à tot Doctoribus examinatus *l.* 2. de Bapt. contra Donatiſtas c. 3. *Ipſaq; plenaria Concilia ſæpè priora poſterioribus emendari, cum aliquo experimento aperitur, quòd clauſum erat; & cognoſcitur quod latebat.* Nempè hæc vltima verba videntur ſine omni prorſus dubio, de rebus ad fidem ſpectantibus intelligi debere; de huiuſmodi enim ibi per totam gradationem egerat. Nec tamen vllus credere poſſum, *Auguſtinum* velle Concilia verè vniuerſalia ſimpliciter fore erratica, ſed potiùs ſimpliciter eſſe inerrabilia, licet in rebus minutioribus ſeu non fundamentalibus deficere poſsint. Imò *Auguſtinus* ſæpiùs diſtinguit materias grauiores & magis neceſſarias, à leuioribus in materiâ fidei: vndè libro primo contra Iulianum, capit. 6. dicit, *Hoc autem ad ipſa Fidei pertinet fundamenta*, &c. Quòd tamen de omnibus proponendis, vel declarandis non affirmabit; imò diſtinctionis gratiâ ſic loqui voluit Sanctus Doctor. Nam ibi loquendo de differentijs inter Sanctos Patres (quia objecerat Iulianus Chriſoſtomum ſuas egiſſe partes contra alios Occidentales,) dicit Aug. *Alia ſunt in quibus*, &c. *ſalua Fidei compage non conſonant*, &c. *Hoc autem ad ipſa Fidei pertinet fundamenta*, &c. Sed de eius mente melius patebit cap. ſequenti. Et in hoc ſenſu optimè dicit *Occhamus* p. 3. tract. 1. l. 3. c. 4. *Quòd*

non in Concilio generali ſi eſſet congregata vniuerſalis Eccleſia, &c. *eſt neceſſaria credulitas in omni dicto & caſu abſque omni exceptione præſtanda.* Secus verò dixerat de Sacris Scripturis, quibus in omnibus, ſine vllâ exceptione eſt credendum: Eccleſia verò vt rectè *Stapletonus* l. 8. c. 15. Cont. 4. in corpore *explicationis nonæ*: eſt ſolùm *teſtis* non *author* Fidei: non igitur poteſt cudere ſed teſtari Fidem traditam. Fides verò tradita ſeu traditio in quæſtionibus Fidei eſt duplex ſecundum Origenem in Proem. l. 1. Periarch. vbi ſic loquitur: *Illud tamen ſcire oportet, quoniam Sancti Apoſtoli Fidem Chriſti prædicantes, de quibuſdam quidem quæcumq; neceſſaria crediderunt omnibus credentibus, etiam ijs qui pigriores erga inquiſitionem diuinæ Scientiæ videbãtur, manifeſtiſsimè tradiderunt, rationem ſcilicet aſſertionis eorum relinquentes ab ijs inquirendam; qui Spiritus dona excellentia, & præcipuè Sermonis, Sapientiæ & Scientiæ, per ipſum Spiritum Sanctum percipere merebantur. De alijs verò dixerunt quidem, quia ſint: quomodo autem, aut vndè ſint, ſiluerunt profectò; vt ſtudioſiores quoque ex poſteris ſuis amatores Sapientiæ, & Scientiæ exercitium habere poſsint, in quo ingenij fructum oſtendere valerent, hi videlicet qui dignos ſe & capaces Sapientiæ præpararunt.* Hactenùs *Origenes*. Vbi fundamenta, ſeu fundamentalia ab Apoſtolis tradita, vt omninò neceſſaria ſcitu fatetur, modum verò ſeu rationem horum ſubindè tacuerunt, nimirùm quia minus neceſſaria. In priorum declaratione nunquam errat Eccleſia: in poſterioribus verò ſi erret, Fidei fundamentum non concutitur, in Origenis ſententiâ, quia ſecundum eum, ideò ſolùm ſiluerunt, *vt Scientiæ exercitium haberi poſsit*, ſeu vt *ingenij ſui fructum oſtendere valerent.*

5. Denique (præter Patres & Doctores citatos, quibus plures in Capitibus ſequentibus adijciam) ratio ipſa conuincit. Nam prout ſecundum Philoſophos, Deus non deficit in ſuo cõcurſu, quoad neceſſaria in naturalibus; ſic ſecundũ Theologos non deficit in concurſu proportionato ad neceſſaria in ſupernaturalibus, ſeu ad finem ſupernaturalem tendentibus; & de his ſolùm exiſtit promiſſum diuinum, vt rectè poſt alios notat *Canus* ſæpiùs citandus; non verò de *ſuperfluis*, vt etiam per ſe patet in omnium judicio: ſed multa ſunt ad fidem *ſpectantia* quæ

ſubindè

ſubindè à Fidelibus controuerti, & in Concilijs proponi poſſunt; Et conſequenter in Concilijs determinari, quæ non ſunt neceſſaria ad ſalutem vel pietatem promouendam. Quid vtique incommodi eſt quod propoſita, licet leuiora, vel ſaltem non vſquequaque neceſſaria, ad maiorem tamen pacem ſtabiliendam, ad vnam partem à Patribus determinentur? Ergò propter defectum ſeu incertitudinem concurſus Dei proportionati, vtique non promiſsi, in iſtis errare poſſunt, ſine præjudicio ſubſtantialium ſeu ſimpliciter neceſſariorum. Et de huiuſmodi extant monumenta propemodum infinita, in Conciliorum actis, vt præter alia multa de aliquibus ſolemnioribus dabo inſtantias in curſu operis. Quòd etiam clariùs oſtendetur, cùm in capit. ſequentibus ad particularia Doctorum fundamenta, deſcendero. Priùs dictis igitur non obſtantibus, maneat certum, *Dari fundamentalia & non fundamentalia ſeu neceſſaria & non neceſſaria in rebus & materijs ad fidem ſpectantibus*. His tãquàm proemialibus præmiſsis ſuo loco fuſiùs diſcutiendis progrediamur. Sit igitur.

CAPVT V.

Quæ ſunt Fundamentalia?

1. HIc ne Confuſio ſuboriatur, Aduertendum eſt *fundamenta* & *fundamentalia* inter ſe diſtingui, vt etiam ex ipſis terminis conſtat, licet ab aliquibus haud ſatis animaduerſum, vt teſtantur variæ eorum hac in re altercationes.

Fundamenta in materiâ Fidei, habemus Chriſtum primò, hoc eſt ſua diuina Oracula, ſecundum illud; *fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, Chriſtus* IESVS. 1. *Cor.* 3. & in hoc ſenſu dixit *Athanaſius* De Synodis Arimini & Seleuciæ in Ep. ad Orthodoxos, Quòd Prophetæ *non Religionis fundamẽta jecerunt*. Addit. *Nam ea & ante Conſtitutionem mundi fuit & ſemper eſt quam Deus nobis in Chriſto præparauit*. Secundum ſeu ſecundarium fundamentum ſunt

Digitized by Google

Apoſtoli *& murus Ciuitatis habens fundamenta duodecim, nomina 12. Apoſtolorum* Agni Apocalypſeos 21. & indè eſt, vt rectè notauit *Iacobus Ægidius* olim Sacri Palatij Magiſter, Tractatu de paupertate Chriſti, *Pro ſecundo* inſcripto, quod dicitur *Eccleſia Apoſtolica; indè eſt quod ad ſignandum firmitatem Eccleſiæ, Beatus Petrus dicitur Vertex*, vt etiam ipſe notat ex S. Thoma De articulis Fidei ſuper articulo, *Et in vnam Sanctam Eccleſiam Apoſtolicam.* Plura antem eſſe fundamenta inter alios teſtatur Petrus Chryſologus. 73. *Ponebat Angelus ſuper Petram fundamenta Fidei, ſuper quam Chriſtus erat Eccleſiam fundaturus.* &c.

Longè etiam ante illum Origenes contra Celſum to. 4. p. 260. ait *Domum Dei ædificari ſuper ſummis montibus omnium Sermonum Propheticorum, qui ſunt eius domus, id eſt, Eccleſiæ fundamentum.* Hieron. ad Hedybiam. q. 8. *Petra ſunt vniuerſa vaticinia Prophetarum: qui & ipſi à Petra Chriſto cum Apoſtolis Petræ vocabulum acceperunt.* Omnia igitur quæ docuit Chriſtus Prophetæ & Apoſtoli ſecundum ſtilum veterum, *fundamenta ſunt.*

Fundamenta igitur ſecundaria ſunt ipſi Fidei Articuli ab Apoſtolis collecti, ſeu vt idem Ægidius loquitur c. 13. *Principia demonſtrandi, ſub lumine Fidei, ſunt articuli Fidei ex ſententijs Sacrarum Scripturarum collecti.*

Huc etiam ſpectant Tradita, licet non ſcripta ab Apoſtolis, in materia Fidei & morum: perinde vtique eſt, an *per Epiſtolam*, vel *vocetenus* tradatur veritas diuina, ſecundum illud Saluatoris Math. 28. *Ite docete, &c.* Si igitur ab Apoſtolis fuit edoctum, ſufficit ad rationem fundamenti ſiue *voce* ſiue *ſcripto* docuerint: nam Chriſtus eos ad rem, non ad modum obligauit; vt ibi patet. Tota Hæc veritas declaratur ab Apoſtolo ad Epheſios 2. *Super ædificati eſtis ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſummo angulari Lapide, Chriſto Ieſu.* Baſilius hom. 16. in verba illa, *In principio erat verbum* ſuccincte, tam fundamenta quam fundamentalia explicat. *Hæ itaq; voces tanquam Fidei fundamenta, immobiles perſiſtant, ſuper his & reliqua Deo fauente ſuper ædificabimus.* Superædificia Patrum quando in neceſſarijs verſantur, *fundamentalia* ſunt, & talia ſunt de quibus ille addit, *quæ reſtant vobis enarranda*

Digitized by Google

enarranda ſcilicet in Fide. Hæc ſummatim de fundamentis ſecundum receptam Catholicorum doctrinam.

2. Vnus verò eſt Scriptor (hactenus non licuit mihi videre ſecundum) *Dominicus Lopez* ex Societate Hiſpali impreſſus *De authoritate S. Scripturæ.* qui non videtur ſine modificatione admittere omnia ab Apoſtolis ſcripta, tanquam neceſſariò credenda, & à fortiori non ad *fundamenta* ſpectare: ne imponere videar, dabo ipſius verba fol. 67. *Nam, aut quæ docent ad res quaſdam ſpectant, quæ omninò fieri crediùe debent: & hæc verè doctrinæ pars eſt, nec vllo modo fieri poteſt, vt ſi iſti tales ſunt, quales in hiſtoria ſunt deſcripti, hîc errare potuerint. Aut ea quæ docent ad explanationem pertinent aliquorum Ieſu verborum, ad res faciendas vel credendas minimè ſpectantium, qualia iſtis ferè ſunt, vel ad interpretationem aliquorum locorum veteris Teſtamenti, & ad explicationem argumentorum inde deductorum, aliaúe ratione ab ipſis in medium allatorum; & hæc minus propriè, Doctrinæ pars eſt, ſed potius vel additamentum (vt ſic dixerim) vel probatio doctrinæ: quodq́; huc attinet, fieri poſſet, vt veriſſima ea omnia eſſent, quæ de ipſis hiſtoria affirmat, & tamen ipſi non nunquam hac in parte leuiter errâſſent.* Multùm differt Spiritus huius hominis, à Spiritu verè magni Baſilij hom. 6. in Hexameron, *Hæc à nobis ſunt dicta*, &c. *vt conſtaret in verbis ſcripturæ diuinitus inſpiratæ, ne ſyllabam quidem eſſe otioſam*: nunquid otioſæ eſſent ſyllabæ & verba & integræ ſententiæ, ſi eſſent falſæ vel erroneæ? audiat hoc *Frater* ille & agnoſcat longè diuerſum, ſi non aduerſum fuiſſe huius doctiſſimi & vetuſtiſſimi Patris ſenſum à ſuo. Non volo aſſerere quod hîc verificatur illud, quod hom. 4. habet idem vir Dei. *Hæretici ſeſe Corpori ſano permiſcent, vt clanculũ ſui erroris noxam in ſimpliciores & integræ Fidei viros transfundãt.* Nimirum certum eſt, hanc eius doctrinam, non olere Spiritũ Patrum *Tridenti* cõgregatorum, qui omnia & ſingula in Scripturis poſita, vt à Spiritu Sancto dictata veneranda eſſe iubent. Quam longè etiam ab humili vniuerſitatis Louanienſis Spiritu, qui hæc ipſa, quæ hic homo excipit, ſine omni exceptione à Spiritu Sancto dictata veneratur, patet in Indice quem ſtruxerunt horum textuum, & conjunxerunt Scripturæ ab ipſis diligentiſſimè editæ. Probat *Lopez Nam vis omnis authoritatis*

tatis ipſorum, quæ neceſſariò ex hiſtoria colligatur, ad id referebatur, quod propriè Doctrinæ pars eſſet. Cuius veritas reuerà, neque ex veterum monumentorum authoritate, neq; ex illis rationibus penderet, ſed ex diuina, eaque præſente patefactione illis conceſſa, adeò vt certiſſimè noſſe poſſent, ſe nec fallere, nec falli poſſe, etiamſi eorum quæ docebant nullam præterea aliam confirmationem habuiſſent. Hæc legentibus diſcutienda propono: videntur profectò adeò arctare & in dubium vocare, ſaltem diſputationibus prurientium aurium adeò exponere authoritatem diuinam ſacrarum Scripturarum contra conſtantiſsimum veterum ſtilum; vt Fides Chriſtiana videatur non parum periclitari, quam tamen ſine dubio ſtabilire intendit; ſed hæc tempora tales diſquiſitiones non patiuntur. Illa quæ dicit quoad interpretationem aliquorum locorum veteris Teſtamenti, in quibus vult eos errare potuiſſe, memini me legiſſe alicubi apud *Caluinum*, vel certè aliquem eius *ſcholæ*: apud Catholicos nondum vidi. O admirabilem licentiam diſſerendi! Longè ſanctius ſcripſit *Bellarminus* ex eadem Societate in Tractatu de eâdem re doctè admodum congeſto. Redeam ad priora. Totum hoc egregiè declarat Petrus d'Aliaco, in ſua *Recommendatione ſacræ Scripturæ. Ita concedamus Chriſtum eſſe Eccleſiæ fundamentum principale, vt non negemus ſuper ipſum plura fundamenta ædificari poſſe*, & ponit textum Apocal. citatum poſtea: *Quòtquot ergo Chriſti eloquia, quòt Chriſtianæ doctrinæ teſtimonia, tòt dici poſſunt Chriſtianæ Eccleſiæ fundamenta*: poſtea: *Sciendum itaque quòd in quolibet ædificio rationabiliter ordinato, primò procedit fundatio, ſecūdò procedit ædificatio, tertiò ſuccedit conſummatio.* Hactenus ille conformiter ad hactenus aſſerta. Gerſonius etiam l. de vita Spirituali animæ Lect. 2. Corol. 7. *Nihil hîc noui fingo: diſtinxerunt itaque in ſimili Doctores ante nos, quòd veritas aliqua eſt purè de Fide: aliqua ſolum pertinens ad Fidem, quæ dici poteſt de pietate Fidei, aliqua impertinens, quæ dici poteſt Apochrypha. Sicut in contrario aliqua falſitas eſt hæreſis, aliqua ſapiens hæreſim, quæ dici poteſt error, aliqua omninò impertinens ſaltem quoad nos viatores & noſtram deductionem.* Sic breuiter hi duo magni viri Diſcipulus & Magiſter ordinem fundamentorum, fundamentalium, & non fundamentalium aſtruxerunt. Vlterius hæc

rius hæc

rius hæc declaranda ſunt. Quoad fundamẽtalia, diuerſimodè poſſunt. Primò quod omnia & ſola illa dicantur talia, quorum cognitio eſt omnibus indiſcriminatim neceſſaria. Certum vtique eſt ex parte rei eſſe, & inter Theologos aſsignari in materia Fidei, aliqua ſolum reſpectu Paſtorum & Doctorum ſcitu neceſſaria, aliqua & illa multò pauciora reſpectu omnium. De his fusè egi in *Problematibus*, Problemate de *Inuincibili ignorantiâ*, ſed hæc doctrina licet veriſsima non attingit ſenſum aliquorum, qui fundamentalia longè extendunt, vt ex hactenus dictis conſtat.

3. Doctiſsimus quidam Dialogiſta (de quo alibi fuſè acturus ſum) particularem hâc in re habet doctrinam. Succinctè referam & exponam. In ſuo igitur primo Dialogo diſtinguit duo genera credibilium: vnum abſolutè & ſimpliciter neceſſariorũ, hoc eſt ſine quorum cognitione non perueniri poteſt ad vitam æternam, & ideò dicit quòd omnes hæreſes circa incarnationem Chriſti, & circa Beatam Trinitatem, erant & ſunt ſimpliciter damnabiles; hinc etiam neceſſarium eſt credere Hierarchiam à Deo in Eccleſiâ inſtitutam, quia ipsâ deſtructâ corruet Eccleſia, corruent etiam Sacramenta, quorum vſus eſt etiam neceſſarius; vnitas etiam Eccleſiæ, ſeu vnio cum Eccleſiâ eſt ſimpliciter neceſſaria. Tandem Paragrapho octauo deſcendit ad ſecundum genus credibilium, de quibus inceperat agere paragrapho ſecundo, ſcilicet quæ eatenus dicuntur neceſſaria, quatenus ſine eis *difficulter* vel *non adeò conuenienter* peruenitur ad ſalutem: cuius generis enumerat doctrinam Eccleſiæ de Imaginibus; & paragrapho nono enumerat cultum Sanctorum, eorum Canonizationem & inſtitutionem Ordinum Religioſorum, &c. Hæc proſequitur in Paragraphis ſequentibus. Hæreſes verò his oppoſitas videtur putare eſſe in eodem gradu damnabiles, quo Veritates ipſæ ſunt neceſſariò ſciendæ, neceſsitas autem illa non eſt abſoluta, non ſolùm reſpectu huius vel illius, ſed reſpectu quorumcumque ſecundum mentem Dialogiſtæ, vt leuiter aduertenti patet: nempè quia ſine eis, licet *difficulter*, vel *non adeò conuenienter*, peruenitur tamen ad ſalutem. Hæc igitur poſteriora in ſenſu eius non ſunt fundamentalia: Ego verò adhuc aliter & aliquãtò

Digitized by Google

ſtrictiùs de fundamentalibus agendum cenſeo, & ideò ad illa dignoſcenda, vniuerſalem inſtituo regulam, ex cuius applicatione, haud difficulter deuenietur ad particularia.

Breuiter tamen præmittam quid hâc in parte habeat Doctor Subtilis. 4. *d.* 5. *q.* 1. qui tanquam Arbiter honorarius hîc incedit, cui veritatis ergò in re hac perplexâ, me conformabo. Dicit igitur aliqua eſſe *ſimpliciter* de ſubſtantiâ Fidei, v. g. Articuli de Incarnatione, de quibus ſunt Solemnitates in Eccleſiâ. Alia quæ ſecundo loco ponit credibilium, dicit eſſe *explicitè* de ſubſtantiâ Fidei obſeruandâ à Majoribus, v. g. Articuli de Trinitate, &c. Alia ſunt quæ vltimo loco ponit credibilium, quæ non dicit eſſe de ſubſtantiâ Fidei, ſed tamen poſt declarationem Eccleſiæ neceſſariò eſſe credenda, ſcilicet *Concluſiones neceſſariò incluſas in articulis creditis.* His poſitis apponam regulam vniuerſalem.

Nota. 4. Fundamentalia ſola ſunt quæ neceſſariò & euidenter fundantur, ſeu ſuperædificantur ſuper fundamenta ſuperiùs aſsignata; & in his ſiſtitur in materiâ Fidei neceſſariâ ſecundum illud Prou. 22. *Ne tranſgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt Patres tui.* Gloſ. *Ne tranſgrediaris terminos Fidei & doctrinæ Sermonum & exemplorum, quos poſuerunt Prophetæ & Apoſtoli*; vel vt alia Gloſſa: *Ne tranſgrediaris terminos Catholicæ Fidei, quos ab initio ſtatuerunt Doctores*, &c. hæc doctrina vt ex dictis patet eſt Doctoris ſubtilis, & eſt communis. Magnus verò Athanaſius in Ep. quam habet ad Serapionem, vbi probat Spiritum Sanctum non eſſe Creaturam, omnia hactenus dicta confirmat. *Videamus tamen adhuc illam viſam ab initio Traditionem & Doctrinam & Fidem Catholicæ Eccleſiæ, quam Chriſtus quidem dedit: Apoſtoli verò prædicauerunt & ſeruauerunt: in hâc enim Eccleſiâ fundamur, & qui indè excidit, Chriſtianus non poterit dici.*

Dixi *neceſſariò* &c. quia non habent certum hoc fundamentum, quæ *probabiliter* ſolum indè inferuntur, vt per ſe patet, & conſequenter nec neceſſariò credenda ſunt, nec fundamentalia eſſe poſſunt; nam aliud fundamentum ponendum non eſt, præter id quod poſitum eſt: ſed vt

Digitized by Google

ſed vt rectè Cyprianus Ep. 74. *Si in aliquo mutauerit, & vacillauerit veritas, ad Originem, Dominicam Euangelicam & Apoſtolicam traditionem reuertamur, & inde ſurgat actus noſtri ratio, vndè & Origo ſurrexit.* Pulchrè etiam Aug. to. 9. Tract. 37. in Ioan. *Catholica Fides veniens de Doctrinâ Apoſtolorum, plantata in nobis, per ſeriem ſucceſſionis accepta, ſana ad poſteros inter vtroſque* (.i. vtrumque errorem) *tenuit veritatem.* Sic Waldenſis eum citat *to.* 1. *l.* 2. *c.* 19. vndè *Georg. Ataydes* Theologus Luſitanus in Tridentino, egregiè probauit Traditionum verè Apoſtolicarum, nempè *conſtantium* & *vniuerſalium* vim, copioſam ſatis ac potentem eſſe ad condendos Fidei articulos.

5. Addendum etiam ad priora illa inter fundamentalia non computari debere, quæ neceſſaria non ſunt ad *gloriam Dei promouẽdam,* nec *ad ſalutem conſequendam,* licet ex Sacro Codice, hanc vel illam partem determinauerint Patres, nempè ſic vel ſic interpretando Scripturam forſitan ſubobſcuram: & hoc expreſſè tenuit Magnus Lerinenſis, vbi huiuſmodi vocat *Diuinæ Legis quæſtiunculus;* in quibus ait *antiquæ SS. Patrum conſenſioni non neceſſariò adhærendnm eſſe;* Et ideò *Gerſonius* ſuo loco iterùm citandus. De vitâ ſpirituali animæ lect. 2. Corol. 4. dicit, *Non enim fidei aſcribimus omnem veritatem quæ ſequi poteſt ex veritatibus contentis in Sacrâ Scripturâ,* &c. *ſed illus tantùm quæ ſpecialiter reuelatæ ſunt & datæ ad credendum pro beatitudinis fine conſequendo.* Et de huiuſmodi optimè dicit *Grauina* to. 3. Præſcript. p. 1. contr. 1. q. 1. art. 6. pag. 13. *Clarè apparet, non ſemper in quâcumque Scripturæ expoſitione, Patrum ſententias ſequendas.* Rectè etiam *Paulus Griſaldus* in deciſionibus Fidei verbo *Authoritas. Hæc propoſitio: Authoritas omnium Doctorum in ijs quæ minimè ad fidem pertinent, certum fuit argumentum, eſt temeraria. Non cogitur Eccleſia docere quæ Sancti ſimul docuerunt.* Et ideò aliqui Poſteriores benè docuerunt, Patres non eſſe Doctores Eccleſiæ, niſi pro ijs quæ de Fide & contra hæreſes ſcripſerunt: ita vt pro cæteris arbitrarijs controuerſijs, *extra neceſſitatem Fidei & bonorum morum poſitis,* nec Doctores ſint Eccleſiæ, nec ab eâ approbationem habeant *Grauina* etiam tr. 3. Præſ. p. 1. c. 17. *Dicendum, quod etiamſi integer Sanctorum Chorus adduceretur, quum Controuerſia iſta de Conceptione non*

 ſit ex

ſit ex numero earum quæſtionum quæ ad fidem pertinent, non facerent pondus. Inſtantiam illam alibi pondero: fundamentum amplector; imò hoc ipſum practicè docuerunt Sancti Apoſtoli ſecundum illud, *viſum eſt Spiritui Sancto & nobis nihil aliud imponere vobis oneris præterquam neceſſaria.* Optimè igitur *Adamantinus* in Tridentino dixit, aliam eſſe rationem in Concilijs dicendi, ab eâ quæ in Scholis vſurpatur; *In his quantò magis ſingula minutim ſecantur, quantoque accuratiùs examinantur, tantò meliùs tractari. At in Concilijs non eſſe in dignitate, alia excutere, quam quæ elucidari & quaſi in conſpicuo collocari poſſunt*, & hunc eius loquendi modum ſecuti ſunt multi Patres. Imò ipſum Florentinum inferiùs citandum, hunc non ſolum loquendi, ſed agendi modum ſecutum eſt. Quòd verò dixi ex *Lirinenſi*, quòd non ſufficiat neceſſitas conſequentiæ ex priùs reuelatis, ſeu ex parte rei; ſed etiam ex parte Eccleſiæ, ſcilicet quòd vrgens debeat eſſe, hoc eſt, ab Eccleſiâ iudicari eſſe neceſſitas ad definiendum aliquid, fatentur ſpecialiter Patres Latini in Flor. apud *Beſſarionem.* Hæc etiam noſtra ſententia *Aug.* Patronum habet l. 2. de Gen. ad lit. c. 9. vbi poſt alia, agens de authoribus ſeu Scriptoribus Sacræ Scripturæ ſic loquitur: *Multi multum diſputant de ijs rebus, quas maiori prudentia authores,* diuini illi ſcilicet Scriptores, *omiſerunt ad beatam vitam non profuturas diſcentibus, & occupantes (quod peius eſt) multum prolixa & rebus ſalubribus impendenda temporum ſpatia.* Quorum igitur eſt ad ſalutem ſpectantia docere, vt concilia vniuerſalia, in id præcipuè collimant (Nam vt conſtanter docet Cardinalis Polus de *Concilio, Concilia ſalutis omnium cauſa coguntur,*) vt majori prudentia omittant illa *quæ ad beatam vitam non proficiunt*, ſecundum *Auguſtinum*; cuius generis ſunt omnia, quorum notitia nec *vllum religionis actum in Deum* vel *pietatis affectum* in proximum promouet. Nam vt optimè *Stapletonus* infra citandus, *Hic eſt finis datæ infallibilitatis, publica* ſcilicet *ſalus fidelium*: Et ideò Poſſidonius refert de *Auguſtino* quod *dum Sanctorum Concilia Sacerdotum per diuerſas Prouincias celebrata cum potuit frequentauit, non in ijs quæ ſua ſunt, ſed quæ Ieſu Chriſti quærens: vt Fides ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ inuiolata maneret,* &c. Hoc quærendum eſt & tunc errari non poteſt. Et ideò benè

Almaynus

Digitized by Google

Almaynus qui licet ſemper defendat Infallibilitatem Conciliorum Generalium, tamen in Tractatu de ſupremâ poteſtate laica hanc interponit ſententiam: *ſed non opus quod Spiritus ſit principalis director omnium aliorum quæ ſunt in Concilio, puta iudiciorum intellectus ſpeculatiuorum.*

CAPVT VI.

An Philoſophica quâ talia poßint definiri; vbi multa abſtruſiora in Philoſophicis exponuntur.

1. HVc denique à fortiori referri poſſunt omnes quæſtiones Philoſophicæ, qua tales, etiam ex Sacris Scripturis ſic vel ſic expoſitis petitæ: nullibi enim extat promiſſum de ſpeciali Spiritus Sancti illuſtratione, in expoſitione Scripturæ in ordine ad Philoſophica, ad ſalutem & pietatem parerga, vt etiam rectè notarunt Pariſienſes in Theſibus prænominatis cum communiori Doctorum poſt *Auguſtinum l. 2.* de Gen. ad lit. *c. 9.* vbi poſt multa ad hoc propoſitum ſubtiliter dicta concludit. *Breuiter dicendum eſt, de figurâ cæli hoc ſciſſe authores noſtros, quòd veritas habet: ſed Spiritum Dei, qui per ipſos loquebatur noluiſſe iſta docere homines, nulli ad ſalutem profutura.* Quid clariùs? *Gabriel* etiam *2. d. 25. q. 1. dub. 2.* ſcribit multas eſſe naturales veritates Apoſtolis à Spiritu Sancto ſuggeſtas, vt etiam in ipſis Scripturis patet; ſed vt notauit *Auguſtinus* non ſunt nobis ad ſalutem profuturæ, & ideò ſine dubio Eccleſiæ non reuelatæ. Deinde *Auguſtinus* in eodem loco c. 10. *De motu cæli nonnulli fratres quæſtionem mouent:* poſt multa dicit: *Quibus reſpondeo, multùm ſubtilibus & laborioſis rationibus iſta perquiri, vt verè percipiatur, vtrùm ita, an non ita ſit, quibus ineundis atque tractandis, nec mihi iam tempus eſt, nec illis eſſe debet, quos ad ſalutem ſuam & ſanctæ Eccleſiæ neceſſariam vtilitatem cupimus informari.* Hæc *Auguſtini* loca non ineptè congeſsit *Galileus*, ſi Opus eius fuerit: ſaltem in defenſionem ſui Dogmatis editum fuit. Si igitur non fuerit ad ſalutem pertinens, nec Eccleſiæ neceſſaria vtilitas: nec à Spiritu Sancto,

Digitized by Google

nec à Sanctâ Eccleſiâ certò informari cupiendum eſt, ſecundùm Auguſtinum. An non hinc concluditur talia non eſſe fundamentalia, ſcilicet quia non neceſſaria?

Petrus d'Aliaco optimè diſtinguit huiuſmodi ſubtiles Quæſtiones à doctrinâ Chriſti, vbi in Tractatu, quem vocat, *Principium in curſum Bibliæ* quatuor dicit eſſe genera Quæſtionum: Primò quædam ſunt Quæſtiones ſubtiles & ſtudioſæ: Secundò quædam ſunt difficiles & curioſæ: Tertiò quædam ſunt ciuiles & contentioſæ: Quartò quædam ſunt vtiles & virtuoſæ. Primum quæſtionum genus ſolet diſputari in ſcholâ theoricâ Philoſophorum: ſingulis reliquis ſuas ſcholas aſsignat: ad quartum verò deueniens, dicit, quòd ſolet pertractari in ſcholâ Catholicâ Theologorum. Si igitur tàm vtilitas quàm ratio virtutis requiratur ad ſcholas Theologorum, quid ad Concilia Patrum? Pulchrè *Baſilius* hom. 9. in Hex. hanc ipſam tradit doctrinam & tandem concludit, *Quæ nihil ad nos attinent, vt inutilia nobis, ſilentio prætermiſit & ea duntaxat* conſcribi voluit, quæ ædificandis animabus & in tranquillo ſtatu conſtituendis *apprimè* fore vtilia præuouerat. In iudicio *Magni Baſilij* non quæuis vtilitas ſufficit, ſed debent eſſe *apprimè* vtilia &c. Sed quid hæreo in *Baſil.* aut *Aug.* cùm ipſe Spiritus Dei hoc atteſtetur, *Eccleſ. c.* 3. vbi dicitur, *Deum tradidiſſe mundum diſputationi eorum, vt non inueniat homo opus, quod operatus eſt Deus ab initio in finem.* Deus igitur tradidit mundum, id eſt naturalia *hominum diſputationi,* non infallibili *definitioni*, quia additur, vt non inueniat homo, &c. Et vt etiam habetur *Eccleſ. 7. Procul eſt quod factum eſt & profundum, quis inueniet illud?* Intelligendus eſt totus noſter hâc de re diſcurſus ſecundum quod poſui in titulo, nempè de Philoſophicis *puris* & in quantum talia ſunt; nam aliàs aliquæ quæſtiones ſunt ex principijs Philoſophicis agitatæ, ſed in ordine ad ſalutem non paruæ, & ideò non ſunt eliminandæ. Inſtantiæ ſunt obuiæ. His igitur miſsis, ad priora reuertar.

Dabo vnum exemplum in naturâ, quod erit inſtar omnium, nempè ex cuius ſolutione pendet ferè totius huius machinæ mundialis diſſolutio, ſaltem reſolutio.

Inter

Digitized by Google

Inter omnes quidem hactenus in diuerſis licet ſcholis Philoſophantes concordatum eſt, ad ſapientiſſimum hunc quem videmus rerum ordinem & συμμετρίαν, qua ima ſummis, licet infinitis fermè interuallis inter ſe diſtantibus, admirabiliter adglutinantur, aliquid harum partium continuatiuum interuenire debere: Quid vero illud ſit, vel quo modo hanc admirabilem ſtructuram Athlanticis ſuis humeris ſuſtentet, nunquam ſolubilis oritur perplexitas.

Per viginti ferme ſæcula hoc eſt vigeſies mille curſus ſolares, vel ſecundum alios tot terræ annuos motus, inualuit & vniuerſum fermè Philoſophantium mundum occupauit Peripateticum dogma de ὁμογενέια & ὁμοιομερέια cœlorum & ſtellarum, totum illud quod corpus cæleſte vocamus, homogeneum & ſolidum volunt; ſub Luna verò, elementis & Heterogeneis ſubſtantijs locum aſſignant. Modus vniendi talis eſt, quod conuexa vnius ſuperficies, alterius concauæ includitur, vndè hîc craſsities, ibi tenuitas aliqua reperitur. Hinc etiam illæ Cœlorum diuiſiones in primum mobile, Cœlum Empyreum, &c. hinc etiam adinuenti ſunt Circuli quos vocant Epicycli, Excentrici, &c. hinc motus trepidationis & infinita alia explicatu difficilia. Tandem ex conſequio horum, terram mundi centrum aſtruunt, & illâ immotâ, omnia alia circumuolui putant. Hæc dico ſententia, ſi vel proſequacium multitudine, vel primæ inuentionis antiquitate expendi debeat, diceres rem eſſe certam, & iam penitus actam. Omnes enim Scriptores libros hac opinione referſerunt.

Non deſunt verò alij, & illi in re Philoſophicâ præſertim quoad partem illam (quæ quidem eſt longè principalis) Coryphæi, qui hæc omnia rident, & veritati atque mundanorum Corporum naturis repugnare judicant, quippè penetrationem Corporum illorum quæ ſolidiſsima prædicant, neceſſario vel inuiti concedent; vel vt loquuntur illi, omnigenam in vniuerſo ἀκινησίαν ſeu immobilitatem: demum per manifeſtas experientias à nuntijs vt vocant Syderijs, ſeu perſpicillis Mathematicis, prorſus conuelli aſſerunt.

Dicunt igitur per vniuerſum eſſe diffuſam fluidiſsimam, tenuiſsimamque ſubſtantiam, quæ eſt ad inſtar aëris noſtri, & eſt nexus Corporum

porum illorum ſolidorum, ſcilicet Stellarum & Planetarum, & illa ſuperiora ambit, ſicut aër noſter corpora noſtra & terram, quod clarè depingit *Cicero l. 2.* de Natura Deorum, & ætherem vocant. In illa fluidâ materiâ, Corpora ſuperiora mouētur aut quieſcunt, pro ratione ſuarum Naturarum, ſicut ponunt Solem quieſcere & eſſe Centrum vniuerſi, circa quod reliqua mouentur, & quo propius ad illud ſunt, velociùs mouētur ſicut experimur in Sphæra artificiali, & inde Stellæ fixæ tardiſsimè mouētur ſi omninò moueantur, fortè enim ſolum ſecũdum exteriores partes aut ſuperficiem, ſicut aliqui admittunt de Sole, propter Rotationem ſui Corporis circa axem vt loquuntur, & conſequenter terram ad numerum Planetarum euehunt. Imò aliqui vndecim, alij tredecim Planetas volunt; Solem & Stellas fixas ſcilicet: centrum & circumferentiam mundi innatam habere lucem facilè volunt, reliqua omnia mutuare ab illis, præcipuè à Sole, qui in orbem diffundit; quia luce mediante eructantur euaporationes ex illis Corporibus & eleuantur, ſicut videmus è terrâ, & pariformiter ibi, ſicut hic, aliquando fiunt Cometæ ex abundantiâ exhalationum. Nimirùm Phænomena quæ apparent, Stellas non eſſe, patere putant, quia citò oriuntur, citò euaneſcunt. Cometæ ſublunares non ſunt, quia per tubos opticos experiuntur, eas longè altius moueri, ſaltem non omnes eſſe ſublunares demonſtratum iam olim autumant: Ex his rationibus & experientijs quas putant demonſtratiuas, periclitabitur Cardo Peripateticus: Pro vtriſque tamen ſententijs afferunt ſcripturas, & hinc Dialogiſta Dominus *White* in alio opere *De mundo* reſpondens ſcripturis quæ adferri ſolent contra motum terræ poſt alia dicit, *Quantùm linguarum ſcientia ad proprietatem vocum intelligendam adhiberi debet, tantùm ſcientiæ naturalis & Mathematicæ ad ea loca quæ ab his pendent: & quanta temeritas foret ſine Grammatica velle nobis Idiotiſmos indicare, tanta eſt ad hæc loca ſine idonea ſcientiarum ſupellectile ſe accingere. Tandem immanis eſt ſceleris, quod tuâ inſcitiâ vel barbariâ hallucinaris, id velle in Fidei regulam & legem Doctrinæ Chriſtianæ ſuper verticem omnium fidelium erigere.* ſcilicet ſumere voces ſcripturæ ſemper iuxta vocum proprietatem. Ex quibus apparet quam fluida & incerta eſt Phiſophia noſtra, & quam cautè

& parcè

& parcè pro controuerſijs illis Sacræ Scripturæ ſint adducendæ. Hanc quam hîc tetigi quæſtionem, & diuerſas virorum philoſophantium eâ de re, quas expoſui opinationes vidit *Auguſtinus*, & à ſuis fratribus pulſus, loco citato *l.2. Geneſ.* 10. De motu terræ, An ſcilicet terra in orbem gyraret, cælo manente immobili, ſoluere noluit: imò nec inquirere dignatus eſt, licet illo in loco commentando ſcripturas opportunum ei fuiſſet. Tandem nemo neſcit quantum inualuit celebris opinio de lumine Lunæ *mutuato* à Sole, quod tamen apud peritiores, vt æſtimari volunt, Philoſophos irridetur. Volunt verò lumen educi de potentiâ materiæ Lunæ per actionem Solis, adeò vt corpus Lunæ ſit formaliter luminoſum; & quod conſequens eſt, ipſum proprio lumine illuminet hæc inferiora, non verò aliundè emendicato; & in his obtenditur Scriptura.

Diuerſæ etiam Opinationes quo ad rationem Muſicæ ſemper recrudeſcunt, vt facilè eſt obſeruare inter antiquos & modernos Philoſophos, Quod Muſica conſideret *Sonum* apud omnes in confeſſo eſt: ſed Pythagorici æſtimauerũt differentias ſonorũ eſſe in motibus cæleſtium corporum. Iudæi poſuerunt Muſicam mundanam de ſono cæleſti. Sed *Ariſtoteles* probat 2. de cœl. & mun. Quod nullo modò poteſt ſonus generari in cœleſtibus, & quod *Pythagoras* errauerit, propter quod alij ſubtiliùs philoſophantes, dixerunt, Quòd Muſica mundana non eſt ex ſono cæleſtium corporum, ſed ex ſono generato ex radijs corporis cælorum, dicentes ſonum tripliciter generari: ſcilicet ex colliſione duri cum duro, de quo eſt muſica inſtrumentalis: vel ex motione Spirituum ad vocalem arteriam, de quo eſt muſica humana, vt in voce hominis: vel ex radijs rarefacientibus aërem, de tali ſono eſt Muſica mundana, vt magni viri dixerunt. Contra quos efficaciter ſic arguit *Baconus noſter*, quia etſi eſſet ſonus ex radijs, non eſſet cantui & inſtrumentis conformandus in delectatione auditus: ſed muſica non conſiderat, niſi de his quæ motibus conſimilibus poſſunt conformari cantui & ſono inſtrumentorũ in delectatione ſenſus, &c. Addit benè, Quòd non omnis rarefactio aëris generat ſonum, ſed quæ cauſatur ex motu percuſſionis, &c. Præterea rarefactio radij inducit calorem &

Digitized by Google

ad hoc eſt ordinata, ſonus verò eſt alterius generis. Tandem quis ignorat Pythagoreorum ſententiam poſſe in apparentiâ confirmari ex ſcripturis.

Aliud exemplum erit in re magis obuia, & tamen grauiſſima. Hactenus ex principijs Peripateticis per totum Philoſophantium & Theologizantium mundum obtinuit, & ipſum mundum oppleuit, Dari accidentia realia, & realiter diſtincta à ſubſtantijs, etiam in quibus ſubiectantur, ſaltem mediante quantitate, cuius contactus, formalis ſcilicet vel virtualis (vt loquuntur) ad omnem & omnium ſenſuum affectum requiritur.

2. Nunc verò inualuit alius planè diuerſus Philoſophandi modus: Accidentia realia realiter à ſubſtantiâ diſtincta non agnoſcunt, quòd de quantitate iam olim docuerat *Occhamus*. Contactum quidem omnium ſenſuum ad ſuperficiem ſeu ſuperficies variè ſcilicet diſpoſitas fieri concedũt: v. g. colorem ſaporẽ, grauitatẽ, & reliqua omnia quæ ſenſus mouent à ſolâ extima corporum ſuperficie dependere volunt, ſicut omnem actionem corporis ad corpus, & etiam paſsionem. Quoad affectionem ſenſuum, ferè omnes Peripatetici concedunt fieri vel per immediatum contactum ſuperficiei ab ipſo Organo, vel mediante aëre, alijſúe *corporibus*, vel, vt alij, ſpeciebus intentionalibus: vndè hîc non differtur; Superficiem verò eſſe quantitatem corporis vel corporum circumiacentium negant, ſed eſſe terminum dimenſionum corporis quod ſentitur, ſeu qui concipitur eſſe medius inter ſingulas corporis particulas, quæ plerumque ſunt diuerſæ, & diuerſas habent figuras & motus, nec ſic jungũtur, quin multa interjaceant ſpatia repleta aëre, vel alia materia, vt in pane videmus: & ideò ſuperficies panis reſpondet illis diuerſis particulis diuerſarum ſubſtantiarum. Imò putant hanc doctrinam multò veriùs & faciliùs conſiſtere cum fide, quam poſitionem accidentium realium, &c. & ideò quòd dicitur in *Trid. ſeſſ.* 13. *Tranſſubſtantiationem fieri, manente duntaxat ſpecie panis*, per ſpeciem intelligunt *ſuperficiem* de qua ante. Addunt ex hâc poſitione ſequi, Corpus Chriſti neceſſariò contineri

Digitized by Google

contineri accuratè ſub eâdem ſpecie, ſub quâ contineretur panis ſi adeſſet: quòd quidem facilè poteſt cōcipi, poſito Antecedente: Putant denique difficulter (ſi omninò) concipi poſſe, Accidētia realia exiſtere pereuntibus ſubſtantijs: *Quia nihil reale poteſt intelligi remanere niſi quod ſubſiſtat, & quamuis verbo vocetur accidens, concipiatur vt ſubſtantia*, &c. Video viros non infimæ conditionis hanc doctrinam amplecti, imò à pleriſque celebrari, & tàm hi quàm illi ſuas opiniones ſcripturis & veritati conformiores jactitant.

Sic etiam de famoſâ illâ opinione olim vulgatiſsima, De intellectu agente, nimirùm quòd ſit Deus, philoſophantur multi: de quâ re agens vir longè doctiſsimus (quem cùm in diuerſis ſuis operibus lego, obſtupeſco, ſiue quando Scientias vel naturales, vel Theologicas tractat; ſiue quando peritiam linguarum Orientalium in ſcripturis præſertim exponendis oſtendit) *Rogerius* noſter *Baconus* in tertio ſuo Opere *Clementi Pontifici* inſcripto *c.* 23. fuſè probat, & tàm quoad rem ipſam, quàm quoad ſenſum *Ariſtotelis* 3. de animâ, intellectum agentem principaliter eſſe Deum, ſecundariò Angelos, ſic loquitur poſt multa. *Volens igitur Ariſtoteles oſtendere quod ad effectum ſcientiæ & intellectus, duo requirantur, Agens ſcilicet, qui eſt illuminans, & materia patiens ſeu recipiens illuminationem:* probat hoc per ſimile in omnibus; nam in omni effectu & operatione duo requiruntur, efficiens & materia recipiens actionem efficientis, & non ſolùm in naturalibus, ſed in artificialibus: Vt artifex ad materiam in quam operatur, & lux ad viſum & colores videndos, pro exemplo naturali: & cum in omnibus ita ſit, erit ita à parte animæ & in operatione intelligendi; vndè oportet quod anima humana ſit nata recipere illuminationes ab agente, & quòd aliquod agens in anima concedatur, quod illuminet eam per quoddā lumen ſpirituale, ſicut *lux Solis viſum*. Fuſè hoc proſequitur ad mentem, vt contendit, Ariſtotelis, & dicit, quod *omnes ſapientes* antiqui & qui adhuc remanſerunt vſque ad tempora *noſtra, dixerunt, quod fuit Deus.* Addit. Vnde ego bis audiui venerabilem Antiſtitem Pariſienſis Eccleſiæ, D. Gulielmum Aluernienſem, congregata vniuerſitate coram eo, & probauit quod *Omnes errauerunt*, &c. *Cajetanus* quidem dicit hoc

cit hoc non eſſe contra Fidem; non tamen hodiè tenetur, imò oppoſitum vbique docetur, tàm ad mentẽ Philoſophi, quàm in ſe, eſſe verum. Vult tamen ipſe, quod ſicut *Carpentator* eſt extrà materiam ſecundum ſuam eſſentiam, & non ſunt artifex & materia pars eiuſdem rei, nec lux Solis & color quem illuminat: ſic in propoſito. Vlteriùs autem ſic probat eſſe ad mentem Ariſtotelis, quia *verſus finem capitis docet,* Quod intellectus agens eſt ſeparatus à poſſibili ſecundum ſubſtantiam, & ſecundum eſſe, quod omnia ſcit & ſemper eſt in actu, & hoc non poteſt eſſe creatura, ſed *Solus Deus.* Addit, *& hoc per Auic. & Alphab. & multas rationes probo.* Quinimmo hoc auguratur eſſe conformius ſcripturis ſanctis, vt ibidem in præcedentibus patet. Tandem ſolemnis illa, nec minus antiqua ſententia De *animatione cælorum* quæ adeò obtinuit apud *Pythagoram*, *Platonem*, *Ariſtotelem* & omnes fermè antiquos Philoſophos, nunc ferè extincta eſt in Scholis. *Aureolus* noſter accuratè eam diſcutit *l.* 2. ſent. *d.* 14. *a.* 2. Et tandem omnibus grauiſsimè ponderatis in oppoſitum, ſic reſoluit. *Sed iſtis rationibus non obſtantibus, quòd intelligentiæ mouentes vnitæ ſint corporibus, non videtur Fidei repugnare, nec veritati Scripturæ obuiare.* Quod etiam tenet *Cajetanus.* Et certè qui hodie hoc tenent, non ſolum innituntur rationibus, quas prætendunt Philoſophicis; ſed quibuſdam S. Scripturæ textibus: licet alij, & illi multò frequentiores & celebriores, qui negant cœlorum animationem, etiam præter rationes vrgentiſsimas, Scripturas adferant.

Benè igitur dicit R. Moſes. *Ita explicandos eſſe verſiculos Diuinarum Literarum, vt non repugnent infallibili demonſtrationi; cùm enim lex ſit ſumma veritas, nihil debet continere quod non conueniat cum ratione.* Ac etiam *Menaſſeth* Problem. 5. De Creatione idem prorſus habet.

3. Ab altera etiam parte expendi debet *Auguſtini* diſcurſus Ep. 7. *Si ratio contra diuinarum Scripturarum authoritatem redditur, quantumlibet acuta ſit, fallit veriſimilitudine: nam vera eſſe non poteſt.* Secundum illud quod habetur contra quoſdam profanos Philoſophos in Conc. Lateran. ſub *Leone* 10. Seſſ. 8. *Cum verum vero minimè contradicat, omnem aſſertionẽ veritati illuminatæ Fidei contrariam, omninò falſam eſſe definimus,* &c.

Hæretici

Digitized by Google

Hæretici igitur ſunt, & pro talibus habendi, vt in eâdem Seſsione declaratur, Qui *temerè philoſophantes ſecundum ſaltem Philoſophiam verum eſſe aſſeuerant, quod Fidei aduerſatur.* Et ideò optimè *Baſilius* hom. 1. in Hexam. *Simplicitas Fidei, rationalibus demonſtrationibus plus apud te obtineat.* Idem etiam fusè & optimè docet in Pſalmo. 115. digniſſimus eſt lectu. Sed reuertar ad priorem *Auguſtini* locum, nam ratio ejus maximè attendenda eſt, vtique non ſolum de Philoſophis: ſed de quibuſlibet curioſis ſeu non neceſſarijs, & ideò *non fundamentalibus* prorſus concludit; vt v. g. ſi Concilia vellent definire aliquas ſubtilitates Scholaſticas, quarum numerus eſt infinitus, & licet fuerint ad ingenia exercenda, pro Scholis magno vſui & fructui: ad ſalutem verò fidelium parum vel prorſus non omninò vtiles; *Spiritus Dei* ſecundum Aug. *noluit iſta docere homines*, &c. igitur ſi Eccleſia in his erraret non multum mirandum. Et ideò Tridentinum recuſauit determinare multas materias, quæ proponebantur diſcutiendæ, vt patet in Hiſtoria & in ipſis actibus Tridentini, ſpeciatim Seſsione vigeſima prima in fine Canonum *De Communione ſub vtraq; ſpecie & paruulorum.* Vbi ſaltem diſtulit in aliud tempus, nec poſteà definiuit.

4. Et hîc obſeruandum, quod licet in quæſtionibus, magis curioſitati ingeniorum quam fidelium ſaluti inſeruientibus, poteſt eſſe identitas, ex parte obiecti cum articulis antiquitùs reuelatis: tamen haud putandum eſt illas ad fidem euehendas eſſe, quia præter illam realem identitatem requiritur concurſus Dei ſupernaturalis ad hoc vt infallibiliter explicetur per diſcurſum illa identitas, vt fusè ſuo loco explicaturus ſum. Nullum autem eſt fundamentum dicendi quòd Deus ad ſuperflua ſic concurret ſecundum *Auguſtinum* & veritatem: ſecundum illud Eccleſiaſtici c. 3. *In ſuperuacuis rebus noli ſcrutari multipliciter, & in pluribus operibus eius non eris curioſus. Plurima enim ſuper ſenſum hominum oſtenſa ſunt tibi.* Niſi Deus igitur oſtenderit, non eſt curioſiùs ſcrutandum, nec Deus oſtendet ſuperuacua, quæ prohibuit nos ſcrutari. Hæc igitur licet ſcrutando poſsint à Concilijs inueniri, & verè determinari, nunquam tamen inter *Fundamentalia*, quia non neceſſaria numerari poſſunt. De cuiuſmodi rectè *Arnobius* l. 2. *quæ neq;*

Digitized by Google

ſcire, compendium; neque ignorare detrimentum eſt vllum, Remittite hæc Deo, atque ipſum ſcire concedite, Quid, Quare, aut vndè ſit, debuerit eſſe aut non eſſe, &c. veſtris non eſt rationibus liberum implicare vos talibus, & tàm remotas inutiliter curare res. Poſtea. *Deponite has curas, & incognitas vobis relinquite quæſtiones.* Et vt optimè *Baſilius* hom. 25. De humanâ Chriſti generatione. *Taceant Curioſi & in Eccleſia Dei ſuperuacanea veſtigare deſiſtant. Laudentur quæ nobis concredita ſunt, ac de quibus ratio omninò non redditur, ne veſtigentur.*

CAPVT VII.

An ſolæ Scripturæ ſufficiant pro fundamentis Fidei.

1. ALiqui fuerunt, qui dicuntur exiſtimaſſe illa ſola *fundamentalia*, quæ expreſsè in ſacris literis continentur, vel inde legitimè deducuntur. Sed vt olim *Greg. Niſſ.* vel potiùs *Baſilius*, cuius opus imperfectum perfecit *De hominis Opificio.* c. 12. *Ne horum quidem orationi ſic aſſentiemur, vt non priùs in eam inquiramus.* Pro hoc citatur grauiſsimus *Branduuardinus*, De cauſa Dei l. 1. c. 1. parte Corol. 32. fol. 29. §. *Scio*, vbi hæc habet verba, *Scio & confidenter me ſcire affirmo, quòd non eſt articulus aliquis magnus vel paruus de ſubſtantia Fidei Chriſtianæ, quam Deus non prius reuelauit, ſicut euidenter oſtendunt libri authentici noui & veteris Teſtamenti*, &c. vbi de traditis non ſcriptis, nihil. *D. Thom.* etiam 2. 2. q. 1. a. 9. & 10. Videtur fauere, vbi inter reliqua dicit, *In Doctrina Chriſti & Apoſtolorum, veritas Fidei eſt ſufficienter explicata. Scotus* hoc ipſum habet in Prologo, quem ſuperiùs citaui. *Gerſonius* ſermone in die Circumciſionis dicit, *Scripturam ſufficere pro regimine Eccleſiæ, alioquin Chriſtus eſſet Legiſlator imperfectus.* Multa ſubindè habet loca quæ excluſiua videntur omnium Traditionum non Scriptarum. Infinitus eſſe poſſum, in textibus Doctorum, ſed verè ſunt Locutiones *tranſcurſiuæ* non adæquate eorum hac in parte declarantes ſententiam, vt poſtea patebit.

Ricius

Digitized by Google

Ricius tamen in Compendio, *De animâ Cæli* in fine primi Thematis, planè hoc aſſerit dum ſic loquitur agens de animatione Cæli. *Nec omninò hæreticum eſſe poteſt, Illud enim hæreticum eſt, cuius contrarium vel expreſsè, vel per modum conſequutionis in Scripturâ traditur, ſed cælum eſſe inanimatum, nullo loco Scripturæ conſtat: ideò non eſt hæreticum dicere animatum eſſe*. Hæc ſunt eius verba, nec obiter prolata, ſed medulla totius illius Thematici diſcurſus in illis eſt verbis. Sed fortè dici poteſt eum ſolum intelligi velle, de veritatibus reſpectu quarum nullam habemus traditionem, conſtat enim quod in huiuſmodi nullum argumentum valet, quòd non fuerit ex Scripturis petitum.

Citatur etiam *Albertus Magnus* 1. ſent. d. 11. a. 7. *Regula Fidei eſt concors Scripturarum ſenſus cum articulis Fidei: Quia illis duobus regularibus præceptis regitur Theologus*. Non habeo *Albertum* ad manum, & ideò haud ſcio quòd reſpondeam, niſi vt lectorem commonefaciam, ibi nullum inueniri terminum excluſiuum; non vtique dicit quòd illis duobus regularibus præceptis *tantùm* regitur Theologus, quòd tamen annecti vel ſubnecti debuiſſet, vt illud euinceret.

Cameracenſis etiam in commendatione Sacræ Scripturæ, poſt alia ad hoc propoſitum dicta ſic progreditur, *Sed audite inſuper qualiter ſuper Sacræ Scripturæ fundamentum tota hæc doctrina ædificatur, & inſtruitur omnis Eccleſiæ cætus, omnis ſtatus, omnis gradus, omnis ſexus*, &c.

Primâ quidem facie videtur in illo Tractatu vnicè collimare, vt oſtendat omnem veritatem, quæ eſt de neceſsitate Fidei, contineri in Scripturis: vbi tàm fundamentum, quàm incrementum & complementum ædificij Chriſti dicit ſolis haberi in Scripturis. Sed per Scripturas intelligit omne verbum Dei; dicit enim prope finem, quòd per *diuini eloquij verba defenditur Ciuitas Dei aduerſus Ciuitatem diaboli*: Poſtea: *per hæc itaq; arma, hoc eſt per diuini Sermonis & Sacræ Scripturæ documenta, Eccleſia pugnando vincit*, &c. Omnis igitur diuinus Sermo ſiue ſcriptus, ſiue non ſcriptus fuerit, habet rationem documenti Eccleſiæ. Sed vt nulla ſuperſit de eius mente dubitatio, In quæſtione quam vocat, *De reſumpta*: adfert alium Doctorem Catholicum ſic contra eum agentem. Hic enim dicit, *quòd miratur de modo arguendi,*

quem feci in primâ ratione, dicendo, hoc non habetur ex Sacrâ Scripturâ, igitur temerarium eſt aſſerere : Nam multa circa materiam Trinitatis & Corporis Chriſti tenemur credere, quæ Sacra Scriptura non expreſsit, ſed per doctrinam vocalem Apoſtolorum & traditiones Eccleſiæ ad nos peruenerunt. Cui ille. *Ad hoc reſpondeo, Quòd in materiâ de qua loquimur, non erat opus de hoc expreſſam mentionem,* &c. Vbi ſatis oſtendit non ſolùm ſcripta, ſed vocaliter tradita habere rationem *Fundamenti.*

Denique recens quidam Author *Dominicus Lopez* in præfatione ad ſuum Tractatum *De authoritate Sacræ Scripturæ* dicit. *Continet hoc ſacrum verbum, æquitatis ac juris fundamenta omnia, & complectitur omnia quæ ſcitu vtilia ſunt, elegantiſsimâ Oratione pertractata,* &c. Putem eum nihil noui velle dicere, licet hæc eius verba poſteriora rigidè ſumpta, ſint minùs diſcretè prolata; dicit tamen fol. 40. multa in Euangelio *ſcripta non fuiſſe, quæ non minùs quam ſcripta ad eam religionem pertinent.* Subobſcurè quidem loquitur quaſi in alienâ, non ſua perſona hoc dicat, intelligit tamen ſi rectè mentem eius capio (vt capio) hoc aſſeri ab omnibus Catholicis.

De mente *Doctoris ſubtilis* locis ſuperiùs citatis abundè conſtat. Specialiter verò ſic loquitur in prologo q. 2. *Origenes in hom. de Arcâ Noë* dicit. *Nulla Scientia omnia ſcienda explicauit: ſed illa ex quibus poſſunt alia ſufficienter elici. Vndè multæ veritates neceſſariæ non exprimuntur in Scripturâ, etſi ibi virtualiter contineantur, ſicut concluſiones in principijs, circa quarum inueſtigationem vtilis fuit labor expoſitorum & Doctorum. Diuus Thomas* in eodem loco ab articulo 7. ſatis explicat ſeipſum, quia dicit ſolùm omnia implicitè ſeu remotè in Scripturis haberi, quæ oſtendit; & tãdem a. 8. maximè attribuit authoritati Eccleſiæ, etiam in rebus Fidei, vbi neceſſariò *Traditiones* intelliguntur. Sic etiam *q. 5. a.* 3. iungit cum *Scripturis Sacris doctrinam Eccleſiæ.* Alia etiam apud eum loca alibi expendam. Non tamen tranſilire volo quòd habet. 2. 2. *q.* 1. *a.* 10. ad ſolutionem primi, vbi planè mentem ſuam aperit his verbis. *In doctrinâ Chriſti & Apoſtolorum, veritas Fidei eſt ſufficienter explicita: ſed quia perverſi homines Apoſtolicam doctrinam & cæteras doctrinas & Scripturas peruertunt ad ſui ipſorum perditionem, ſicut*

dicitur

Digitized by Google

dicitur 2. Pet. vlt. Ideò neceſſaria fuit temporibus procedentibus explicatio fidei contra inſurgentes errores.

Braduuardinus ſolùm oſtendit Articulos Fidei radicales, ſcilicet ſymbolo contentos, poſſe ex Scripturis deduci, & alia radicaliter in Sacro Codice implicitè contineri, hoc eſt remotè, dicit enim non ſolùm in nouo Teſtamento, ſed veteri haberi. Quòd manifeſtè declarat, ipſum loqui de principijs valdè generalibus, non autē quòd ibi formaliter habeantur; nemo enim neſcit in Scripturâ veteri multos ex articulis noſtris non ſpecificè haberi, ſed ſufficit quòd non contraueniant. Intuenti eius textum, omnino patebit ipſum nihil contra veritatem aſſerere. Imò *Hieronymus* ad *Euagrium* dicit etiam *Traditiones noſtras* ex veteri Teſtamento erui, verba ſunt. *Et vt ſciamus Traditiones Apoſtolicas ſumptas de veteri Teſtamento, quòd Aaron & filij eius, atq́ Leuitæ in Templo fuerunt; Hoc ſibi Epiſcopi & Presbyteri, & Diaconi vendicent in Eccleſiâ.* Aliquæ igitur Traditiones indè rectè petuntur, ſicut aliqui alij Fidei Articuli, ſed non omnes.

Gerſon *De veritatibus de neceſſitate ſalutis credendis*, ſuum ſenſum abundè aperit, quē ſuo loco exponā. Vt verum fatear, reperi Sectarios etiam ſolemniores, plus hâc in materiâ impegiſſe, quam in quauis alia, leuiter ſcilicet imponendo Doctoribus noſtris Scholaſticis, & ſubinde veteribus, Quòd ſufficientiam Scripturarum ſine Traditionibus prædicarent. Et hoc inde proueniſſe exiſtimo, quod vnum textum, alijs eorundem Doctorum non comparauerint, vt ferè in ſingulis videre eſt, quos ſuperuacuaneum eſt adferre.

Occhamus tamen hanc ſententiam proponens, non vt improbabilem reijcit, quinimò ex multis *D. Auguſtini* & *Hieronimi* authoritatibus confirmare contendit. 1. *p. l.* 1. Dialogi. Nullo tamen modo intelligit id, ad quod nequiter aliqui ipſum contorquent, quaſi omnes omninò reijciat *Traditiones*: nam eas ſaltem admittit, quæ tangunt & vehunt ſenſum Scripturæ, vt alibi oſtendo, nec verba hîc citanda illas excludunt. Hanc tamen adfert rationem. *Non minùs ſufficiens pro fidelibus Chriſtianis, eſt nouum Teſtamentum, vnà cum veteri, quam fuit ſolummodo vetus Teſtamentū pro Hæbræis: ſed tota Fides ad quam aſtringebantur*

Habræi, fuit expreſſa in veteri Teſtamento, ergò & tota Fides, ad quam de neceſſitate ſalutis, Chriſtiani tenentur & arctantur, in nouo Teſtamento & veteri continetur. Ergò Chriſtianus de neceſsitate ſalutis non tenetur credere, quòd nec in Biblia cõtinetur, nec ex ſolis contẽtis in Bibliâ poteſt conſequentiâ neceſſariâ & manifeſtâ inferri; hæc mens eſt eius.

Fuerunt etiam alij ipſo poſteriores ex eâdem ſcholâ, qui hanc docuiſſe dicuntur, vt *Henricus à Zomeren* olim Decanus Antuerpienſis pro hoc citatur in ſuâ Epitome Dialogi *Occhami*; vbi hanc ſententiam referre dicitur inter alias de hâc re opiniones Catholicas & toleratas; & addit, quòd reliqua omnia, quæ à Concilijs definiri videntur, non ſunt ſic dicendæ Catholicæ veritates, quòd neceſſe ſit eas ad ſalutem firmiter credere, aut propter eas, rationem & intellectum humanum captiuare. Sed illis ad tempus miſsis, nam alios eiuſdem ſententiæ fautores fortè adducam & omnes ſimul ponderabo. Interea igitur.

2. Ad priora reſponderi poteſt, Traditiones comprehendi ſub Euangelio, vt latiùs mox patebit. Dici etiam poteſt, vt in argumento proponitur, pari paſſu procedere ſufficientiam noui & veteris Teſtamenti. In Synagogâ enim, ad ſenſum Scripturæ aperiendum, recurrebant ad *Sacerdotes*, vndè Exod. 24. *Habetis Aaron & Hur vobiſcum, ſi quid natum fuerit quæſtionis, ad eos*, &c. Sic in Euangelio, dum quæſtiones de Euangelij ſenſu exurgunt, ad *Sacerdotes* nempè ad *Eccleſiam*, recurrendum: vbi ſenſus, licet innolutiſsimus cuſtoditur, quicquid in oppoſitum muſsitet *Caluinus*. Contra quem agens *Horantius l. 2. c. 29.* optimè hunc nodum ſoluit, his verbis, *Scriptura Diuina (quæ niſi Eccleſiaſtica authoritas accederet nunquam à nobis Diuina haberetur) continet aut in Principijs, aut in concluſionibus, expreſſè vel per conſequutionem, in genere, ſiue in numero, explicitè aut occultè omnia Fidei noſtræ dogmata & Chriſtianæ Religionis obſeruationes*, & in hoc ſenſu etiam Traditiones includuntur, & quæ ex illis conſequuntur. Deniqne dici poteſt, & quidem veriſsimè, amplam eſſe differentiam inter Synagogam & Chriſti Eccleſiam, quoad præſens inſtitutum de Traditionibus, ſeu de lege ore tradita: nam in toto Pentateucho non memini quòd ſemel ſit mentio Legum vel Præceptorum ore Traditorum ſal-

tem

Digitized by Google

tem rarò remittitur populus Dei ad Traditiones non ſcriptas, cùm tamen magnopere totius populi intereràt, ſi tanta præpolleant authoritate Thalmudicæ leges, vt deprædicant *Rabbini hodierni*. Scio quidem *Scaligerum* apud *Grotium* in conſultationem *Caſſandri*, dicere eſſe impoſsibile intelligere veteres Scripturas ſine Traditionibus, quod etiam puto verum; nec obſtat dictis meis. In nouo verò Teſtamento remittimur expreſſè ad præcepta, etiam *verbo* tradita. 2. Theſ. 2. Et Act. 15. 16. Vt c. 10. conſequentia igitur hac in parte nulla eſt.

Quòd verò contendunt *Rabbini* per verba Exodi. 24. 12. *Et tibi dabo tabulas lapideas, & legem, & præceptum*, nempè per *Legem* ſignificari legem ſcriptam, per *Præceptum* verò legem ore traditam, ſeu *Thalmudicam Rhapſodiam*, gratis dicitur, vt vel ſomnianti pateſcit; Eſt vtique manifeſtum additamentum, non legis interpretamentum. Reuertamur igitur ad noſtros. *Auguſtinus* equidem neceſsitatem Traditionum non frigidè ſpeculatus, in Tractat. de Eccleſ. vnit. c. 19. expreſsè dicit, Quòd caſu quo ſcripturæ non definierint aliquam quæſtionem, ad Eccleſiam recurrendum: vbi procul dubio traditiones etiam intelligit. *Num* inquit, *cùm in Scripturis non inueniamus aliquos ad Eccleſiam tranſiſſe ab hæreticis, & ſicut ego dico, aut ſicut tu dicis, eſſe ſuſceptos: puto ſi aliquis ſapiens extitiſſet, cui Dominus Ieſus Chriſtus teſtimonium perhibet, & de hâc quæſtione conſuleretur à nobis, nullo modo dubitare deberemus id facere, quod ille dixit; ne non tàm ipſi, quàm Domino Ieſu Chriſto, cuius teſtimonio commendabatur, repugnare judicaremur: perhibet autem Chriſtus teſtimonium Eccleſiæ ſuæ*, &c. Poſtea. *Quod ſi non vis, non mihi aut cuiquam homini, qui vult ita ſuſcipere; ſed ipſi Saluatori contra ſalutem tuam pernicioſiſſimè reluctaris, qui te ſic ſuſcipiendum eſſe non vis credere, quemadmodum ſuſcipit illa Eccleſia, quam teſtimonio ſuo commendat ille, cui fateris nefarium eſſe non credere*. Hæc ille.

Tertullianus omnium Latinorum primus, Eccleſiæ naſcentis ſenſum hac in parte declarat tùm alibi, tùm l. de *Corona Militis* fusè, vbi poſt multa concludit. *His igitur exemplis renuntiatum erit, poſſe etiam non ſcriptam Traditionem in obſeruatione defendi, confirmatam conſuetudine idonea teſte probatæ tunc traditioni ex perſeuerantia obſeruationis*, &c.

Digitized by Google

Dixerat ante, *Harum & aliarum eiuſmodi diſciplinarum, ſi legem expoſtules Scripturarum, nulla Legis Traditio tibi prætendetur auctrix, conſuetudo cōfirmatrix & Fidei obſeruatrix. Rationem traditionis, conſuetudinis, Fidei patrocinaturam aut ipſe perſpicies, aut ab aliquo qui perſpexerit, diſces. Interim nonnullam eſſe credes, cui debeatur obſequium.* Hæc verba dant intentū. Sed in libro de *Carne Chriſti* cōpendioſiùs, & certè neruoſius hanc veritatem tradit contra *Marcionē. Ex qua (oro te) authöritate? Si Propheta es, prænuncia aliquid; ſi Apoſtolus, prædica publicè: ſi Apoſtolicus, cum Apoſtolis ſenti; ſi tantùm Chriſtianus es, crede quod Traditū eſt: ſi nihil iſtorum es, meritò dixerim, morere: nam & mortuus es, qui non es Chriſtianus, non credēdo quod Traditū, Chriſtianos facit.* Aurea verba ab omnibus Chriſtianis perpendēda.

Cyprianus quidem in Præfatione libri primi teſtimoniorum videtur dicere, Quòd omnia neceſſaria ſcitu habeantur in Scripturis. *Bibere vberiùs, & ſaturari copioſius poteris, Si tu quoque ad eoſdem diuinæ plenitudinis fontes, nobiſcum pariter potaturus acceſſeris,* &c. Sed hæc verba reſtringenda ſunt ad intentum ſcribentis. *Diuinam* ſcilicet *plenitudinem* habent contra Iudæos, quod ibi declarat *Cyprianus*, *Sic etiam omnem plenitudinem continent, quoad multis, & eis grauiſſimis materiis.* Sic *Baſilius* hom. 29. contra Calumniatores S. Trinitatis dicit. *His quæ ſcripta ſunt crede: quæ non ſunt ſcripta, ne quære.* Sed hoc contra curioſos indagatores, de modo *generationis* in diuinis ſcripſit, quos non relinqui velit ſuis leuitatibus; nihil prorſus contra *Traditiones,* quas paſsim aſſerit.

3. Fateor quidem Principalia Concilia Generalia (ſecundum aliquorum opinionem) diuinis Scripturis ſolùm fuiſſe innixa, vt patere putant in condemnando Hæreſes *Arrij*, *Macedonij*, *Neſtorij*, *Eutichetis*; vbi ex Scripturis veritatem conuincebant. Patres etiam Nicæni, teſte *Iſidoro*, & habetur in jure d. 15. c. 1. in proponendo Symbolum toti Eccleſiæ, non aliud petebant fundamentum. *SS. Patres in Concilio Nicæno, de omni orbe terrarum venientes, juxta Fidem Catholicam & Apoſtolicam, poſt Apoſtolos Symbolum tradiderunt; iſti Hæreſes condemnando pro fundamento ſacras Scripturas poſuerunt*: hæc ibi. Sed hoc licet verum fuerit, non concludit contra *Traditionum* neceſsitatem. Hæreſes enim illæ directè aduerſabantur Scripturis, & ideò non adeò opus erat

aliundè

Digitized by Google

aliundè petere Principia eas conuellentia. Si quis verò actus horum Conciliorum penitùs inſpicere voluerit, judicabit ſingula proceſsiſſe etiam ex *Traditione*, & non ſolum ex Scripturæ textu. Vbi enim inuenitur *Homouſion?* Vbi θεοτόκος? Vbi *Spiritus Sanctus?* vbi *Duæ in Chriſto voluntates?* Vbi habetur eſſe tres *Hypoſtaſes*, & tres *Perſonas* in Diuinis, contra *Trinitarios*, *Socinianos* hodiernos, & *Sabellianos* antiquos? quæ verba mirè lacerabant Orientem & Occidentem: donec *Athanaſius* in Synodo Alexandrina conciliauit. Vbi Baptiſmus, vniuerſaliter admiſſus in Scripturis inuenitur? de quo *Origenes* in Cap. 6. Rom. *Eccleſia ab Apoſtolis Traditionem accepit etiam paruulos Baptizare*, &c. Scripturæ potiùs oppoſitum habent, quia, *Docete omnes gentes, baptizantes eos*, &c. illud *Docete* videtur potiùs afficere ſolùm, adultos. Synodus etiam cuius meminit *Cypr.* in Ep. 59. Ex nullo Scripturæ contextu *Fidum* refellit, qui voluit Infantes non debere baptizari infra ſecundum vel tertium diem, ſed ibi vrget *Cyprianus* vnanimem omnium conſenſum, neminem per nos debere prohiberi à Baptiſmo & gratia Dei. Vbi denique *Trinitas?* vbi *Perſona?* vbi *Incarnatio?* & alia id genus multa, vt olim Hæretici objiciebant *Baſilio* Ep. 80. niſi quòd ſenſus Scripturæ à Patribus acceptus hæc doceat? Vnde *Paſcentius* Comes Arrianæ Hæreſis apud *Auguſtinum* Epiſt. 174. *Deinde vehementer exigebas, vt hoc verbum tibi in Scripturis*, ſcilicet Homouſion *oſtenderemus; & ſtatim nobis communicares*, &c. cui Auguſt. *Quid eſt contentioſius, quàm vbi de re conſtat, certare de nomine?* Legendus etiam *Auguſt.* de eodem vocabulo Ep. 178. vbi doctiſsimè illud defendit, & totam controuerſiam de Trinitate contra Arrianos cum palma diſcutit. Et ideò rectè dicit *Caſſander* in ſuâ conſultatione C. 1. *Articulum de Trinitate, quamuis habeat firma & certa teſtimonia diuinarum literarum, tamen hanc diſtinctionem, & expreſſam confeſsionem, & appellationem perſonarum in Eccleſia receptam, & obſeruatam eſſe, ex antiqua & perpetua Traditione, decreto Concilij Niceni, & concordi Eccleſiaſticorum Scriptorum teſtimonio conſignata.* Vt vel hinc appareat, quæ vis ſit Catholicæ *Traditionis* in præcipuis quoque Fidei controuerſijs. Rectiſsimè etiam dicit *Petrus à Soto* in defenſione Catholicæ Confeſsionis, Cap. 49.

Loca Scripturæ, quibus Arrius filium minorem Patre probabat. Vnumq́ eſſe non naturâ, ſed conſenſu voluntatis; non aliâ ratione à Patribus explicata ſunt, niſi ex prima prædicatione Apoſtolorum, & Fide certiſſima, quæ in Cordibus, & Ore omnium Fidelium, ſemper perſeueraret de verâ diuinitate filij Dei. Ille igitur *Alexander Alexandrinus Epiſc.* (apud *Theodoretum* l. 1. Hiſt. tripart. c. 14.) ſub quo *Arrius* ortus & ab eodem condemnatus eſt, ſcribit de eius damnatione ad Conſtantinopolitanum Epiſcopum, *Nos ita Credimus ſicut Apoſtolicæ placuit Eccleſiæ, hæc docemus, hæc prædicamus, quæ ſunt Apoſtolicæ Eccleſiæ dogmata.* His ergò ictibus Arrium confodiebant. Senſus nimirum Eccleſiæ Catholicæ, tandem aliquando præualuit contra vrgentiſsimos Arrianorum impulſus. Eccleſia enim deficere non poteſt à veritate, quàm ſenſim deriuauit à primis ſuis parentibus, licet ſubindè jactari & fluctuari poſsit: vndè *Athanaſius* de Arrianorũ Hæreſi agens ad Serap. de Sp. S. ſic loquitur. *Videamus tamen adhuc illam ipſam ab initio Traditionem, & Doctrinam, & Fidem Cathol. Eccleſiæ, quam Chriſtus quidem dedit, Apoſtoli verò prædicauerunt & ſeruauerunt. In hac enim Eccleſia fundantur, & qui inde excidit, Chriſtianus non poteſt dici. Baſilius* etiam Ser. contra *Sab. & Arrium. At oro*, inquit, *vt ne ſepares à Patre & Filio Spiritum Sanctum: compeſcat te Traditio, Dominus ſic docuit, Apoſtoli prædicauerunt, Patres conſeruauerunt, majores confirmarunt; ſis contentus dicere, ſicut Doctus es.* Vndè rectè habetur apud *Ruffinum* l. 10. hiſt. Eccl. c. 1. *Praua quædam de Chriſti Fide proferre, quæ anteà in Quæſtionem nunquam venerant, cœpit,* &c. *Athanaſius* quidem plus habet de *Concilio Nicæno*, & modo ibi procedendi, quam quiuis alius ex veteribus, vtique licet ſolùm Sacerdos egregiè ibi diſputauit, vt alibi oſtendo, & poſtea plus omnibus defenſauit eorum acta. In actibus verò ipſius Concilij, adhuc ſatis conſtat Patres hæreſim illam, ſicut etiam *Quartadecimanorum* quæ multum inualuerat, & etiam *Cypriani* errorem de rebaptizatione, omnes dico hos errores præcipuè per vim Traditionum conuelliſſe. Hæc tam clara ſunt, vt negari non poſsint. Et hoc dicit de mente *Concilij Nicæni*. Et certè quoad hæreſim Arrij *Tertullianus* in fine de Hæreſ. clarè oſtendit fuiſſe iam tum vniuerſaliter creditum, ſcilicet quoad

Deitatem, ſed quoad æqualitatem, videtur in libro aduerſus *Praxeam* & alibi periculosè ſcribere. Sed *Ireneus* integris libris pro veritate diſputat. Ex his liquet *Arrianiſmum*, non per ſolas Scripturas; Sed etiam, imò magis, per Traditionem, depulſum fuiſſe. Nec obſtat quod dicit *Athan.* alibi de Synodis, *Patres Niceni ita accuratè ſcripſerũt, vt qui ſinceriter eorum ſcripta legat, facilè reminiſcatur eius in Chriſtum Religionis, quæ à ſacris literis annunciatur.* Vult ibi *Athan.* Patres Nicænos, ſenſum Scripturæ per manus Patrum accepiſſe, & ſic Traditum demonſtraſſe, vt etiam teſtatur in Epiſt. de decret. Nicæn. Synodi. Mirabili ſanè vſi ſunt artificio, *Arrius & diſcipuli eius* in ſui erroris propagatione, nempè *Conſtantium Imperatorem Conſtantini filium* ſubdolè accedunt, vt qui non adeò pridem Deos Gentilitios reſpuerat, quaſi per Pſeudothyrum induceretur *quoſdam in Deo gradus credere*, vt notat *Oroſius*, hiſtoriarum libro ſeptimo, & ſic quaſi mediam quandam viam amplecteretur inter multitudinem Deorum, & ſimplicitatem vnius Dei: ſed tandem (licet egerrimè) proſtrati ſunt.

4. Subinde quidem, inter diſputandum cum Hæreticis, recuſarunt Patres alia arma quam Scripturas ipſas; ſed hoc, non quia exiſtimabãt Traditiones in ſe ad refutandas Hæreſes ſæpiſsimè minus conuenientes: ſed hoc pro ratione diſputãtium. Nam aliqui Hæretici Scripturis deſpectis ad Traditiones confugiunt; alij è conuerſo, vt videre eſt apud *Irenæum* l. 3. c. 2. Apud *Baſilium* l. 1. contra Eunomium, *Eunomius* totus eſt contra Traditiones. *Peto ait ante omnia à vobis, qui aut his temporibus eſtis audituri, aut lecturi poſtea; ne velitis majori parti plus attribuere, ac multitudine verum à falſo diſcernere, neque dignitate quorundam cõmoti, caliginem mentibus veſtris offundi ſinere, vel plus his qui præoccuparunt deferendo, poſterioribus aures obſerare.* Cui *Baſilius*, *Quid tu narras? non dabimus plus antiquitati? non reuerebimur Chriſtianorum multitudinem, tàm eorum qui ſunt, quàm eorum qui fuerunt, ex quo Euangelium prædicatum eſt? nullam rationem dignitatis eorum habebimus, qui omni ſpirituali gratia claruerunt?* &c. *Si quidem omnes à te perſuaſi, Traditionem Fidei quæ præterito tempore omni, ſub tot ſanctiſſimi viris euicit, commentis veſtris impijs poſtponemus?* &c. Libr. vero 3. & alibi ſæpè *Eunomius* totus eſt pro Traditio-

Digitized by Google

tionibus de Præſcript. *Arcendos* docet Hæreticos à ſcripturis diſputandis. *Hunc inquit, potiſſimum gradum obſtruimus, non admittendi eos ad illam de Scripturis diſputationem, ſi hæ ſunt illæ voces eorum, vti ne eis habere poſſint. Diſpici debet cui competat poſſeſſio Scripturarum, ne is admittatur ad eandem, cui nullo modo competit.* Poſtea. *Deinde quoniam nihil proficiat congreſſio Scripturarum, niſi planè vt, aut ſtomachi quis ineat verſionem, aut cerebri,* &c. Multa ſunt quæ ibi proſequitur, quæ hodierno rerum ſtatui conueniunt. Ex quibus conſtat quod dixi, Patres, nunc ad Scripturas ſolùm recurriſſe: nunc illas non omninò ad dirimendas lites admiſiſſe. Plerumque quidem ſolent Hæretici Scripturas oſtendere, vt vel maximè hodie, nempè, vt rectè Tertull. in fine libri *de Reſurrectione carnis. Hæreſes ſine aliquibus occaſionibus Scripturarum accidere non poterant. Idcircò priſtina inſtrumenta quaſdam materias videtur ſubminiſtraſſe, & ipſas quidem iiſdem literis reuincibiles.* Vnde apparet quàm cautè admittendi ſunt Hæretici ad diſputationes ex Scripturis; quàm cautè etiam admittendi Catholici ſimpliciores, ad earum lectionem; cum per quam facilè, ex falsâ earum interpretatione, in Hæreſes impingere poſsint & ſoleant. Vndè *Baſilius* in Pſalm. 45. *Facilè intelligere poteris, non cuiuſuis è vulgo eſſe, diuina hæc acie mentis introſpicere & contemplari myſteria; ſed eius ſolius, qui ad hæc diſertè enarranda concinnum fieri poſſit organum; adeò vt eius anima vicem ſupplens Pſalterij, à Spiritu Sancto, in ea efficaciter operante poſſit moueri.*

5. Sed redeam. D. *Bonauentura* in Opuſculo, *Principium Sacræ Scripturæ* dicit ex *Auguſtino* de Doctrina Chriſtiana l. 2. c. 41. *Quidquid Homo extrà ſacram Scripturam didicerit, ſi noxium eſt, ibi damnatur; ſi vtile eſt, ibi inuenitur.* Paulò etiam ſuperius citat Epiſt. 3. *Aug.* vbi ſic ad Voluſianum loquitur. *Tanta eſt Chriſtianorum profunditas litterarum, vt in eis quotidiè proficere, poſſem, ſi eas ſolas ab ineunte pueritia vſq; ad decrepitam ſenectutem, maximo otio, ſummo ſtudio, meliori ingenio, conarer addiſcere; non quod ad ea, quæ neceſſaria ſunt ſaluti, tanta in eis perueniatur difficultate,* &c. Hæc verba intimare videntur, omnẽ Scripturæ ſufficientiam, ad ea quæ ſaltem ad ſalutem neceſſaria ſunt. Quod etiam verum eſt *formaliter vel reductiuè*, vel etiam, vt loquitur Schola, *implicitè vel explicitè*; nec aliud vult *Auguſt.* vt alibi patebit. Quod verò tan-

tam ſcientiarũ profunditatem Scripturis tribuat *Auguſtinus*, eum hac in parte poſt multos alios ſecutus eſt *Rogerus Baconus* in tertio ſuo, quod vocat, Opere *Clementi quarto* inſcripto, vbi fusè conatur oſtendere, *Quod tota Sapientia concluditur in ſacra Scriptura*. Poſtea. *Vt ſicut in pugno colligitur, quod latius in palma explicatur; ſic tota Sapientia vtilis homini, continetur in ſacris Litteris, licet non totaliter explicetur, ſed eius explicatio eſt jus Canonicum cum Philoſophia, nam vtrumq́, jacet in viſceribus ſacræ Scripturæ*, &c. Multa plura ibi habet, ad hoc ſuum dictum oſtendendum, & in hoc ſenſu optimè includuntur *Traditiones*. Locus tamen alter *Auguſtini* l. 2. *de Doctrinâ Chriſtianâ* c. 9. vrgentior eſt, vbi non tranſeunter, ſed ex propoſito, tam de numero Sacrorum Codicum, quam de eorum excellentia, & ſufficientia agens, dicit, *In eis quæ apertè in Scriptura poſita ſunt, inueniuntur illa omnia quæ cõtinent Fidem, mores viuendi, Spem ſcilicet atq́, Charitatem*. Sed hæc verba non impediunt quo minus, inſtructio, ſeu declaratio Fidei aliundè, nempè ab Eccleſia habeatur; nec *Traditiones* tollunt, de quibus etiam Scriptura apertam facit mentionem, imò neceſſariò ſupponit, vt rectè intelligatur ſacer textus. Rectè tamen dicit *Auguſtinus* l. 2. *de pecc. merit.* c. 36. omnia in Scripturis haberi, quæ ſine diſpendio ſalutis ignorari nequeunt; vbi poſt alia ſic loquitur. *Etſi enim quodlibet horum*, &c. *ignorem: illud tamen credo, quòd etiam hinc diuinorum eloquiorum clariſſima authoritas eſſet, ſi homo illud ſine diſpendio promiſſæ ſalutis ignorare non poſſet*. Agit ibi de origine animarum. Oppoſitum tamen ijs, non poteſt pertinaciter teneri ſine hæreſis macula: cuiuſmodi ſunt multa apud Doctores. *Auguſt*. etiam Ep. 118. differentiam facit hac in parte, inter illa quæ *in Scripturis Canonicis commendãtur*, & inter *non Scripta ſed Tradita*, & videtur referre ea in Apoſtolos, aut plenaria Concilia priora in Chriſtum. Sed reſpondetur, eum ibi loqui de agibilibus in Eccleſiâ obſeruatis, non de Dogmatibus Fidei, de quibus hîc agitur. De Animâ etiam agens Ep. 157. dicit, *Vbi res naturaliter obſcura noſtrum modulum vincit, & aperte Diuina Scriptura non ſubuenit, temere hinc aliquid definire humana conjectura preſumit*; vbi in rebus difficilibus non niſi Scripturas, vel rationem admittit. Sed loquitur de re de quâ non erat traditio certa. Notiſſima ſunt.

Digitized by Google

6. Quòd verò obijciunt aliqui, ſub pæna Anathematis improbari omnes ad ſacras Script. additiones, optimè reſpōdet *Andreas Rhodien.* Archiepiſcopus, in Florentino; *Hoc ſi verum eſſet, primò quidem Patres omnes, quicumque in re Fidei quicquam adjecerunt, ſubeſſent Anathemati, cùm multi ijs addiderint, quæ ante eos erant: deinde ſanctus Paulus in Epiſt. ad Galat. ait, ſi quis vobis euangelizauerit, præter id quod accepiſtis, anathema ſit. Et tamen & Paulo & verbo eius & reliquis Scripturis, multa ſunt addita.* Vndè D. *Auguſt.* expendens Textum illum Pauli ad Galathas. *Si quis vobis Euangelizauerit præter id quod accepiſtis, anathema ſit.* obſeruat *Paulum* non dixiſſe, Si quis vobis Euangelizauerit *plus* quam accepiſtis, ſed *præter*: Si primum dixiſſet, ſibi præjudicaſſet, qui anhelabat accedere Theſſalonicenſes, vt ſuppleret quod deeſſet in fide. Ipſe verò qui dicitur ſupplere, addit quod defuit, non aufert quod erat, &c. Hîc eſt ſenſus, licet non ipſa eius verba Tractatu 98. in *Iohannem* & eum citant noſtri *Rhemenſes* Angli in Annotationibus ad caput primum ad Galat. Et conformiter *Aug.* l. de Fide & Symbolo c. 5. *Sub ipſis paucis verbis in Symbolo conſtitutis pleriq́ Hæreticorum venena ſua occultare conati ſunt,* &c. *Sed tractatio Fidei ad muniendum ſymbolum valet: non vt ipſa pro Symbolo memoriæ mandanda & reddenda tradatur, ſed vt illa quæ in Symbolo retinentur, contra Hæreticorum inſidias authoritate Catholica, & munitiore defenſione cuſtodiat.* In Ep. etiam ſupra citata 178. contra *Arrianos*, docet tunc ſolùm nihil poſſe addi, quando, vt Arriani faciebant, falſa ſupponuntur. Et eodem fermè modo reſpondet *Beſſarion* in Doctiſſimo ſuo tractatu, *De proceſſione Spiritus Sancti.* Nam vt ipſe ibidem; in ſenſu ſuo & ſuorum Græcorum, Symbolo licet *vera* non *falſa* addere, &c. Quod ſemper intelligendum de veris formaliter vel virtualiter antiquitus reuelatis vt alibi docebo. Et ideò *Athan.* in Epiſt. ad Palladium Preſbyterum: *Sacræ Scripturæ ſunt Fidei noſtræ veluti primitiæ quædam, vel certæ Anchoræ & ſuſtentacula:* non igitur integra Fides in Scripturis habetur ſecundum *Athanaſium*, ſed ſolum *Primitiæ quædam*, &c.

7. *Nicetas* tamen Archiep. Theſſalon. vir ſanè doctiſsimus, qui multa valdè orthodoxè ſcripſerat, præſertim pro veneratione Sacra-

rum Imaginum, vt vidi in eius manuſcriptis in Angliâ (neſcio an vlibi extent integrè impreſſa) Ipſe, dico, *Nicetas*, licet de proceſsióne Spiritus Sancti cum Latinis rectè ſapiebat: contra tamen *Hugonem* noſtrum agens, non voluit licere addere Symbolo, ne quidem quod verum erat, de Proceſsione Spiritus Sancti à Patre, *Filioq́*. Multi etiam alij Græci, præſertim Poſteriores cum ipſo conueniebant, vt videre eſt in géſtis *Florentini*: ſed errabant turpiter, cùm ſit veritas vel maximè fundamentalis, & articuli Apoſtolici ſolùm explicatiua, & tunc ſummè neceſſaria. Et ideò SS. Patres Nicæni multa dixere, quæ non habentur in Symbolo Apoſtolorum. Quemadmodum Patres ſecundæ Synodi ad ea quæ dixere Priores, addiderunt: & qui Epheſum conuenerant, ad ea quæ dixerunt Patres ſecundæ, vt poſt alios notauit *Beſſarion*. Concilia verò quæ diuerſa Symbola ediderunt, ſunt ſequentia. *Nicænum* primum poſt canonem vigeſimum in fine Concilij. *Syrmienſe Conſtantinopol.* primum can. 7. *Toletanum* primum contra *Priſcillianiſtas* in fine Concilij. *Epheſinum*, vnum ex principalibus illis quatuor, quæ authoritatem Euangelij obtinebant, contra Neſtorium edidit prolixam interpretationem Nicæni. *Chalcedonenſe* etiam breue ſymbolum compoſuit contra *Eutychen & Dioſcorum. Conſtantin. quintum* vbi tradebatur in forma ſymboli expoſitio Fidei ſecundum reuelationem *Gregorij Epiſcopi Neocæſarienſis. Tolet. quartum can. primo.* vbi ſpecialiter explicatur illud ſymboli Apoſtolorum. *Deſcendit ad inferos*, additur. *Vt Sanctos qui ibi tenebantur, erueret. Toletanum* ſextum can. 1. Ratio verò quare Patres in tot Concilijs noua compoſuerunt Fidei Symbola, erat ea quæ mouebat Apoſtolos ad ſuum edendum, quam tetigit *Cypr.* vel vt alijs placet. *Ruffinus* in expoſ. Symb. Apoſt. nempè *quia multi ex circumciſione* (ſic nunc ex hæreticis) *ſimulabant ſe eſſe Apoſtolos Chriſti, & lucri alicuius vel ventris gratiâ, ad prædicandum proficiſcebantur, nominantes quidem Chriſtum, ſed non integris Traditionum lineis nuntiantes. Idcirco iſtud Indicium poſuerunt, per quod agnoſceretur is, qui Chriſtum verè ſecundum Apoſtolicas regulas prædicaret. Denique & in bellis Ciuilibus hoc obſeruari ferunt: quoniam & armorum habitus par, & ſonus vocis idem, & mos vnus eſt, atq́ eadem inſtituta bellandi,*

ne qua

doli ſubuentio fiat, ſymbola diſcreta, vnuſquiſque Dux ſuis militibus tradit, quæ latinè ſigna vel indices nominantur: vt ſi fortè occurrerit quis de quo dubitaretur, interrogatus Symbolum, prodat ſi ſit hoſtis an ſocius, &c. Ad hunc igitur finem, non mutantes tamen ſenſum, aliqua ad priores [illegible] dicuntur addere, nempè Hæreticorum importunitas ad hoc [illegible]t; licet hac in re tàm ſobriè proceſsit ſemper Eccleſia Romana, quod vt notat *Ruffinus* in eodem doctiſsimo opuſculo, licet *in diuerſis Eccleſijs aliqua in his verbis inueniuntur adiecta: in Eccleſia tamen Vrbis Romæ non hoc deprehenditur factum, quòd ego propterea eſſe arbitror, quòd neque Hæreſis vlla illic ſumpſit exordium, & mos ibi ſeruatur antiquus*, &c. *& vtique adjectionem vnius ſaltem ſermonis, eorum qui præceſſerunt in fide, non admittit auditus. In cæteris autem locis intelligi datur, propter nonnullos Hæreticos addita quædam videntur, per quæ nouellæ doctrinæ ſenſus crederetur excludi.* Eccleſia igitur nunquam addendo mutauit, ſed ſolum explicuit ſenſum, & hoc propter hæreticos. Parcè etiam vel hoc admiſit Eccleſia Romana, & ſecundum *Baſil.* nulli liceat Chriſtianorum Eccleſiæ aliter addere. Vndè *Baſilius* tùm alibi ſæpè, tùm ep. 325. *Nihil nos poſſe, ne vel ſyllabam vnam ad Nicænam illam fidem adijcere, excepta de Spiritu Sancto doxologia, cuius rei Maiores illi noſtri velut in tranſcurſu meminerunt, nondum motâ de Spiritu Sancto quæſtione.* Firmum igitur eſt, non licere addere propriè & ſtrictè loquendo, licet ſubindè explicare poſsit Eccleſia, ſenſu ab Archiepiſcopo *Rhodien.* poſito. Nam vt rectè ex ipſo *Canus* citatus, *Additamentum, ad ea non explanatio prohibetur.* Additamentum verò quid ſit, oſtendit ſuperiùs Archiepiſcopus ex *Ariſtotele*, nempè Quod extrinſecus additum, non quod in textu ipſo iaceat. Et ideò ſexcenti triginta Patres, qui *Chalcedone fuerunt, Eutychen*, vt potè qui non pateretur etiam alia ſapere (præter ea quæ in ſymbolo eſſent *Nicæno*, alia ſcilicet numero, non tanquam oppoſita) condemnarunt. Quare oſtenderunt illas tantùm *voces* vetari, quæ ſunt *contrariæ* & aduerſæ; non autem *conſentientes*, vt in eodem tractatu benè oſtendit *Beſſarion.* Et ſic planè philoſophandum eſt quoad *Traditiones*, vt etiam clarè aſſerit *Baſilius* hom. 27. contra Sabellianos.

8. *Traditiones* enim veræ legitimum ac verum Scripturæ ſenſum aperiunt: ſenſus enim Scripturarum Apoſtolicarum non erat ab Apoſtolis, Scripturis alijs explicandus; niſi ipſi in opera ſua ederent Commentarios. Intelligentiam ergo Scripturæ ſacræ diſcipulis ſuis, viuâ voce tradiderunt, vnde optimè *Can.* lib. 3. cap. vltim. *Traditiones Chriſti & Apoſtolorum, non ſunt Scripturarum diuinarum additamenta; ſed potius complementa, & earum quaſi Commentarij.* Et proinde ſtat Scripturas ſufficere, & *Traditiones* neceſſarias eſſe; & ſic facilè conciliari poſſunt hæc & alia Doctorum Scripta. Et in hoc ſenſu approbant Sancti Patres *Traditiones*: nec aliam Fidem in *Traditionibus*, aliam in Scripturis æſtimant; ſed eandem ibi fuſiùs explicatam. Vnde SS. Patres in vniuerſali ſeptima Synodo, De ſacris Imaginibus agentes, quarum veneratio honoraria non aliundè, quam ex *Traditionibus* petitur, ita Synodicè exclamarunt: *Omnes ita credimus, Omnes idipſum ſapimus, Omnes conſentientes ſubſcripſimus. Hæc eſt Fides Apoſtolorum; hæc Fides Patrum, hæc Fides Orthodoxorum, hæc Fides Orbem terrarum firmauit. Credentes in vnum Deum in Trinitate laudandum, honorabiles Imagines oſculamur. Qui ſic ſe non habent, anathema ſint, Qui ſic non ſentiunt, procul ab Eccleſiâ pellantur. Nos eos qui addunt quid, vel adimunt, de Eccleſiâ anathematizauimus. Nos venerandas Imagines recipimus.* Poſtea. *Si quis omnem Traditionem Eccleſiaſticam, ſiue ſcriptam, ſiue non ſcriptam, irritam fecerit; anathema ſit.* Nec tamen per receptionem *Traditionum*, aliquid innouatum, vel Apoſtolorum Fidei additum autumarunt, vt ex dictis conſtat. Sed ad hoc reſpondent prædicti opinantes: Hoc Concilium non fuiſſe œcumenicum, vt patet in *Francofordienſi*, ſtatim poſtea ſub eodem *Adriano* Papa celebrato: vbi definitionem huius Concilij quoad *Imagines*, (licet ex errore) rejecit; Quòd tamen non attentaſſet, ſi pro vniuerſali reputaſſet. Dicit verò *Grotius* contra Examen *Riueti* ad art. 21. *hoc Latinis accidiſſe ex mendoſâ verſione eorum quæ dixerat in illa Synodo Conſtantinus Conſtantiæ Cypri Epiſcopus.* Addit. *Hoc ita opertum fecimus, vt ne in ſpeciem quidem contradici quicquam poſſit.* Et *Sirmondus* agens de Cõcilio *Francofurdienſi* in ſuis Notis ſic loquitur. *Reſtat ergò, vt quænam illorum de imaginibus mens fuerit, aut quâ ratione purgari*

Digitized by Google

purgari queant, qui Synodum Nicænam, quam inter Œcumenicas numeramus, explodere auſi ſint, conſideremus. Quanquam quod ad Synodi nomen attinet, in promptu habent, quo inuidiam depellant. Conſtat enim ſic in hâc quæſtione verſatos eſſe, tùm Synodi Francofurdienſis, tum Carolini voluminis Authores; vt non cum Œcumenico Concilio: ſed cum peculiari Græcorum. Ita enim paſſim in libris illis profitentur, querunturq́ propterea illam ſibi aut vniuerſalis, aut ſeptimæ Synodi nomen arrogare, cùm Œcumenicam dici poſſe negarent, ad quam ſoli Græci conueniſſent, reliquarumq́ Prouinciarum Eccleſiæ conuocatæ, aut ſententiam per Epiſtolas more Eccleſiaſtico rogatæ non fuiſſent. Et quidem ſi rem ſuis momentis expendamus, ſatis omninò cauſæ videbitur, cur Synodum (cui tot adhuc Prouinciarum ac totius penè Occidentis ſuffragia deeſſent) pro Œcumenicâ nondum haberent. Nec Adrianus ipſe aliter ſe ſentire oſtendebat, qui allatam à Græciâ Synodum (vt Hincmarus eodem loco docet) in Galliam miſit: Conciliumq́ eius cauſa conuocari à Carolo juſſit, & libris Carolinis, quibus oppugnata eſt, ita reſpondit; vt Œcumenicæ Synodi nomen illis authoritatemq́ nuſquam obijciat. Quare habebant vt dixi hâc in parte Galli, quo ſe defenderent. Hactenus Sirmondus. An verò Francofordienſe exploſerit *Nicænum*, an etiam dicere potuerint ob rationes à *Sirmondo* expoſitas, illud non fuiſſe Oecumenicum, judicent doctiores.

9. Pergamus. Authenticas. *Traditiones* Eccleſiæ ſemper, vt Fidei explicatiuas, acceptauit, & etiamnùm ex Patrum Regulis acceptas, & acceptandas deprædicat, vt optimè in *Florentino* à ſeſſ. quartâ ad ſeptimam præſertim in 6. ſeſſ. tàm à Latinis quàm à Græcis Patribus exponitur, & ex primis œcumenicis Synodis declaratur.

Et verè ſi Tradita Apoſtolorum caſſa ſemel inuenirentur, vel non tanquam angulares lapides in ipſâ Fidei *Baſi* admitterentur, præcipuum quod Apoſtoli tradiderunt Eccleſiæ fundamentum, rueret: hæ enim ipſas Sacras Scripturas ad ſe inuicem conglutinant. Et certè non eſt cogitabile, quomodo in ſexcentis tàm antiquis, quàm hodiernis Hæreſibus, hodiè veritas declarari poſſet, ſi abſtrahatur à *Traditionibus*. *Neſtorius* pro duabus Chriſti naturis in vnâ perſonâ, nec *Arrius* pro vnâ naturâ in tribus perſonis conuincentur ſine *Traditionibus*

ditionibus. Vndè pro more ſuo doctiſsimè diſcurrit *Damaſcenus* orat. 3. De Imaginibus. *Vbi nam in veteri teſtamento, aut in Euangelio Trinitatis nomen, aut homouſion, hoc eſt eiuſdem eſſentiæ, ſiue conſubſtantialem, aut vnam diuinitatis naturam perſpicuè, aut tres perſonas apertè verbis expreſſas; aut vnam Chriſti perſonam, duaſq; naturas dilucidè verbis item explicatas inueniſti? Nuſquam omninò.* Nec *Caluinus* vel quiuis alius Sectarius conuincent *Lutherum* de Reali præſentiâ Corporis Chriſti, in ipſo ſolùm actu Communionis, ſi omnimoda præſcindatur *Traditio.* Sectarij igitur neceſſariò Traditiones aliquas admittere debent ſecundum illud præclarè dictum à Diuo *Petro Chryſologo* Serm. 85. *Chriſtianus animus quæ ſunt Traditione Patrum, & ipſis robotata tempoporibus, neſcit in diſputationem deducere, ſed venerari ea toto deſiderat deuotionis eloquio.* Vndè *Baſilius de Spiritu Sancto* c. 27. non longè ab initio: *Si conſuetudines quæ ſcripto proditæ non ſunt, tanquam haud multum habentes momenti, conemur reijcere; imprudentes grauiſsimum Euangelio detrimentum inferemus: imò potius ipſam Fidei prædicationem, ad nudum nomen contrahemus.* Ecce *Traditiones* vſquequaque reijcere, eſt Euangelio grauiſsimum detrimentum inferre. Nec mirum, nam vt rectè *Sanctus Cyrillus Hier, Catech.* 4. *Scripturas habemus ex Traditione,* ſi ergò pereant *Traditiones*, peribunt Scripturæ. Et in hoc ſenſu optimè dicit *Abrauaniel* in Tractatu *de Capite Fidei: Traditio eſt Articulus vniuerſalis de omnibus legibus diuinis, neque poteſt concipi exiſtentia earum abſq; illa.* Vndè *Rinius* in ſuâ Thalmudicæ doctrinæ ſummula c. 1. dicit; *Quòd ipſa radicalia præcepta, auditores ſcriptis acceperint; annexa verò, ore expoſita dedicerint.*

Petrus etiam à *Soto* c. 48. dicit, *Quòd priuſquam vlla Scriptura noui Teſtamenti eſſet, Euangelij Fides erat in Cordibus, ad quam Scripturæ ipſæ Apoſtolorum & Euangeliorum exactè & diligenter ad illam certiſsimam exanimatæ, receptæ ſunt ab ipſis Apoſtolis, eorumq; Diſcipulis; & non ſolùm ab his, qui ſcripſerunt, & quæcumque tunc, aut deinceps ſcripta prodierunt, quæ ſcimus non fuiſſe pauca, de hiſtoriâ hac Euangelica, non eâ Fide quâ oportebat, rejecta ſunt: etiamſi nomine probatiſsimorum Authorum circumferrentur, vt Euangelium Thomæ, Andreæ, Nicodemi, & alia multa, de quibus,*

primis

Digitized by Google

primis illis temporibus, cùm recens eſſet memoria Apoſtolicæ prædicationis & conuerſationis eorum, quorum nomini editi libri tribuebantur, facilè potuerũt habere certiſſima teſtimonia. Imò vt facilè colligitur ex *Irenæo* l. 3. aduerſus hæreſes c. 3. Aliqui *Chriſtiani* nondũ habuerunt Scripturas; ſed ſolũ voce-tenus erant inſtructi. Deindè, quòd apud omnes Chriſtianos, maximi debet eſſe ponderis, hoc eſt, Quòd nullam habemus diuinam promiſsionem de integritate ſeruanda, ſeu de incorruptibilitate Scripturæ: quòd tamen expreſsè & ſpecificè habemus de Eccleſiâ, vt ſuo loco pondero. Et ideò non pauci Patres in Tridentino, voluerunt definire vniuerſam Doctrinam Catholicam pro fundamento habere *Traditionem,* quòd idem eſt ac Eccleſiam, quæ ſucceſsiuè tradit eam.

Sententiam tamen in initio huius Capitis indigitatam, De ſufficientiâ Scripturarum, quoad Fidei Fundamentalia, excluſis *Traditionibus* non ſcriptis, inter Catholicas opiniones numerari debere contendunt aliqui, nimirùm quæ dicit, *Illas ſolas veritates quæ Canone Bibliorum continentur, vel ex contentis in Canone neceſſariò ſequuntur veritates Catholicas dicendas,* vel pro re natâ declarandas. Vndè *Silueſter* v. *Fides* quærens, De quibus eſt Fides? reſpõdet, *Dicit S. Thomas* 2. 2. q. 11. a. 2. *quòd ad Fidem directè & principaliter pertinẽt articuli Fidei, qui ſcilicet ſunt de his, quæ viſuri ſumus in Patriâ, vel per quæ venimus ad patriam. Indirectè verò & ſecundario ea, ex quibus ſi non crederentur, ſequeretur alicuius articuli Corruptio. Adde etiam quòd ad fidem pertinent per accidens omnia quæ ſunt in doctrinâ Eccleſiæ.* Quia vt patet 2. 2. q. 5. a. 3. & 3. d. 23. q. 3. a. 3. q. 2. & in Quodl. 6. a. 6. *quicumque ſicut infallibili & diuinæ regulæ, non inhæret doctrinæ Eccleſiæ, quæ procedit à prima veritate manifeſtata in Scripturis, ille non habet habitum Fidei, ſed ea quæ ſunt fidei aliter tenet, quam per Fidem.* Hæc ille ex S. *Thoma.* Ex quibus omnibus patet, nihil eſſe de Fide, niſi ex Sacris Scripturis petatur ſecundum *Sylueſtrum* ſic citantem S. *Thomam* in diuerſis ſuorum Operum partibus.

D. etiam *Thom.* reſpondendo ad argumenta loco citato. 2. 2. dicit, *Omnibus articulis Fidei inhæret fidelis propter vnum medium, ſcilicet propter veritatem primam propoſitam nobis in Scripturis, ſecundum Doctrinam*

Eccleſiæ intelligentis ſanè, & ideò qui ab hoc medio decedit, totaliter fide caret. Ex quibus verbis manifeſtè colligere videntur prænominati opinantes; nihil de Fide ab Eccleſiâ declarari poſſe, quòd à primâ veritate in Scripturis non fuerit reuelatum.

10. *Diuus Thomas* etiam 2. 2 *q.* 1. *a.* 9. in reſponſione ad primum vbi objiciebatur, Sacram Scripturam eſſe regulam Fidei, cui nec addere, nec ſubtrahere licet: dicitur etiam Deut. 4. *Non addetis ad verbum quod loquor, neque auferetis ab eo*: Ergo illicitum fuit aliud Symbolum conſtituere, quaſi regulam Fidei, poſt Sacram Scripturam editam, Reſpondet, *Quod veritas Fidei in Sacrâ Scripturâ diffuſè continetur & varijs modis, & in quibuſdam obſcurè: ita quod ad eliciendum Fidei veritatem ex Sacrâ Scripturâ requiritur longum ſtudium & exercitium: ad quod non poſſunt peruenire omnes illi, quibus neceſſarium eſt cognoſcere Fidei veritatem, &c. Et ideò fuit neceſſarium, vt ex ſententijs Sacræ Scripturæ aliquid manifeſtum ſummariè colligeretur, quòd quidem non eſt additum Sacræ Scripturæ: ſed potiùs ex Sacrâ Scripturâ ſumptum.* Vbi videtur omnia quæ Fidei ſunt in Sacram referre Scripturam.

Certum tamen eſt *S. Thom.* Traditiones non reiecisse, quinimmo 3. *p. q.* 64. *a.* 2. eas apertè admittit, vt etiam eum citat *Grauina* l. 4. in fine oſtenſionis primæ, licet aliquæ Traditiones non neceſſariò ex Sacris Scripturis inferri poſsint: aliquo modo tamen *interpretationes* in aliquo largo ſenſu dici poſſunt, vt frequenter loquuntur Scholaſtici: quia ſenſum Chriſti & Apoſtolorum nobis indubitatè transferunt. Sed quid hîc hæremus? cùm *Baſilius* inuictus (ſi quis alius) *Traditionum Propugnator, & Expoſitor*, dicit, ad veritatem Traditionum (quantum ex hoc fuerit Capite) ſufficere quòd concordent cum Sacris Scripturis: ſub initium enim Capitis 27. de *Spiritu Sancto* dicit. *Supereſt autem diſſerere de ſyllabâ* Cùm, *vndè cæperit, & quam vim habeat, & quatenus Scripturæ concordet*, &c. Multus eſt ad hoc propoſitum, præſertim vbi tractat *de Fide*. Imò in priore capite citato apertiſſimè dicit. *Nec his contenti ſumus, quæ commemorat Apoſtolus aut Euangelium, verum alia quoque & ante & poſt dicimus, tanquam multum habentia momenti ad myſterium, quæ ex Traditione citra Scripturam accepimus.*

Planè

Digitized by Google

Planè igitur ſufficit, (ſi vt loquitur *D. Thom.* 2. 2. q. 1. a. 7.) *implicitè* includuntur, licet *remotè* in Sacris Scripturis. Nota etiam ob Textum *D. Thomæ*, vt olim notauerat *Auguſtinus*, Quòd ipſa Eccleſia, ſeu Tradita per Eccleſiam authorizantur à *primâ veritate* in Scripturis propoſitâ. Et ideò Cyprianus de *Spectaculis*, agens de quibuſdam, qui ideò Spectaculorum acceſſum Chriſtianis licere volebant, quia in Scripturis expreſsè non prohibebantur, quaſi ex Scripturis omnia petenda eſſent, dicit, *Pudor* me tenet præſcriptiones eorum in hac cauſâ & patrocinia referre. Vbi (inquiunt) *Scripta* ſunt iſta? Vbi *prohibita?* &c. Hoc genus argumenti igitur non valebat in Iudicio *Cypriani*, quod vel maximè notandum eſt, cum plus cæteris adferri ſoleat à Traditionum inimicis. Poſtea, de eâdem Scripturâ in eâdem re agens, dicit *verecundiam* paſſa plus interdixit, *quia tacuit*. Iterùm. Plerumque in præceptis quædam vtilia *tacentur*. Iterùm. *Præceptorum* loco, ſeueritas *loquitur*, & ratio *loquitur*. Non igitur tam ſuperſtitioſè adhærendum Scripturæ, quaſi nihil aliundè ab homine Chriſtiano diſci poſsit.

11. Videtur tamen aliquibus, quòd illi Patres Tridentinæ Synodi hanc viam ſubinſinuarunt, qui admonuerunt: non tam facilè debere ſtatui aut damnari, de quo non certò cõſtaret per Scripturas & Patrum teſtimonia. Locutio illa copulatiua, non frigidè ſubindicat in ſententiâ eorum, nihil debere de Fide ſtatui, quod non certò haberetur in Scripturis ſecundum veterum Patrum explicationes. *Catherinus* in ſua Apologia totum rei proceſſum declarat, nec ipſe reſpuit; quinimo hac occaſione ad Scripturas & Patrum teſtimonia luſtranda, preſſiùs recurrebant Theologi in Concilio, vt ibidem refert. Manifeſtum proinde eſt in hac opinione, *Traditiones* non eſſe certas regulas, præter illas quæ ſenſum Scripturarum à Patribus ſucceſſiuè traditum, ad nos deferunt. Has vtique admittunt prædicti opinantes, etiam vt infallibiles, cum *Occhamo* & *Henrico à Zomeren*, & certa loca citata ex Diuo *Thoma* videntur declarare eundem fuiſſe eius ſenſum. Nam licet admittat *Doctrinam Eccleſiæ* ad obiectum Fidei, tamen ſic reſtringit, *quæ procedit ex veritate prima in Scripturis ſacris manifeſtata, & ſecundum doctrinam Eccleſiæ intelligentis ſanè*, &c. Non igitur aliam Doctrinam Ec-

cleſiæ admittit ad Fidem, quam manifeſtatam in Scripturis, &c. quæ eſt prænominatorum ſententia. Videndus etiam *Cajetanus* in illum locum. *Iacobus* etiam *Ægidius* vbi ſupra citatus videtur cum ipſis conuenire: nempè agnoſcit Expoſitiones Eccleſiæ tum eſſe de Fide, quando Scripturas declarant, aliarum non meminit. Non verò admittunt alias, quæ ex Scripturis fundamentum certum non habent. Et hinc *Turrianus* l. 4. c. 17. pro Epiſtolis ſummorum Pontificum, vocauit *Traditionem Apoſtolicam, ſpiritum Scripturæ ſanctæ, quia ex Deo eſt.* Et in hoc ſolo ſenſu vrgebat Traditiones *Rhodien.* Archiepiſcopus in Florentino, vt ex verbis ſuperiùs citatis omnino cōſtat. Imò locus quem adeò vrgebat *Marcus* in Florentino ex ſancto *Dionyſio* contra Latinos pro additione *Filioq;* in Symbolo, pro hac ſententiâ videtur melius vrgere: hæc ſunt verba: *Non audendum eſſe, non modo dicere; ſed ne cogitare quidem præter ea, quæ diuinè nobis è ſacris eloquijs manifeſtata ſunt.* Traditiones vtique quæ ſenſum ſcripturæ deferunt, ex ipſis Scripturis manifeſtantur, ſicut & ipſæ manifeſtant Scripturas. Negare etiam non poſſum, quin magnus *Lerinenſis* pro hac ſententia, apertiſsima habere videatur verba, quæ capite ſequenti plenè adferam & expendam. Denique videtur & hæc ſententia ſic explicata, etiam poſſe atribui doctiſsimo à *Soto* (quem majorem vocant) vbi contra *Catherinum* ſic diſcurrit. *Obiectum habitus qui eſt vera Fides, non eſt quicquam, niſi quod eſt reuelatum in ſacra Scriptura, vel inde authoritate Eccleſiæ deductum*: Subſument prædicti: Sed Traditiones omnes præter illas quæ ſenſum Scripturæ à Patribus traditum ad hæc poſteriora ſæcula transferunt, nec ſunt in Scripturis reuelatæ, nec inde ſcilicet neceſſariò authoritate Eccleſiæ deductæ, ergo non ingrediuntur obiectum veræ Fidei.

Non leuiter etiam juuari putant hanc ſententiam à primo Tridentini decreto, vbi poſtquam tàm Scripturas, quàm Traditiones à Chriſto per Apoſtolos ad nos traductas definiuit, in hunc modū concludit, *Si quis libros ipſos integros cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia Catholica legi conſueuerunt, & in veteri vulgata editione habentur, pro ſacris & Canonicis non ſuſceperit, quinè ſciens & prudens antedictas Traditiones contempſerit, anathema ſit.* Vbi vt apparet, Concilium anathematizat ſimpliciter

pliciter non ſuſcipientes ſacras Scripturas: quoad Traditiones verò, nempè illas quæ non certam connexionem habent cum Scripturis, ſeu earum ſenſum non important, ſolum *Scienter & prudenter contempſerit.* Non igitur in iudicio horum opinantium vſquequaque eiuſdem ſunt authoritatis in quæſtionibus Fidei, cùm ſolùm prohibentur *contemnere.* Tenerentur equidem omnes, eas non tantùm non contemnere; ſed amplecti & venerari, ſeu *ſuſcipere*, ſi Fidem Diuinam conſtituant: prout dixerunt Patres de Scripturis Canonicis. Hanc ſententiam fideliter propono & expono (quia video aliquibus in latitudine data arridere) & in capite ſequenti iterùm, in fine & in corpore, per tranſennam tangere oportebit, propter aliquos Patrum textus, ibi ponderandos. Ego verò quid ſentio luculenter declaraui, & ſexcenties pro re nata declarabo. Nam omnes Traditiones vniuerſaliter admiſſas, admittendas eſſe contendo, ſecundum illum quem obtinent gradum in Eccleſia, vt opportunè expendam. Aliorum verò ſententias Canonicis Iudicibus remitto, vt debeo.

CAPVT VIII.

An omnes Traditiones ſint de Fide?

1. ALia opinio (quæ eſt aliquantò apparentior) eſt eorum, qui aſſerunt Concilia Oecumenica errare poſſe in eruendis Fidei veritatibus, quæ non ex Scripturis habentur certò, ſed ex Traditionibus (licet fortaſsis vniuerſalibus, non tamen vſquequoque authenticatis) petuntur: hoc eſt, quæ habentur ex Traditionibus ab Eccleſia in Concilijs nondum examinatis & confirmatis. Vtique ſecundum *Gerſonium* & alios quamplurimos Theologos, Traditiones de quibus hîc (dum de Fide agitur) tractatur, à Conciliorum declarationibus præcipuè pendent, & vigorem ſuum ſaltem in ordine ad nos, recipiunt, vt etiam de aliquibus Traditionibus, apertiſsimè opinatus eſt *Aug.* l. 2. de Bapt. c. 8. in cauſa Cypriani. Vocat enim Traditionem *veracem*

hoc eſt in ſe, ſed non *aſſertam* ante Concilij vniuerſalis declarationem, hoc eſt in Ordine ad Nos, non eſſe claram & obligatoriam. Sic etiam *Cyprianus* & alij Africani & aliqui ſaltem Cappadociani Patres, vt omninò liquet in eorũ proceſſu de Hæreticis, & ab ijs baptizatis rebaptizandis. Multi etiam in Tridentino hanc amplexati ſunt ſententiam, inter quos *Lunellus* Ordinis Minorũ Egregius Theologus, tenuit *Traditiones* non eſſe authenticas, niſi per Eccleſiæ authoritatem declaratas, & alij ſecuti ſunt. Quòd etiam cum aliquâ reſtrictione ſeu ſpecificatione credo veriſsimum, quando ſcilicet per vniuerſæ Eccleſiæ ſenſum; de alicuius Traditionis ſeu Conſutudinis origine non ſatis conſtiterit, vel an ex probabili ſolùm ratione lex aliqua vel conſuetudo, licet per quam vetuſta exorta fuerit: cuiuſmodi non paucas adfert *Canus* in *Locis*, vel quando Textus Sacræ Scripturæ ſpecietenus aduerſari videtur, vel alia huiuſmodi dubia exurgunt, vt poſtea in ſuo loco declarabo, vel denique quando non ſunt ex illis Traditionibus, quæ poſteris ſenſum Scripturæ deferunt, vt iterùm dicturus & probaturus ſum. Qui igitur huiuſmodi Traditiones tanquam per ſe inefficaces ſine authenticatione Conciliorum, ad quæſtiones Fidei determinandas exiſtimant; Concilia œcumenica, eo quo dixi modo errare poſſe, vt contendant, omninò ſequitur, & hoc eſt quod aſſerit *Cuſanus* l. 2. c. 4. de *concordantia Catholica. Debet Sacrum Concilium vniuerſale regulis Sancti Spiritus apertis iam in Canone Sacræ Scripturæ, ac præteritis Concilijs dirigi, maximè in negotio Fidei; & tunc definitio ex allegatis ſumpta abſque errore erit.* Hæc *Cuſanus.* Nempè quia ſi deſumpſerit articulum definiendum ex Traditionibus, niſi in Concilijs prioribus fuerint examinatæ, & ſic per manus Patrum authenticæ declaratæ ſecundum eum errare poteſt. *Eraſmus* etiam, quem ideò libentiùs cito, quia ad hominem, vt loquuntur, valet eius authoritas apud Noſtrates, ipſe igitur in ſuâ Apologiâ *Alfonſo* Archiepiſcopo Hiſpalenſi, ſummo tunc temporis de Fidei Catholicæ negotijs Cognitori inſcripta, hanc ſententiam firmiſsimè amplexus eſt, in reſponſione enim ad obiectionem nonageſimam nonam ſic loquitur. *Articulos Fidei ſic voco, non quaſlibet Scholaſticorum opiniones, ſed de quibus certò pronunciant, vel Scripturæ euidentes*

dentes, vel ſymbola publicitùs recepta, vel Synodi vniuerſales, Non hîc excludit Traditiones, ſed ſub terminis illis abundè ſatis eas intelligit. Solùm non vult eas fidem aſtruere, niſi à Concilijs vniuerſalibus fuerint ab ipſis radicibus examinatæ. *Hieronymus* quidem in Epiſtolâ 61. ad Pammachium, aduerſus errores *Ioannis Hieroſolymitani* videtur velle Traditiones, etiam ſine Concilijs Fidem ſufficienter arguere, & dogmata oppoſita tenentes Hæreſeos inſimulare: licet Eccleſia per nullum actum formalem veritatem definierit. Et ideò *Hieronymus* tùm ibi, tùm alibi cum omnibus ſuis poſt *Epiphanium* Epiſtola præcedenti Communionem cum ipſo negat, antequam ſeipſum errorum *Origenis* nondum condemnatorum purgauerit. De quâ re agens *Hieronymus* dicit, *Non eras tàm ſtultus, vt apertè defenderes hæreſim, quam ſciebas Eccleſiæ diſplicere. Noueras te ſi hoc feciſſes ſtatim loco mouendum, & ſolij tui delicias ſuſpirabas, ſic ſententiam temperaſti, vt nec ſimplicibus diſpliceres, nec tuos offenderes.* Quòd verò agat *Hieronymus* de erroribus nondum damnatis, patet ex verbis præcedentibus. *Quis enim te hoc tempore arguit Arrianum? quis tibi nunc Photini, Manichæiq; crimen impingit? olim iſta emendata ſunt atq; concuſſa.* Illa ergò de quibus agit hîc nondum erant concuſſa. Apertiùs etiam hoc apparet in Ep. 65. ſub finem Capitis primi, vbi quidam eorũ, ſcilicet *Origeniſtarum* replicat. *Quomodo damnabimus, quos Synodus Nicena non tetigit?* Reſpondet *Hieronymus. De Ario tùm, non de Origene quæſtio fuit.* Poſtea. *Alioqui hoc argumento nec Valentinus, nec Marcion, nec Cataphryges, nec Manicheus damnari debent, quia Synodus Nicæna eos non nominat, quos certè ante Synodum fuiſſe non dubium eſt. Quod ſi quando vrgeri cæperint, & aut ſubſcribendum eis fuerit, aut exeundum de Eccleſiâ, miras ſtrophas videas* &c. Priorem tamen ſententiam volunt aliqui eſſe communiorem Scholarum Sententiam, & inſtant de Aſſumptione B. Virginis apud *Suarez* to. 2. diſp. 21. Sect. 2. *Abulẽſem* in c. 22. *Math.* q. 230. & alios frequenter,

2. Alij ſunt, ſed ex *Hæterogeneis* deſcendunt, qui ſimpliciter Traditiones haud eſſe efficaces æſtimant, & *Cyprianum* huius ſententiæ Patronum citant in Epiſt. ad *Pompeium* contra *Stephanum*, vbi Traditionem conſtantem de non rebaptizandis hæreticis vehementer vrget,

Cyprianus

Cyprianus in hunc modum explicat. *Vndè eſt iſta Traditio? vtrumnè de Dominicâ & Euangelicâ authoritate deſcendens, an de Apoſtolorum mandatis atq; Epiſtolis veniens? Ea enim facienda eſſe quæ ſcripta ſunt, Deus teſtatus eſt, & proponit ad Ieſum Naue dicens: Non recedet liber Legis huius ex ore tuo, ſed meditaberis in eo die ac noctе, & obſeruare facies omnia quæ ſcripta ſunt in eo. Item Dominus Apoſtolos ſuos mittens, mandat baptizari gentes, & doceri, & obſeruare omnia quæcumque ille præcepit. Si ergò aut in Euangelio præcipitur, aut in Apoſtolorum Epiſtolis, aut actibus continetur, vt à quâcumque hæreſi non baptizentur, ſed tantùm manus illis imponatur in gratiâ, obſeruetur: diuina hæc eſt Sancta Traditio,* &c.

Magnam profectò apparentiam præ ſe ferunt hæc *Cypriani* verba, vt omnem Traditionem non ſcriptam in eius ſententiâ explodant. Nec reſponſio Bellarmini facit ſatis, qui vult *Cyprianum hæc dixiſſe cùm errorem tueri vellet more errantium.* l. 4. de verbo Dei c. 41. Mentem eius multò rectiùs aſſecutus eſt doctiſsimus *Pamelius*, qui dicit Cyprianum *noluiſſe humanam Traditionem diuinæ diſpoſitioni anteponi. Quum enim Stephanus nullam proponeret Scripturam de Hæreticis non baptizandis; & econtrario ob oculos verſarentur Cypriano multa Scripturæ, quæ ſuam viderentur confirmare primâ facie ſententiam; videbatur illi Stephanus Scripturis Sacris Traditionem anteponere, atq; adeò reijcere mandata Dei vt ſuam Traditionem ſtatueret. Atqui ſi inſtructus fuiſſet diligentiùs Cyprianus, nihil efficaciæ habere Scripturas illas, non dubitat Auguſtinus quin contrariam Traditionem acceptaſſet.* Hæc ille. Et omninò hoc cogitat *Aug.* l. 5. de baptiſ. c. 23. vbi rei proceſſum enarrat. Vrgebat quidem *Cyprianus* Sacræ Scripturæ textus, quibuſcumque Traditionibus iure anteponendos, vt etiam declarat *Aug.* l. 2. de bapt. c. 3. & 4. vbi conſulit Donatiſtis, vt *Cyprianum* hac in parte imitentur, vt ſicut *Cyprianus* voluit, omnes Synodos & conſuetudines Scripturis cedere: ita *Donatiſtæ* Sacras Scripturas *Cypriani* Synodo præponerent. Idem etiam proſequitur *Aug.* l. 4. c. 8. & l. 5. contra *Donatiſtas* poſt collationem c. 15. dicens, *Concilia non eſſe comparanda Scripturis*, Quaſi inquit *Epiſcoporum Concilia Scripturis Canonicis aliquando fuerint comparata.* Et in hoc rectiſsimè. Quoad Traditiones verò ſunt aliqui Do-

ctores

ſtores moderni, qui Scripturas eis cedere debere contendunt, vt etiam oſtendo Capite ſequenti. Procedamus. Error *Cypriani* erat in malo Scripturæ intellectu, non in Traditionum Apoſtolicarum, quas vbiq; veneratur, vilipenſione. *Cyprianus* literam Scripturæ vrgebat, *Stephanus* & reliqui Patres præceptum ab Apoſtolis traditum, & per veterum manus ad illud (quo verſabantur) ſæculum, ſine ſcripto deductum proferebant, & poſt pleniorem rei diſcuſsionem, palmam reportabant.

3. Nihil proindè hinc contra veras & Apoſtolicas Traditiones coucludi poteſt, ſed caſu quo Antitheſis inter Scripta & non Scripta, licet credita appareat, Sacris Scripturis cedere contendebant. Sic etiam Chriſtus Dominus 15. Math. *Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter Traditionem veſtram?* Hoc ſolùm voluit *Cyprianus*, vt etiam in Epiſt. 63. hoc idem aſſerit: *Quare ſi ſolus Chriſtus audiendus eſt, non debemus attendere, quid alij ante nos faciendum putauerint, ſed quid, qui ante omnes eſt, Chriſtus, prior fecerit. Neque enim hominis conſuetudinem ſequi oportet, ſed Dei veritatem: cùm per Iſaiam Prophetam, Deus loquatur & dicat, Sine cauſâ autem colunt me, mandata & doctrinas hominum docentes*, &c. Hoc etiam volebant & alij Patres, vt in ſexcentis apud eos locis facilè oſtendere poſſem. *Cyprianus* vbique intuebatur vniuerſalem & *robuſtam* conſuetudinem, vt teſtatur *Aug.* l. 2. c. 8. *Defenſiones autem ipſius conſuetudinis non tales afferrebantur, quibus illa talis anima moueretur. Et hinc noluit vir grauiſſimus, rationes ſuas, etſi non veras, quòd eum latebat; ſed tamen non victas, veraci quidem, ſed tamen nondum aſſertæ conſuetudini cedere.* Nempè quia Scripturas conſuetudini licet vniuerſali præponebat, Vndè in Concil. *Cypr.* dixit *Liboſus Vagenſis. In Euangelio Domini, ego ſum, inquit, veritas: non dixit, Ego ſum Conſuetudo. Itaq; veritate manifeſtatâ cedat conſuetudo veritati.* Fœlix Buſſalenſis dixit. *In Hæreticis ſine Eccleſiæ Baptiſmo admittendis, nemo conſuetudinem rationi & veritati præponat: quia conſuetudinem ratio & veritas ſemper excludit.* Item Honoratus Astuca dixit. *Cùm Chriſtus veritas ſit, magis veritatem quam Conſuetudinem ſequi debemus.* Ex quibus liquidè apparet, Sanctos ibi Patres non ſimpliciter contra Traditiones, quas

nes, quas *conſuetudines* vocant, egiſſe: ſed comparatiuè reſpectu Scripturarum. Vndè *Aug.* l. 3. c. 6. his omnibus reſpondet: *Quis dubitet veritati manifeſtæ debere conſuetudinem cedere?* Et per veritatem ſemper intelligunt Sacram Scripturam. Hîc vtique vel maximè valet illud *Aug.* contra fundamentum c. 4. *Quæ quidem ſi tam manifeſta monſtratur, vt in dubium venire non poſſit, præponenda eſt omnibus illis rebus, quibus in Catholicâ teneor; Ita ſi aliquid apertiſſimum in Euangelio*, &c. vbi manifeſtè vult Euangelium præponi debere, & quidem longiſſimè omnibus alijs, quæ nos in *Catholicâ* tenent.

Infinita SS. Patrum, *Athanaſij*, præcipuè de *Synodis*, *Optati* l. 5. & longè ante eos, *Origenis* hom. 1. in *Hieremiam*, & præſertim tractatu in 23. Matth. *Tertulliani* de Præſcr. c. 3. qui etiam aduerſus *Hermogenem* circa medium ſic loquitur. *Scriptum eſſe doceat Hermogenis officina. Si non eſt ſcriptum, timeat Væ illud adijcientibus aut detrahentibus deſtinatum*, &c. Huiuſmodi dico & ferè omnium veterum adferrem loca, pro ſolâ Scripturarum præcedentia & ſufficientia in ordine ad ſalutem, niſi abundè de eorundem ſenſu pro Traditionum neceſſitate ex alijs eorum Scriptis conſtaret. Ne faſtidio ſim Lectori, *Concilio generali ſeptimo*, *Auguſtino*, *Chryſoſtomo*, *Lerinenſi*, & tandem *Tertulliano* contentus, qui inſtar omnium ſunt, ad alia digrediar. Concilium illud, præcipuè innixum eſt Traditioni in materiâ Imaginum, vt patet Tomo, vt vocant, quarto: vbi *Epiphanius* oſtendit hoc genus argumentationis eſſe validum, etiam in rebus Fidei; & ibi per Patres probat Traditionem, quam prætendit contra omnes Iconolaſtas, & approbauit Concilium, vt ibi patet act. 7. in fine *Definitionis. Si quis Traditiones Eccleſiæ, ſiue ſcripto, ſiue conſuetudine valentes non curauerit, Anathema*. *Aug.* l. de vtil. credendi agens contra *Manichæos*, adeò Scripturis in materiâ Fidei nitendum docet, *vt nemo indè haurire non poſſit, quòd ſibi ſatis eſt, ſi modo ad hauriendum deuotè ac piè, vt vera Religio poſcit, accedat.* Et in actis cum *Fælice* l. 1. c. 14. *Manichæus* docet *non poſſe omnem veritatem oſtendi per Apoſtolos. Aug.* verò contra aſſerit, *oſtendam ſecundum Scripturas quòd pertinet ad Fidem Chriſtianam.* In his & alijs eiuſdem conditionis locis, non intendit Sanctus Eccleſiæ Doctor,

ctor, Traditiones quas veneratur, explodere (quòd alij extorquere volunt) ſed peſſundare ſolùm cõtendit impias & blaſphemas Manichæi, quas finxit Scripturas: & non ex ipſis, ſed veris Apoſtolorum ſcriptis, veritatem expromendam docet. Alibi verò luculentum fert judicium, & Eccleſiæ Vniuerſalis de Traditionibus ſenſum declarat, *c.* 8. ſuperiùs citato: vbi cauſam *Cypriani* agens, oſtendit Concilium Vniuerſale ex ſolâ Traditione veritatem contra *Cyprianum* definijſſe, & omnes Chriſtianos obligaſſe. Quid vlteriùs pro Traditionum veritate & neceſsitate ab homine Chriſtiano ex *Auguſtino* deſiderari potuit?

Chryſoſtomus etiam in Homilia prima ad Acta Apoſtolorum, ſic loquitur, *Euangeliſtæ ſemper incubuerunt in ea, quæ magis vrgebant, nec illis curæ fuit hiſtorias conſcribere. Siquidem non parum multa & abſque ſcripto tradiderunt*. Quid euidentiùs deſiderari poteſt? Vtique manifeſtè teſtatur, Apoſtolos *non parum multa* per manus diſcipulorum Eccleſiæ tradidiſſe, & illa inter ea *quæ magis vrgebant* connumeraſſe. Hoc expendant *Sectarij*.

4. Sapientiſsimus denique *Lerinenſis* hunc nodum diſſoluit. *Siue tu ipſe, ſiue quiſpiam alius, velit exurgentium Hæreticorum fraudes deprehendere, laqueos vitare, & in Fide ſana, ſanus atque integer permanere; duplici modo munire Fidem ſuam Domino fauente debet, cùm Diuinæ legis authoritate, tùm deinde Eccleſiæ Catholicæ atque Eccleſiaſticorum Patrum Traditione. Etſi porrò Scripturarum Canon perfectus, & ſibi ad omnia ſatis ſuperque ſufficere videtur: opus nihilominus eſt, vt ei Eccleſiaſticæ Intelligentiæ authoritas adjungatur: vt non jam penè quot ſunt homines, tot illinc ſententiæ eruãtur, tam variæ, tamq́ contrariæ; Sed potius Propheticæ atq́ Apoſtolicæ interpretationis linea juxta Eccleſiaſtici veriq́ Catholici ſenſus legẽ dirigatur. Vt in Eccleſia (quod curandum eſt) id omnes teneamus, quod vbique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt.* Hæc ille. Vt etiam rectiſſimè ponderauit *Horantius* de locis l. 5. c. 1. Duas ergò Fidei regulas proponit, Scripturæ Canonem, & conſtantem Patrum Traditionem, & ambæ ſequendæ ſunt, ſi quis velit *in Fide ſana ſanus atque integer permanere.* Optimè etiam *Petrus à Soto* in ſua defenſione Catholicæ Confeſsionis c. 49. dicit: *Hæc ambo, Prædicatio Apoſtolorum & Scriptura Canonica*

Spiritus ſancti Reuelatio ſunt: & de qualibet earũ veriſſimum eſt illud Pauli, ſed licet nos, aut Angelus de cælo, euangelizauerit, præter quam quod euangelizatum vobis, Anathema ſit. Per prædicationem autem Apoſtolorum, intelligit ſemper Traditionem quam vocamus Apoſtolicam. Sic etiam *Baſilius* de *Spiritu Sancto* c. 27. vocat Traditionem Apoſtolicam, *Prædicationem:* & reijciendo eam dixit, quod *ipſam Fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus.* Pergit à *Soto, Dubium ergo eſſe non poteſt, populos atq; diſcipulos ab Apoſtolis edoctos ſic plenè fuiſſe, vt omnium rerum quas docebant, & ad ſalutem neceſſariæ erant, abſque vlla ambiguitate, aut diuerſorum ſenſuum multitudine, plenam cognitionem conſequerentur,* vt ipſe docuerat c. 48. Egregium proinde eſt illud *Cyrilli* Ep. 1. to. 4. in Epheſina cõtra *Neſtorium, De Θεοτόκου hanc nobis Fidem Diuini tradiderunt Diſcipuli, & licet nullam fecerint dictionis huius mentionem, ita tamen ſentire à SS. Patribus edocti ſumus.* Vndè iterum *Lerinenſis* c. 14. grauiſſimè pro more ſuo hâc totam veritatem concludit: *Annunciare aliquid Chriſtianis Catholicis præter id quod acceperunt, nunquam licuit, nũquam licet, nunquam licebit. Conſanguinitas* nimirum *Doctrinæ* requiritur vt loquitur *Tertul.* de Præſcript. Diuus etiam *Baſilius de Fide* non longè ab initio, de argumentis à *Traditionibus* contra Hæreticos petitis, ediſſerens, dicit, *Atque his ſæpè numero eiuſmodi (quæ licet in Sacroſancta Scriptura nuſquam reperirentur) à pio tamen & ſanctis literis conſentaneo ſenſu neutiquam abhorrerent.* Poſtea. *Quæ vero ejus generis eſſent, vt præter vocis nouitatem, ſenſum etiam nobis nouum atq; inuſitatum afferrẽt, & apud Sanctos viros nuſquam in vſu fuiſſe reperirentur: hæc omnia veluti peregrina, atque à piâ Fide penitus aliena repudiarem atq; auerſarer.* Traditiones efficaciſsima Argumenta conficere contendit *Baſilius*: nouitates verò proponere loco Traditionum, hoc vel maximè reſpuit.

Irenæus qui mirè concertat pro *Traditionibus* vt ſæpius noto. l. verò 3. c. 3. poſt ſuam de hac re diſputationem concludit, *Et eſt pleniſſima hæc oſtenſio, vnam & eandem viuificatricem Fidem eſſe, quæ in Eccleſia ab Apoſtolis (vt nunc ſit) conſeruata & tradita in veritate.* Putat *Traditionem* certam eſſe *oſtenſionem*, ſeu rei quæſitæ probationẽ *pleniſſimam.* Et adhuc pleniùs c. 4. prorſus legendus eſt, vbi aſſerit, *pleniſſimè omnia*

quæ ſunt

quæ ſunt veritatis, ab Apoſtolis in Eccleſia, vt in *Depoſitorio diuite* reponi, & dicit, *facile eſſe* ibi omnem veritatem ſumere.

Per modum Coronidis in hac materia adiungam *Origenem*, cuius acrimoniam in rebus perplexis cum *Hieronymo* valdè veneror. Ipſe in proœmio in *Periarchon* dicit: *Seruetur Eccleſiaſtica prædicatio per ſucceſſionis ordinem ab Apoſtolis tradita, & vſque ad præſens in Eccleſijs permanens: illa ſola credenda eſt veritas, quæ in nullo ab Eccleſiaſtica diſcordat Traditione.*

Epiphanius etiam *hæreſi. 60.* n. *6.* expreſſè aſſerit & probat ex Apoſtolo, Non omnia ex ſcripturis haberi poſſe, ſed partim Traditionibus. *Hæreſi* etiam 76. n. 8. ad illud caput reducit *Doctrinam Eccleſiaſticam de orando pro mortuis*, ſubdens: *Neceſſariò Eccleſia hoc perficit Traditione à Patribus accepta*, &c. Plura ibi habet, ſed hæc ſufficiunt.

Damaſcenus ſexcenties hoc docet, tam alibi ex *Baſilio* & alijs veteribus; tùm ſpecialiter in libris *de Orthodoxa Fide* l. 4. c. 13. *Eſt autem Apoſtolorum hoc inſtitutum, literis ſacris haud quaquam proditum: complura etenim illi, nullâ ſcripturæ authoritate nixa nobis tradiderunt.*

Dubium tamen reſtat & illud grauiſsimum. Patres omnes in Concilijs *Cypriani* congregati, (nempè tria Concilia hac de re in Africa celebrauit Cyprianus tēpore Stephani) vt ex eius Epiſtolis ab Ep. 70. & ſequentibus colligere licet: Alia etiam in Oriente ad idem celebrabantur, quorum alterum apud *Symmada*, alterum apud *Iconium Phrygiæ* oppida, vt oſtendit. *Dyon. Alexand.* Ep. ad *Fabiam* apud *Nicephorum*. *Firmilianus* etiam Ep. *76*. ad *Cyprian.* dicit multos ex Galatia, Cilicia & propinquis Regionibus Epiſcopos eò veniſſe. Differentia quidem hæc erat, quod *Firmilianus* cum ſuis, Conſuetudini conſuetudinem, ſeu Traditioni Traditionem opponebat, vt alibi ſuo loco oſtenſurus ſum; *Cyprianus* verò & ſui, qui omnes Oxthodoxi tunc erant, Traditionem (de cuius ſoliditate agebatur) noſcebant: vniuerſaliter acceptam à Patribus Traditionem agnoſcebant, vt apertè teſtatur *Aug.* locis citatis, & etiam ex eorum dictis citatis conſtat, nec tamen inerrabilem judicabant. Et ideò *Cypr.* Ep. *71*. dicit, *Non eſt autem de Conſuetudine præſcribendum, ſed ratione vincendum.* Et

proindè manifeſtum eſt Traditiones vt ſic, licet vniuerſaliter acceptas, in eorum ſententiâ, non Fidei argumentum certum conflare. Quòd etiam eò magis confirmatur, quod Concilium illud vniuerſale ob eorum Controuerſiam coactum, hanc ſententiam, vt hæreticam non exploſit, vt ex eius actis apud *Auguſtinum* patet.

Sed hoc non volunt Sancti & Orthodoxi illi Patres. Traditiones Diuinas nuſpiam rejecerũt, & propterea *Firmilianus* ad & apud *Cyprianum* Ep. 75. dicit, *Apparet Traditionem hanc humanam eſſe*, & ex hoc, licet falsò, capite illam rejecerunt. Traditiones ſcilicet in Scripturis fundatas, vel quæ Scripturarum ſenſum ab Apoſtolis (in quibus Chriſtus loquebatur) traditum deferunt, nullibi reſpuunt: quinimmò vbique venerandas inſinuant, vt ex *Aug.* facilè colligi poteſt. Immò ipſe *Lerinenſis* in locis præcitatis, haud alias Traditiones, vt Fidei regulas admittere videtur: ſtatim enim vt Traditionum meminerat, ſe explicans ſubdit, *Scripturæ Canonem, & Propheticæ, & Apoſtolicæ interpretationis lineam requiri & ſufficere.* Traditiones igitur Eccleſiaſticæ in ſenſu *Lerinenſis in linea* illa interpretationis Scripturarum conſiſtunt. Capit. etiam 2. hæc habet. *Hîc forſitan requirat aliquis: cùm ſit perfectus Scripturarum Canon, ſibiq; ad omnia ſatis ſuperq; ſufficiat, quid opus eſt, vt ei Eccleſiaſticæ intelligentiæ jungatur authoritas? Quia videlicet Scripturam Sacram pro ipſâ ſuâ altitudine non vno eodemq; ſenſu vniuerſi accipiunt*, &c. Capit. etiam 41. ferè idem habet. *Non quia Canon ſolus ſibi ad vniuerſa non ſufficiat, ſed quia verba Diuina pro ſuo plerique arbitratu interpretantes, varias opiniones, erroreſq; concipiunt.* Requirit igitur Traditiones, vt Canonis explicatiuas, ad confuſionem opinionum & errorum præueniendam. Nec vllibi apud veteres, huiuſmodi Traditiones deſpectæ, quinimmò vel maximè reſpectæ leguntur. Sic etiam *Irenæus* ipſis longè antiquior *l. 3. c. 3.* aduerſus hæreſes vbi huiuſmodi *Traditiones tanquam Fidei certas regulas* planè admittit. Quoad alias verò, quæ ideò ſolùm ab Apoſtolis deriuari creduntur, quia ab Vniuerſali Eccleſiâ obſeruantur: fateor ſecundum *Africanos* & *Cappadoceanos* illos Patres (quam etiam opinionem ibidem haud reijcit *Auguſtinus*) non Fidei certitudinem indicare, niſi *Concilij Vniuer-*

ſalis

ſalis contentiſſimâ authoritate obfirmentur. Exploratiſsimum hoc fatebitur quiuis eruditus & æquus rerum librator, & in hoc ſenſu loquiquitur *Auguſt.* l. 7. de bapt. c. 53. *Non eſſe tutum in ea progredi aliquâ tenacitate ſententiæ, quæ nullo in Catholico Regionali Concilio cæpta, nullo plenario Concilio terminata ſunt.* Quæcumque occurrentes quæſtiones, etiam *Traditiones*, per Concilia declarandæ ſunt, ſi ad Fidem admittendæ. Et de his loquitur *Aug.* de vtil. credendi c. 14. *Si iam ſatis tibi iactatus videris, finemq́; huiuſmodi laboribus vis imponere; ſequere viam Catholicæ diſciplinæ, quæ ab ipſo Chriſto per Apoſtolos ad nos vſque manauit, & ab hinc ad poſteros manatura.* Nec obſtat quòd dicit *Aug.* l. 2. de Baptiſmo contra *Donatiſtas* c. 7. *Hanc conſuetudinem credo ex Apoſtolicâ Traditione venientem, ſicut multa non inueniuntur in literis eorum, neque in Concilijs Poſteriorum, & tamen quia per vniuerſam cuſtodiuntur Eccleſiam, non niſi ab ipſis tradita & commendata creduntur.* Piè vtique oſtendit *Auguſtinus* ſe huiuſmodi vniuerſalibus Traditionibus mox crediturum, manifeſtè verò in ſequentibus declarat, illas non eſſe *ſimpliciter obligatoriis* ante Concilij Vniuerſalis confirmationem. Et ex hoc capite eximit *Cyprianum* & reliquos Epiſcopos ab hæreſi & ſchiſmate: nempè *Traditio* illa cui ſe opponebant, licet vniuerſalis erat, tamen quia nondum ab aliquo Concilio Vniuerſali erat vt Diuina declarata; ideò *Auguſtinus* eos excuſabat. Erat vtique de numero earum, de quibus egi ſub initium huius Capitis, quæ Conciliorum confirmationem requirunt, ad effectum ex illis fidem aſtruendi vel declarandi etiam Conciliariter. Aliæ verò Traditiones quæ ſenſum Scripturæ neceſſarium Poſteritati deferunt; ex & cum ipſis Scripturis authenticantur, & ſemper de fide fuerunt ſecundum veteres. Notandum tamen eſt, quod licet Patres non inſimulabant hos *Africanos* hæreſeos (licet ſtatim non acquieſcebant Conſuetudini) tamen *Lerinenſis* ſic loquitur. *Primus*, inquit, *omnium Agrippinus Carthaginenſis Epiſcopus, cōtra Diuinum Canonem, contra vniuerſalis Eccleſiæ regulam, contra ſenſum omnium conſacerdotum, contra morem atq́; inſtituta Majorum rebaptizandum eſſe cenſebat.* Singula verba debent ponderari, nam certè errorem illum his verbis, iam tum hæreſi proximum arguit. Poteſt

tamen

tamen teneri ſententia ſuperioris Capitis ſine hæreſi, ad regulas hîc poſitas *Auguſtini* limata. His igitur miſsis, progrediamur.

CAPVT IX.

An ſolæ Traditiones ſufficiant pro fundamentis Fidei.

1. NOſter *Dialogiſta* totus eſt pro Traditionibus quoad Fidem, vt abundè patebit in Capite ſequenti: adeò vt eas ſolas habere rationem fundamentorum, & ex quibus ſolis Concilia Fidem eruere poſsint, aſſerere videatur. Probationes quas adfert ibi, expendam, quia connexionem habent cum ijs, quæ ibi tractanda ſunt de Authoritate Scripturarum. Alij denique fuerunt, vt *Petrus à Soto* in ſuâ quam vocat *defenſione*, fusè; & inuictus Martyr *Thomas Morus* contra *Tyndallum* ſæpè in quæſtione, *Vtrum Apoſtoli aliqua tradiderint non ſcripta de neceſsitate credenda?* Vbi ſanè hac in parte præfert tradita Scriptis. Sic etiam alij per quam plurimi qui Principia prioribus in capite vltimo allatis oppoſita ſequentes, inter fundamenta, Traditiones Apoſtolicas vſque ad hæc tempora ſuccedentes, & vbique vt tales *nunc* creditas, *præcipuè* numerandas docent: adeo vt Eccleſia in Concilijs infallibiliter definiendo veritates Fidei, præcipuè inniti poſsit Traditionibus, præſertim quas hodiè conſpiciunt Patres vbique terrarum à populo Chriſtiano, vt de Fide acceptas. Et certè *Vincentius Lerinenſis* c. 32. Videtur his Doctoribus prorſus fauiſſe. *Hoc inquam ſemper, neque quicquam præterea hæreticorum nouitatibus excitata, Conciliorum ſuorum decretis Catholica perfecit Eccleſia, niſi vt quod prius à maioribus ſola traditione acceperat, hoc deinde poſteris etiam per ſcripturæ chirographum conſignaret.*

Si hoc ſemper, neq; quicquam, &c. & *ſola traditione*, &c. profectò conuincitur principalitas, ſi non ſolietas traditionum pro fundamento Fidei. Progrediuntur verò prædicti Doctores, & eò vſque deferunt præſenti Eccleſiarum atteſtationi, quòd putent Concilia non teneri ad vlteriùs

Digitized by Google

vlteriùs inquirendum , vel priorum ſæculorum monimenta luſtrandum, modò nunc vniuerſim acceptæ fuerint. Et hoc ſiue ſcripto, ſiue voce traditæ fuerint, modo vniuerſim vt tales acceptæ ſint: nimirùm eo tempore, quo nulla erat diſſenſio: nam (vt refert *Socrates*) *Nectarius* propoſuit *Theodoſio* optimam reuincendi Hæreticos viam fuiſſe, vt teſtimonia veterum, qui *ante Diuiſionem floruerunt*, adducerentur. Sic etiam *Aug.* l.4. contra duas Epiſtolas *Pelagianorum* ad *Bonifacium* c.8. Sanctorum literas proferendas docet, *vt admoneantur quemadmodum de ijs rebus ante noua ipſorum vaniloquia, Catholici Antiſtites, eloquia diuina ſecuti ſunt*, &c. Nam quod tunc vniuerſim acceptum fuit, vel nunc eſt, à Patribus indubiè hæreditariè acceperunt filij: & ſic pari gradu, vſque ad ipſos fontes. Nec opus ſingula ſæcula luſtrari, hoc præſens de præteritis fert Teſtimonium, ſecundum illud *Deut.* 32. *Interroga Patrem & annunciabit tibi*. Et illa fuit regula in lege veteri, cur non etiam hodie? Imò ipſos libros Canonicos licet ab Eccleſiâ præſenti infallibiliter authenticari, ſeu de nouo, vt Canonicos declarari (niſi omninò conſtiterit de ſucceſsiuâ Patrum ad hæc vſque tempora eorundem librorum Traditione) non poſſe ſtatuant: ab initio tamen declaratos, tanquam Fidei depoſitum, Eccleſiæ ab Apoſtolis per manus Patrum concreditum, fideliter cuſtodiri concedunt.

2. Et ex hoc quod Sacra Volumina dum recens naſceremur, reperimus ab Eccleſiâ Vniuerſa hinc inde licet diſperſa, *ſine nouitatis inſimulatione* generaliter recepta: ſine vlteriori inueſtigatione ab Apoſtolis tradita eſſe credendum docent. Et hôc prout etiam in ſexcentis alijs Concilijs ſpecificè declaratur in *Lateranenſi* ſub *Martino* can. 16. *Si quis non confitetur ſecundum Sanctos Patres, propriè & verè omnia quæ tradita ſunt & prædicata Sanctæ & Apoſtolicæ Dei Eccleſiæ, ab ipſis Sanctis Patribus, & probabilibus & vniuerſalibus Concilijs, vſque ad vnum apicem, & verbo & mente: ſit condemnatus.* Sic etiam in Synodo Generali octaua can. 1. & vt dixi in omnibus Concilijs eſt ſtilus ordinarius. Quicquid ergò Eccleſia recipit (ſecundum hos Patres) indiſtinctè recipiendum eſt.

Ratio eorum eſſe debet, quia Eccleſia Vniuerſalis in neceſſarijs ad

Digitized by Google

ſalutem ſemper ſibi cõſtat: firmamentum vtique & *Columna eſt veritatis*, ſeu vt loquitur *Irenæus*, eſt *ditiſſimum quoddam, fideliſſimum diuinumq́ Depoſitorum deſtinatum ab orbe condito, in quo quicquid Deus per Prophetas olim; nouiſſimè verò per filium ſuum, & per filij ſui diſcipulos, Magiſtros noſtros Apoſtolos nobis reuelauit; pleniſſimè contulit aſſeruandum: vt ſuo tempore hinc noua & vetera Deus ipſe depromat.* Sic *Horantius*. Sed legẽdus eſt *Irenæus* in ſuis proprijs ſcriptis, vel maximè in *l.3.c.4.l.4.c.43.&c.63.* Nec diſsimile eſt quòd habet in l. 1. c. 3. *Hanc prædicationem cùm acceperit, & hanc Fidem, quemadmodum prædiximus, Eccleſia, & quidem in vniuerſum mundum diſſeminata, diligenter cuſtodit, quaſi vnam domum inhabitans, & ſimiliter credit ijs, videlicet quaſi vnam animam habens, & vnum cor, & conſonanter hoc prædicat & docet, & tradit quaſi vnum poſſidens os. Nam etſi in mundo loquelæ diſſimiles ſunt, ſed tamen virtus Traditionis vna & eadem eſt.* Plura ibi habet, vbi fusè hoc confirmat. Et inter quam plurima alia, dicit. *Eccleſiæ quidem prædicatio vera & firma, apud quam vna & eadem ſalutis via in vniuerſo mundo oſtenditur. Huic etiam creditum eſt lumen Dei, & propter ſapientiam Dei, per quam ſaluat homines in exitũ, canitur: In plateis autem fiducialiter agit, in ſummis muris prædicatur, in portis autem Ciuitatis conſtanter loquitur, vbique enim Eccleſia prædicat veritatem, & hæc ἑπταμυξος Lucerna, Chriſti bajulans lumen. Qui ergò relinquunt præconium Eccleſiæ, imperitiam Sanctorum Preſbyterorum arguunt, non contemplãtes, quantò pluris ſit Idiota religioſus à blaſphemo & imprudente Sophiſta.* Hæc ille. Vbi ſanè prima facie videtur adæquatum Fidei fundamentum in Traditionibus ponere. Egregium etiam eſt quod docet *Tertullianus* contra *Marcionem* l. 4. *Traditioni Apoſtolorum Eccleſiæ authoritatem patrocinari.* Hoc eſt, Eccleſia ſemper dat Teſtimonium doctrinæ ab Apoſtolis traditæ, nempè, eas vt de Fide amplectendas declarat. Mos igitur Populi Dei ab omnibus Eccleſijs totius orbis receptus, inuiolabilis & diuina Lex cenſeri debet, ſi in tali gradu obtinuit in Eccleſia. Nam vt rectè *Origenes* ſuper Matth. hom. 29. ad illum locum. *Ecce hîc eſt Chriſtus*, poſt multa dicit, *Veritas ſimilis fulguri egredienti ab Oriente, & apparenti vſque ad Occidentem, qualis eſt veritas Eccleſiæ Dei. Ab eâ enim ſola ſonus in omnem terram exiuit, & in fines*

orbis

Digitized by Google

orbis terræ verba eorum, & velociter currit ſola virtus Dei. Si igitur per omnes fines terræ percurrit, *veritas eſt, & ſola virtus Dei* ſecundum Origenem. Si *ſola virtus Dei,* ergò ſufficiet ſaltem pro præcipuo Fidei fundamento. In hom. etiam 30. ad illa verba, *vt in errorem inducantur ſi fieri poteſt, etiam Electi,* poſt alia dicit: *Propterea non debemus attendere eos qui dicunt, Hìc eſt Chriſtus, non autem oſtendunt eum in Eccleſiâ, quæ plena eſt fulgore, ab Oriente vſque ad Occidentem, quæ eſt plena lumine vero, quæ Columna eſt & firmamentum veritatis, in qua ſola totus eſt aduentus filij hominis dicentis omnibus vbicumque ſint: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi,* &c. Non opus igitur alio Teſtimonio, ſeu Fundamēto Fidei, ſi Eccleſia in ſua Catholica latitudine pro vero lumine prædicarit. Nam vt olim *Aug.* l. 1. contra *Creſconium* c. 33. poſt alia dicit: *Proinde quamuis huius rei de Scripturis Canonicis non proferatur Exemplum, earundem tamen Scripturarum etiam hâc in re à nobis tenetur veritas, cùm hoc facimus quod vniuerſæ nunc placuit Eccleſiæ, quam ipſarum Scripturarum commendat authoritas.* Et certè *Irenæus* ille *Polycarpi* diſcipulus in loco ſuperiùs citato, apertè arguit Traditionem eſſe Apoſtolicam, & inſtitutionem Diuinam quæ in omnibus Eccleſijs eſt recepta. Verba eius ſunt. *Traditionem Apoſtolorum in toto mundo manifeſtam, in Eccleſiâ adeſt perſpicere omnibus, qui vera velint audire.* Quid clariùs poteſt dici? Ex præſentis Eccleſiæ conſuetudine, Traditionem Apoſtolorum manifeſtam infert, & in verbis ſequentibus oſtendit vniformitatem ſucceſſiuam Traditionis, quam ibi inter Apoſtolicas annumerandam cenſet. Et hoc eſt quod dicit *Aug. Palam eſt quòd in re dubia, ad Fidem & certitudinem valeat Catholicæ Eccleſiæ authoritas, quæ ab ipſis fundatiſſimis Apoſtolorum ſedibus, vſque in hodiernum diem ſuccedentium ſibimet Epiſcoporum ſerie, & tot populorum aſſertione firmatur.* Nec *Auguſtinus* ſolùm adhærendum putat Eccleſiæ in tota ſucceſſione ab Apoſtolis deductæ, ſed vbi controuerſia in Eccleſiâ exoritur, quæ non manifeſtè habetur deciſa in Scripturis, remittit nos ad praxim Eccleſiæ Catholicæ præſentis, De Baptiſ. l. 7. c. 33. *Et quoniam Sancta Scriptura fallere non poteſt, quiſquis falli metuit huius obſcuritate quæſtionis, eandem Eccleſiam de illâ conſulat, quam ſine*

vllâ ambiguitate, ſancta Scriptura demonſtrat. Huic etiam conſonat illud magni (vt vocant) *Buridiani* in Ethicorum ſuo proemio, vbi dicit, *Seſe Traditionibus antiquorum nunqam deceptum fuiſſe.* Nempè ſi conſtantes & vnanimes fuerint. Nec repugnat illud *Lerinenſis* Proloquium, *Quod vbiq;, quod ſemper, quod ab omnibus eſt,*&c. Vndè *Canus* l. 2. c. 6. *Apoſtolicæ Traditionis certior Teſtis nemo eſt, quam Eccleſia: nam quid acceperit, ecquis clariùs euidentiuſque teſtabitur, quam ipſa quæ accepit? Scripturæ igitur ſenſus ab Apoſtolis Eccleſiæ traditus penes Eccleſiam eſt.* Hæc ille. Eccleſia igitur præſens, id eſt in ſuis membris & populis diffuſa, per totum orbem enucleatè teſtatur, quæ Tradita ſunt: ſemper enim Eccleſia præſens, Eccleſiæ Prædeceſſorum conuenit. Et ad hæc præcipuè coguntur Concilia, vt cognoſcatur, quæ ſit de ortâ aliquâ quæſtione totius Eccleſiæ ſententia, & quam Traditionem ſeruent; vt etiam inſinuat *Bellarminus* libro 4. de Pontificè. Et ideò benè dicit *Eraſmus* ad *Policanum* l. 19. Farraginis Epiſtolarum. *Eccleſia mihi perſuaſit Euangelio credere, eadem Magiſtra verba Euangelij interpretari, hactenus cum omnibus Chriſtianis Chriſtum pro me paſſum adoraui in Euchariſtia, nec adhuc video cur debeam ab hac opinione recedere. Nullis humanis rationibus abduci potero à communi ſententiâ Chriſtiani Orbis.* Poſtea. *Si tuus animus vacillat, vt ſolebas profiteri, qui nihil tribuis authoritati Pontificum & Conciliorum, meum contra animum confirmat Eccleſiæ Catholicæ conſenſus.* Et certè vniuerſalis ille conſenſus, debet cuiuis Chriſtiano & ſincero affectui ſufficere. Nimirùm *Arnobius* & alij veteres, Diuinitatis veſtigium hîc latitare ſemper exiſtimabant, vndè ille in quodam loco, *Virtutes ſub oculis poſitæ, & inaudita illa vis rerum, vel quæ ab ipſo (ſcilicet Chriſto) fiebat palam, vel ab eius præconibus celebrabatur in orbe toto, eas ſubdidit appetitionum flammas, & ad vnius Credulitatis aſſenſum mente vnâ concurrere gentes & populos fecit, & moribus diſſimillimas Nationes.* Et certè ſtupeſceret quiuis cordatus, accuratè expendens mirabilem illum *vnius credulitatis aſſenſum, & mentem vnam,* quam in omnibus populis & gentibus tot licet bellis ſe inuicem confodientibus, vbique ſplendeſcere, conſpicimus. Vndè pulchrè *Iuſtinus* Philoſophus & Martyr in libro admonitorio gentium. *Veluti ex vno ore vnaq; lingua, & de Deo, &*

de

Digitized by Google

de Creatione mundi, & de hominis formatione, & de animæ humanæ immortalitate, & de eo quod poſt hanc vitam futurum eſt judicio, deq́ omnibus quorum cognitio neceſſaria eſt, conſequenter, & inter ſe conſentientes nos edocuerunt; quæ vtiq́ diuina Dogmata diuerſis & locis & Temporibus præbuerunt. Quidni & in tantâ intellectuum vnitate *Diuinitus* fatenda ſit, cùm in illâ voluntatum vnitione, tempore *Auguſti Cæſaris*, quando omnibus gentibus, cunctiſque Prouincijs, innumeris ciuitatibus, infinitis populis, totis terris, vna fuit voluntas, vt egregiè ponderat *Oroſius* l. 3. c. 18. non magnitudini *Cæſaris*, ſed poteſtati *filij Dei* juſtiſsimè tribuitur, & igitur ex his fides meritò aſſeritur.

Hæc dico, non quòd omnis, licet communis Eccleſiæ conſenſus, fidem certò & infallibiliter ſtatim argueret: nam multa huiuſmodi ſunt, quæ non ſtrictè ad Fidem admittuntur, vt alibi notaui; & teſtantur *Canus* l. 12. c. 1. *Cajetanus* to. 2. opuſcul. tract. 2. quæ inter piè credenda reponit, licet *communis Eccleſiæ pietas probabiliter credat.* vt loquitur ille. *Abulenſis* etiam in cap. 22. Matt. q. 230. dicit, licet aliquid *cõmuniter* (nempè ab Eccleſiâ) teneatur, *Si quis tamẽ cõtrarium aſſerat, non contendimus.* Oportet igitur conſtare, quòd Eccleſia firmiter credat, & vt Fidei articulum vbique amplectatur: & tunc Eccleſiæ Catholicæ ſenſus certiſsimè Fidem arguit, & Traditionem Apoſtolicam & Diuinam demonſtrat, ſecundùm illud *Aug.* contra Epiſtolam Fundamenti. *Ea potiùs credam, quæ iam conſenſione Doctorum, indoctorumque celebrantur, & per omnes populos, grauiſſimâ authoritate firmata ſunt.* De huiuſmodi traditionibus non immeritò dicunt prænominati Doctores, eas ſaltem æquè Fidem declarare ac ipſas Scripturas. Pulchrè etiam *Irenæus* l. 3. c. 4. *Cui ordinationi aſſentiunt multæ gentes Barbarorum eorum, qui in Chriſtum credũnt, ſine Charactere vel atramento ſcriptam habentes in cordibus ſuis ſalutem, & veterem Traditiouem diligenter cuſtodientes.* Cap. etiam 3. fusè & doctè egerat de Traditionum vi in materiâ Fidei, ſi attentè legatur, non erit opus aliò confugere. Vndè rectè *Petrus à Soto* c. 50. *Hæc eſt certè lucerna illa ſupra Candelabrum poſita, Apoſtolica prædicatio, omniumq́ findelium conſenſus in illam.* Et ſecundùm hoc optimè notat *Iohannes Picus Mirandula* in quadam *Oratione*

tione, Quòd non ſolùm ſecundùm celebres Hebræorum Doctores, ſed & noſtros, ſecundùm *Heſdram*, *Hilarium & Origenem*: *Moſes non legem modò, ſed ſecretiorem quoque & veram legis enarrationem in mente accepit: præceptum autem ei à Deo, vt legem quidem populo publicaret, legis verò interpretationem, nec traderet literis, nec vulgaret; ſed ipſi* Iesv *Naue tantùm, tùm ille alijs deinceps ſuccedentibus Sacerdotum Primoribus magnâ ſilentij religione reuelaret*. Poſtea. *Quid plura? Ieſum Chriſtum vitæ Magiſtrum aſſerit Origenes, multa reuelaſſe diſcipulis, quæ illi ne vulgò fierent communia, ſcribere noluerunt*: *quòd etiam ibi confirmat ex Dionyſio.*

3. Quòd ſi petatur (vt fertur in Hiſtoria quam vocant Tridentini ab *Antonio de Dominis* vel *Paulo Veneto* exaratâ, à quodam Carmelita fuiſſe objectatum in Tridentino) quare hodie litteris mandentur, quæ nec Moſes, nec Apoſtoli voluerunt ſcripto Trâdere, ſed *ex animo in animum, ſine literis, medio intercedēte verbo transfundere* vt loquitur *Dionyſius*. Quoad Hæbræos, patet quòd vſque dum fuerint reſtituti à Captiuitate Babilonica per *Cyrum*, & reſtauratum fuerit Templum ſub *Zorobabel*, voce tradita transfundebantur ſine ſcripto. Tunc verò *Eſdras Eccleſiæ Præfectus* poſt emendatum Moſis librum, cum cognoſceret ob exilia, captiuitatem, cædes, &c. inſtitutum à Majoribus morem tradendæ per manus doctrinæ ſeruari non poſſe, & ſic tandem cæleſtis doctrinæ arcana perirent: conſtituit vt conuocatis (qui tum ſupererant) ſapientibus, afferret vnuſquiſque in medium, quæ de myſterijs legis memoriter tenebat, adhibitiſque Notarijs in 70. libros redigerentur: quòd etiam teſtatur *Tertullianus* de habitu muliebri. *Irenæus* l. 3. tangit, c. 25. Eodem vel planè conſimili modo actitatum eſt ſub Euangelio, nimirùm ob violentiſsimas perſecutiones, tàm intus ab hæreticis, quàm extra à Principibus Ethnicis, qui omnia ſubuertere moliebantur; periculum magnum erat ne diuinæ ſapientiæ arcana perirent, niſi literis mandarentur. Et hinc non ſine diuinâ prouidentiâ Patres, pro re natâ, nunc hæc, nunc illa quæ acceperant, poſteris ſcripto cōſignabant, adeò velut nulla, vt authentica jam ab Eccleſia recipiantur, niſi Patres tradiderint Scripto, ob rerum ſcilicet & Regionum mirabiles mutationes, & Hæreticorum corruptiones, hoc eſt, nihil authenti-

authenticum habetur, quod fuerit Patrum ſcriptis contrarium ob rationem datam: ſed caſu quo Patres non tetigerint aliquod punctum, quod hodiè controuerti poterit, vniforme teſtimonium vniuerſalis Eccleſiæ præſentis, traditionis indubitatæ argumentum certum dabit, & ad hoc ex ſingulis partibus conuocantur ſapientes, &c.

4. Vt tandem principalitas Traditionum vel Proteruientibus in materia Fidei pateſcat, fateamur, quod notiſsimum eſt ex antiquis hiſtorijs, & alibi fusè oſtendo, Quòd ante *Arrium* in pace agebant Fideles omnes in Confeſsione Trinitatis: ſed cum ille primùm Filium Creaturam cæpiſſet dicere, reclamarunt Eccleſiarum Antiſtites, dicentes, Hoc alienum & contrarium Apoſtolicæ *prædicationi* & Fidei illi, quam à majoribus acceperant: atque hac ratione illud publicè condemnarunt ac rejecerunt, & vt benè dixit *Soto*, Nec fieri potuit, *vt non dicam centum annis, ſed vel minimo ſpatio hoc dogma ſuſtineretur in Eccleſia.* Hoc etiam modo haud inefficaciter *Athanaſius* conuellit Arianiſmum de Synodis Arimini & Seleuciæ. *Vrſacius & valens, Geminiuſq; cum cæteris ſuis gregalibus id fecere, quod antea nec factum, nec auditum eſt apud Chriſtianos. Cum enim ſcripſiſſent eam Fidem, quam voluerunt, addidere & Conſulatum, & menſem, Diemq; ejus Temporis, vt omnibus prudentibus palam facerent, non olim, ſed nunc demùm eorum Fidem ſub Conſtantio initium accepiſſe.* Idem de reliquis Hæreſibus dicendum foret. Cataphryges etiam ſtatim vt incæperant, acclamarunt, *Nobis primò reuelatum eſt, à nobis incipit Fides Chriſtianorum*, vt ibidem apud *Athanaſium.* Nullo igitur efficaciori modo opprimitur hæreſis noua, quam Traditione, quòd volunt illi Doctores.

5. Optimè igitur dicit *Tertullianus* contra *Marcion.* l. 4. *Conſtat id verum quod priùs: ſed priùs quod eſt ab initio, ab initio quod ab Apoſtolis; pariter vtiq; conſtabit id eſſe ab Apoſtolis Traditum, quòd apud Eccleſias Apoſtolorum fuerit Sacro-ſanctum.* In quibus poſterioribus verbis manifeſtè oſtendit certam veracitatem Eccleſiæ ſemper præſentis, vt in verbis prioribus Eccleſiæ antiquæ ſemper ſuccedentis: imò ad Fidem, non aliud requirit fundamentum, quam conſtantem Eccleſiæ traditionem. Egregium etiam eſt quod habet idem *Tertullianus* l. 1. *Non alia*

agnoſcenda

Digitized by Google

agnoſcenda erit traditio Apoſtolorum, quam quæ hodiè apud ipſorum Eccleſias editur. Si igitur ſingulæ Eccleſiæ per orbem ab Apoſtolis fundatæ eandem doctrinam vt diuinam edant, certa eſt Traditio Apoſtolica & Diuina, & conſequẽter eſt Fides in *Tertulliani* judicio. Vndè optimè dicit *Tridentinum* ſeſſ. 4. vbi vt prohibuerat, ne quis ad nouuellos ſenſus diſtraheret vel contorqueret Sacras Scripturas, annectit, *Contra eum ſenſum quem tenuit & tenet Sancta Mater Eccleſia, cuius eſt judicare de verò ſenſu & interpretatione Scripturarum Sanctarum,* & meritò: nam (vt rectè *Auguſtinus* tract. 18. in Ioan) *Neque enim natæ ſunt hæreſes, & quædam dogmata peruerſitatis illaqueantia animas, & in profundum præcipitantia, niſi dum Scripturæ bonæ intelliguntur non benè, & quod in eis non benè intelligitur, etiam temerè & audaciter aſſeritur.*

Origenes etiam enucleatè eandem doctrinam tradit in Proem. lib. 1. periarch. *Seruetur Eccleſiaſtica Prædicatio per ſucceſſionis ordinem ab Apoſtolis tradita, & vſque ad præſens in Eccleſijs permanens.* Si igitur in Eccleſijs vſque ad præſens permaneat, haud alio opus argumento Traditionis Apoſtolicæ & cuiuſlibet veritatis Diuinæ. An non igitur meritò dici poteſt Eccleſiam talibus fundamentis inniti ſolere, ſaltem præcipuè vt præfati Doctores inſinuant?

Sed *Baſilius* vt clariùs, ſic elegãtiùs Ep. 75. hanc veritatẽ declarat. *Iuſtus eſt autem* (inquit) *res noſtras iudicari, non ex vno, aut altero qui non rectè ambulant ad veritatem: ſed ex multitudine Epiſcoporum per orbem terrarum nobis conjunctorum per gratiam Chriſti. Examinentur autem Piſidæ, Lycaones, Iſauri, Phryges, vtrique Illirij, Galli, Hiſpani, Italia vniuerſa, Siciliotæ, Afri, Ægypti pars ſana, Syriæ reliquæ: qui ad nos litteras mittunt, & rurſus à nobis accipiunt. Ex quorum literis licet vobis diſcere, tùm ex his quæ illinc afferuntur, tùm ex his quæ hinc rurſus remittuntur ad ipſos, quòd concordes omnes ſumus, vnum & idem ſentientes. Quare qui ſocietatem noſtram deuitat, is ne lateat ſinceritatem veſtram, quòd ſeipſum à totâ Eccleſiâ abrumpit,* &c. Quid clarius potuit dici pro dignitate, & certitudine Eccleſiæ præſentis? Et etiam pro fundamento ſufficienti ſuæ Fidei, quod in iudicio *Baſilij* eſt conſenſus communis Chriſtianorum, qui inuoluit Traditiones.

Et hoc

Digitized by Google

Et hoc eſt quod habet *Irenæus* l. 4. c. 43. *Quapropter eis, qui in Eccleſiâ ſunt, Preſbiteris obaudire oportet, his qui ſucceſſionem habent ab Apoſtolis, ſicut oſtendimus, qui cum Epiſcopatus ſucceſſione Chariſma veritatis certum, ſecundum placitum Patris acceperunt. Reliquos verò qui abſiſtunt à principali ſucceſſione, &c. ſuſpectos habere, vel quaſi Hæreticos, & malæ ſententiæ, &c. quæſtus gratiâ & vanæ gloriæ hoc operantes, &c.* Vbi & in ſequentibus, omnem prorſus Fidei firmitatem reponit in credendo ſeu adhærendo Eccleſiæ, ſeu traditionibus, quas accepit & retinet. Capite etiam 45. vbi *Chriſmata Domini poſita ſunt* (dixerat ante hæc eſſe in Eccleſia) *ibi diſcere oportet veritatem, apud quos eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis Eccleſiæ ſucceſſio, & id quod eſt ſanum & irreprobabile ſermonis conſtat. Hi enim & eam quæ eſt in vnum Deum, qui omnia fecit, Fidem noſtram cuſtodiunt*, &c. Huc igitur in dubijs Fidei recurrendum eſt ſecundùm mentem *Irenæi*; ſecundùm illud *Chryſologi* ſerm. 10. *Quomodo ſe Chriſtianum credit, qui non Chriſto annoſa & vetera ducit.* Qui de Fide diſputare vult ad *annoſa & vetera recurrere oportet*, non alio hîc opus teſtimonio, quàm Traditione annoſâ; quòd volunt prædicti Doctores.

CAPVT X.

An Eccleſiæ præſentis Teſtimonium ſit æquè infallibile ac Apoſtolorum.

1. EX quibus omnibus elicio, quum Eccleſia præſens ſit adeò ſibi connexa, adeò etiam cæteris Credibilitatis notis affecta, quòd prudenter ipſi propter ſeipſam credi poteſt & debet, ſicut olim Iudæi, *crediderunt Domino & Moyſi ſeruo eius* Exod. 14. 31. hoc eſt, quòd non eſt opus, nec obligatur homo ad inquirendum vlteriùs: ſed vt alibi dixi, & iterùm probaturus ſum, ibi tutò ſiſti poteſt, vbi ſunt tot Diuinitatis notæ, nec eſt quòd hîc timeamus circuitiones vel circulationes à tot tãtopere agitatas: nam hîc optimo jure terminatur actus noſtri,

& hinc deriuatur tendentia Fidei in Scripturas, & reliqua ſecundùm modum ſcilicet ordinarium. Vndè *Aug.* lib. 1. contra *Creſconium* Grammaticum cap. 33. ſic loquitur. *Quamuis huius rei certè de Scripturis Canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen Scripturarum etiam in hâc re à nobis tenetur veritas, cùm hæc faciamus quòd vniuerſæ jam placuit Eccleſiæ, quam ipſarum Scripturarum commendat authoritas; vt quoniam Sancta Scriptura fallere non poteſt, quiſquis falli metuit huius obſcuritate quæſtionis, eandem Eccleſiam de illâ conſulat, quam ſine vllâ ambiguitate Sancta Scriptura demonſtrat.*

Rectè igitur dixi non timendos hîc circulos; nam in diuerſo genere cauſæ nihil obſtat, quòd Scripturæ inſeruiant Eccleſiæ & Eccleſia ſubſeruiat ipſis. De quâ re Philoſophi mille miniſtrabunt inſtantias. Vndè *Albertus* 3. Meteor tract. 1. cap. 9. (apud doctiſsimum popularem noſtrum *Ioannem Eshouidum* in ſummâ Aſtrologiæ iudicialis, quæ *Anglicana* vulgò nuncupabatur, vbi exactè traduntur Meteora) volens conciliare opiniones Veterum & *Ariſtotelis* de cauſis & naturâ venti. Illi contendebant ventos eſſe aërem motum, *Ariſtoteles* verò hoc negabat, volens ventum eſſe exhalationem ſiccam & calidam, &c. *Albertus* verò oſtendit tam aërem, quam exhalationem eſſe ventum, ſcilicet vaporem illum ſiccum. (vt loquitur ille) eſſe materiam & efficientem venti per motum ſuum, in quantum flat actiuè; aër verò in quantum flat paſsiuè: & tandem concludit, *& ſic non eſt inconueniens, quòd aliquod vnum & idem in cauſalitates plurimas incidat.* Nempè quia exhalatio illa mota, eſt cauſa motus aëris, ſeu aëris moti: & è conuerſo aër motus eſt cauſa venti, ſeu exhalationis motæ, & hoc prout vnũ induit rationem actiui, aliud paſsiui, imò vtrumque habet aliquo modo rationem effectiui. Nec Logici reprehendunt circulationes argumentorum ex diuerſo genere cauſæ prouenientium, hæc ſunt obuia.

Quando dixi Eccleſiæ poſſe tutò credi *propter ſeipſam*, non intelligi debet, ipſam eſſe rationem formalem, ſeu vt loquuntur, obiectum formale talis actus: nam vt rectè *Ariſtoteles.* 2. lib. Poſter. Analyt. *Quæſtioni propter quid reſponderi poteſt, per omnia cauſarum genera.* Eccleſia igitur reducitur ad cauſam exemplarem, ſeu exemplar cui homo fidelis ſe

delis ſe ſubiicit, ſeu conformat in credendo, & hoc ſecundùm veras prudētiæ regulas, tantæ authoritati inniti poteſt & debet. Poteſt etiam habere rationem Iudicis, vt eſt vna congregata, & ſic etiam dici regula, omni ſcilicet modo, quo regulari poteſt Fides. Hæc obiter, fuſiùs hoc declaraturus ex *Aug.* cap. ſequenti.

2. Quòd verò dicunt aliqui, Teſtimonium Eccleſiæ præſentis non eſſe infallibile, licet benè Eccleſiæ primitiuæ ſeu naſcentis ſub Apoſtolis: nimirùm quia ipſis immediatè fuerunt reuelatæ Veritates, quas poſteris tradiderunt: nunc verò vt ſæpiùs dictum eſt, non ſunt vllæ reuelationes nouiter Eccleſiæ factæ, & conſequenter nulla infallibilitas vera ſeu diuina, quæ niti debet Deo reuelanti.

Ad hoc dico primò, quoad Veritates ipſas quas hodie primâ Claſſe teſtatur Eccleſia eſſe veras, ſunt æquè infallibiles in ſe nunc ac tunc, propter reuelationem diuinam, cui non minùs nituntur hodie ac ab initio reuelationis, vt omninò patet. Nam nunc æquè verum eſt dicere, eas fuiſſe reuelatas à Deo, ac ſtatim poſt reuelationem Apoſtolis factam; nec diuturnitas temporis poteſt abolere Veritatem reuelationis, vel facere rem reuelatam eſſe minùs reuelatam; nam (vt ſupponitur) à Spiritu Dei deſcenderunt in noſtram cognitionem, ſecundum illud *Apoſtoli.* 1. Cor. 2. verſ. 11. *Quæ Dei ſunt, nemo cognouit, niſi Spiritus Dei.* Quòd ſi Eccleſia nunc declarat aliquas veritates Apoſtolis non in ſe reuelatas, licet neceſſariò in illis primis incluſas, (vt plerumque ſolet) manifeſtum eſt eas etiam in ſe eſſe infallibiles propter reuelationem, cui certò, licet non adeò immediatè nituntur, vt alibi fusè dicturus ſum. Sed hîc dabitur magis & minùs: nam *propter quod vnumquodque tale, & illud magis*, erit tamen hîc & ibi infallibilitas propter reuelationem vt dictum eſt. Et conformiter docet *Gerſonius* in lib. de vitâ ſpirituali animæ. lect. 2. corol. 7. In quarto gradu. *Ex his aperitur intellectus, qualiter dicta Apoſtolorum & diſcipulorum Chriſti ſunt alterius authoritatis quoad aliquid etiam purè de Fide, quam ſucceſſorum ſuorum: quoniam primi à Chriſto doctrinam immediatè ſuſceperunt, eius inſuper facta viderunt, & id eò expreſſè dictum eſt. Qui vos audit, me audit. Et rurſus: Quæ dico vobis in tenebris, prædicate ſuper tecta*, &c. Poſtea.

Conſequenter deducitur quomodo maior fuit primitiuæ Eccleſiæ authoritas, quoad prædicta, quam nunc ſit, & quòd non ſit in poteſtate Papæ, aut Concilij, aut Eccleſiæ immutare traditiones datas ab Euangelijs & à Paulo, ſicut quidam delirant. Nec habent (quoad hoc quod eſt facere aliquid eſſe purè de Fide) parem authoritatis firmitatem. Hæc eius verba congruunt cum ijs quæ dixi, & in ſe vera ſunt: nempè in hoc differre præſentem Eccleſiæ ab Apoſtolis, quòd non parem cum ijs hac in parte habeat poteſtatem, modo explicato.

3. Dico ſecundò quòd teſtimonium Eccleſiæ, per quod nobis illæ veritates innoteſcunt, infallibile eſt, nempè ob reuelationem diuinam: quia manifeſtè habemus in Scripturis, Eccleſiam eſſe infallibilem, vt oſtendam in Capitibus ſequentibus: & nunc ſic, Patres vnanimiter Scripturas expoſuerunt, & hoc ſine dubio intelligi debet de Eccleſia Chriſti, ſiue nunc, ſiue tunc exiſtente, vt etiam ibi tango & ſuperiùs oſtendi. Et certè alias difficulter intelligi poteſt, quomodò Fides noſtra eſſet indubitabilis reſpectu articulorũ etiam principalium: nam infallibitas, vel indubitabilitas quam habet, & neceſſariò habere debet, vt ſit ſaluifica; eſt quidem propter reuelationem diuinam, quæ tamen non mihi datur, ſed antiqua illa Apoſtolorum & Prophetarum mihi per Eccleſiam applicatur: ſeu explicatur: adeò vt immediatè innitatur authoritati Eccleſiæ. Si igitur illa non eſſet infallibilis, non produceretur in nobis Fides infallibilis. Hæc puto patere ex terminis.

Deinde interpolata & interrupta eſſet Eccleſiæ Infallibilitas, ſi ſemel daretur tota Eccleſia præſens errans: ex quo ſequeretur vlteriùs, Eccleſiam non eſſe infallibilem etiam ſucceſſiuè ſumptam (de qua ſolùm intelligi volunt alij, dum Eccleſiæ tribuitur Infallibilitas) facilè hoc ſpeculanti patebit, quia ſucceſſio quoad Infallibilitatem, vt ſupponitur, in aliquo ſæculo deſignabili erat interrupta, non igitur continua, quia diſciſſa.

4. Quod verò dicunt alij, donum Infallibilitatis eſſe ſolum Eccleſiæ Apoſtolorum promiſſum, eſt æquè falſum: verum quidem eſt Apoſtolorum teſtimonium fuiſſe immediatiùs, & in hoc ſenſu magis Infallibile,

Digitized by Google

bile, quia ipſis primò datum eſt illud auxilium ſupernaturale, efficaciter concurrens cum ipſis ad effectum Infallibiliter nos dicendi, &c. Quod non ſolùm ipſis per ſpecialem reuelationem pro ſeipſis, ſed in ipſis, toti Eccleſiæ Catholicæ promiſſum erat, vt iam dixi. Et hoc ſuccinctè & egregiè declarat *Aug.* in Pſalm. 44. *Genuerunt te Apoſtoli, ipſi miſſi ſunt, ipſi prædicauerunt, ipſi Patres: ſed nunquid nobiſcum ſemper eſſe potuerunt?* &c. *Ergo illorum abſceſſu deſerta eſt Eccleſia? abſit. Pro Apoſtolis nati ſunt tibi Filij, conſtituti ſunt Epiſcopi,* &c. *Non ergò te putes deſertam, quia non vides Petrum, non vides Paulum.* &c. *De prole tua tibi creuit Paternitas,* &c. Multa egregia ad hoc propoſitum habet ſuper Pſalmos, vbi eadem Priuilegia præſenti & primæuæ vindicat Eccleſiæ. Et *Greg.* 13. ex occaſione quarundam Propoſitionum erronearum definiuit hanc veritatem Fidei. *Quòd Eccleſia præſens, cum perpetuo habeat tempore Spiritum Sanctum illuminantem & ſanctificantem, quem habebat Eccleſia primitiua, eſt etiam eiuſdem luminis & poteſtatis, cuius erat illa.* Modo ſcilicet explicato. Et hæc grauiter ſanè declarat doctiſſimus Patricola noſter & inuictus Martyr *Roffenſis* in confutatione ſua Lutheranæ Confeſſionis ad Lectorem. *At adhuc non deeſt quod cauilletur, nimirùm ſe cum Primitiua Eccleſia penitùs conquadrare, quanquam ab iſta quæ nunc eſt diſſentiat; Quid ergò? Duæ ſunt Eccleſiæ, aut non eodem Spiritu, ea quæ nunc eſt, & eruditur, & regitur, atq; illa quæ primitiua fuerat? Abſit. Vtrumq; ſanè falſum eſt. Nam ſcriptum eſt, vna eſt Columba mea: ad quam & Chriſtus Spiritum ſuum miſit, qui eam omnem docet veritatem, & apud eam maneret in æternum. Et quando pro temporum varietate, diuerſa Fidelibus tradita ſint; vnus tamen & idem Spiritus ita ipſa tradidit, prout ſibi viſum erat Eccleſiæ fore conducibilius. Quiſquis igitur cum Eccleſia non ſentit, alienum à veritate ſe facit, & Hæreticum eſſe ſe planè conuincit,* &c. Poſtea. *Quod & idcirco inculcamus, Lector, vt tibi (quiſquis Chriſtianus es) ceu ſacra quædam anchora, Sit communis Eccleſiæ Fides, cui firmiter adhæreas. Neq; enim periculum eſt, ne Eccleſia (quæ quantum ad Fidei veritatem attinet, Spiritu Sancto regitur) à ſeipſa diſcedat, quanquam ab ea receſſerint alij.*

Idem etiã in Præfatione ſic loquitur *Pro noſtra parte Scripturæ ſancta*

gladios vibrant. Stant in acie Sacri Patrum Commentarij, Canones & Concilia pro nobis dimicant, Apoſtolica Traditiones apertè decertant, patrocinatur demum & Eccleſiæ diuturna conſuetudo. Illi contra pro ſuo ſenſu, aut Scripturas inuertunt, aut inficiantur, ſacros Interpretes contemnunt, Canones & Concilia damnant, Traditiones ſpernunt Apoſtolicas, Diuturnis Eccleſiæ conſuetudines pro nihilo dicunt, perinde ac ſi non permaneret in Eccleſia Spiritus, qui de credendis omnibus iam eam efficaciter inſtruat. Quid multis moror? Omnia ſubuertere, Chriſtumq́; ſimul & Spiritum eius ab Eccleſia tollere moliuntur. Item poſt multa in fine Veritatis quintæ, ſic concludit. *Quo ſit vt propter perpetuam huius ſpiritus præſentiam, Eccleſia apud Paulum Columna dicatur & firmamentum veritatis; nimirùm quòd hoc ſpiritu veritatis, tam ſolidè fulciatur, vt nequeat in errores aliquos impingens diutius in eis perſeuerare.*

5. Infallibilitas igitur Apoſtolorum in duobus conſiſtebat, primò, quòd veritates particulares quas prædicabant, erant ipſis immediatè reuelatæ. Secundò, quòd ipſis immediatè erat promiſſum, & primitus datum, donum infallibilitatis; neutrum verò competit Eccleſiæ præſenti vel quomodolibet ſuccedēti. Eccleſia tamen præſens eſt infallibilis, quia Apoſtolis facta eſt reuelatio ac promiſſum diuinum de eius infallibilitate, vnde ſicut hæc propoſitio, *Chriſtus habet omnes partes hominis integrales* eſt infallibilis veritatis, licet non fuerit immediatè in ſe reuelata, ſed in alia, ſcilicet hac, quod Chriſtus fuit perfectus homo: Sic infallibilitas Eccleſiæ præſentis non eſt ideò minus certa, quia non ipſi Eccleſiæ ſed Apoſtolis futura eius Infallibilitas erat reuelata, ſeu promiſſa: licet minoris ſit authoritatis *Dictum* Eccleſiæ præſentis quam Apoſtolorum, ob authoritates diuerſas quibus nituntur: illud Dei immediatè reuelatis, hoc, Apoſtolorum, qui certò & infallibiliter veritatem Eccleſiæ, ſic vel ſic quoad neceſſaria dictantis, nobis tradiderunt. Et certè Patres non diſtinxerunt Eccleſiæ currentis ſæcula quoad donum Infallibilitatis, dum tàm dogmata, quàm *inſtituta* in Eccleſia prædicata, parem vim habere docent cum ipſis Scripturis, vt *Baſilius* locis citatis, & eſt communior ſententia Theologorum, vt patet apud *Smiſings* 1. par. in proem. q. 1. *Suarezium De Fide* diſp. 3. ſect. 11.

Digitized by Google

ſect. 11. & alios ſatis frequenter: nempè quod *non eſt minor authoritas Eccleſiæ quādo veritatem definit, quam ſacra Scripturæ*, vt loquitur *Suarez*. Intellige præcisè quoad certitudinem, modo quo dixi: nam participat Diuinam illam Infallibilitatē gradu quodam remotiori & mediatori, quam ipſi Apoſtoli: imo vt ſæpius dicturus ſum, gradu & modo multò ſtrictiori, ſeu limitatiori, ſed hoc iterum tangam alibi. Concludam igitur cum *Athanaſio* in Ep. ad *Epictetum* Epiſcopum Corinthiorum, *Tantummodo ad ea reſpondendum eſt, quòd ipſum per ſe ſufficit, ea Orthodoxæ Eccleſiæ non eſſe, neque Majores noſtros ita ſenſiſſe.*

CAPVT XI.

DE SCRIPTVRIS.

Quam authoritatem hodie habeant in ordine ad Fidem.

1. NE ſubrepat error in re ipſa ex incongrua termini vſurpatione, obſeruandum eſt, quòd quando de *Scriptura* agitur (quæ ad præſens inſtitutum) ſumatur, non abſtractiuè quaſi ſignificaret vel ſupponeret pro ipſa forma, qua afficitur charta per Scriptionem: ſed concretè, hoc eſt, prout dicit rem affectam Scriptione, ſeu vt loquuntur Logici de Terminis connotatiuis, ſignificat in recto ſuum materiale quòd eſt res ipſa, hoc eſt, Veritates reuelatæ: in obliquo verò ſuum formale, quod eſt Scriptio, ſeu Traditio earum per Scriptionem. Et in hoc ſenſu procedetur ad ſolutionem quæſtionis in titulo propoſitæ.

2. Prodijt quidam Dialogus à docto Amico meo compoſitus (de quo egi ſuperius) De electione Religionis, ſolemniter Pariſijs approbatus à Doctoribus deputatis Sorbonæ, cuius ſummam hìc adijciam. Totus ſecūdus Dialogus, qui excreſcit ad magnitudinē vnius Libelli, conſumitur in oſtenſione inferioritatis Scripturarum, quibus vtitur Eccleſia, reſpectu Traditionum, in ordine ad Fidem: & expreſsè aſſerit Eccleſiam ideò recipere Scripturas, quia & in quantum ſunt conformes Fidei, quam ab Apoſtolis per Traditiones accepit; non è conuerſo.

Et hacte-

Digitized by Google

Et hactenus ſine dubio rectiſsimè. Nam aliàs quomodo poterat Eccleſia primitiua diſtinguere & reijcere ſuppoſititia Euangelia, & cognoſcere vera. Aliqua ſcilicet falſa cum multis veris in Scriptis ſuis indiderant fallaciter ſuppoſititij Scriptores, quæ Catholica Regula condemnabat. Aliàs *Apoſtolicum* Manichæorum, de quo *Auguſtinus* ſæpius, præſertim libro primo contra *Adimantium* c. 17. vel illud *Nazareorum*, vel aliud ſecundùm *Petrum*, apud *Theodoretum* l. 2. hæret. fabul: Secundùm *Andream*, *Iacobum Minorem*, vel *Matthiam*, ſecundùm *Thomam*, &c. à Philoſophis conficta, de quibus *Innocentius* Ep. 3. valdè fusè, & *Ambroſ.* præf. in *Lucam.* alia denique Euangelia Eccleſia pro veris acceptaſſet, niſi differre à Doctrina Tradita vidiſſet. Illa igitur fuit regula qua dirigebatur in decernẽdo veras à falſis Scripturis.

Lucas quidem 1. ver. 4. dans rationem cur ſcripto tradiderit Euangelium, dicit, *vt cognoſcas eorum verborum, dè quibus eruditus es veritatem.* Non quòd ſcriptio illa calaminaris ſuperadderet authoritatem voce traditis, ſed quia facilè è memoriâ dilabuntur, & ſubindè malè intelliguntur, ideò ſcripto conſeruari voluit; *vt cognoſcant veritatem,* &c. vel etiam quia conferre poterant Scripta ſua cum Scriptis, vel Traditis aliorum Euangeliſtarum, vel Apoſtolorum, & ex conformitate mutuâ aſſecurari de veritate verborum, de quidus eruditi erant ab illo.

3. Pergit Dialogiſta, & illud quòd communiter aſſeritur, Eccleſiam declaraſſe ſingula verba, literas & apices Vulgatæ editionis eſſe prorſus indubitabilis authoritatis, & mandaſſe fideles eam ſic acceptare. in 4. paragrapho reijcit, & vlteriùs dicit, Nullum ſapientem putare vulgatam adeò correctam, quòd non poſsit in multis emendari. *Auguſtinus* quoad traſlationem ſui temporis vulgarem Ep. 140. dicit, *Codicorum Latinorum nonnullas mendoſitates ex Græcis exemplaribus emendauimus.* De Pſalterio loquitur. Neſcio an noſtra vulgata ſit illa de quâ ipſe agit, putem verò quòd canonizatio quam habet vulgata, vel quæcumque alia editio, non ſit intelligenda præcisè de cortice vel ordine verborum: ſed de integritate ſenſus, nam ipſi Euangeliſtæ non referunt eundem ordinem verborum, nec eadem verba, vt palam

eſt in

Digitized by Google

eſt, in ipſis verbis conſecrationis. Addit Dialogiſta, Eccleſiam quidem nos ſecuros reddidiſſe, nihil ibi reperiri quòd aduerſetur Fidei traditæ, & ideò mandauit quatenus non recuſemus ſtare textui illi in materiâ Controuerſiarum vel diſputationum, &c. *Turneballus* etiam c. 4. & 5. Videtur reſoluere hodiernam integritatem Scripturæ ad ſolùm neceſſaria ad ſalutem, in quo non multùm differt à Dialogiſta. Cuius doctrina perpendenda eſt ad decretum Trid. ſeſſ. 4. De editione & vſu Sacorum Librorum, cuius hæc ſunt verba. *Inſuper eadem Sacro-ſancta Synodus conſiderans non parum vtilitatis accedere poſſe Eccleſiæ Dei, ſi ex omnibus latinis editionibus, quæ circumferuntur, Sacrorum Librorum, quænam pro authenticâ habenda ſit, innoteſcat; ſtatuit & declarat, vt hæc ipſa vetus & vulgata editio, quæ longo tot Sæculorum vſu in ipſâ Eccleſiâ probata eſt, in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus & expoſitionibus, pro authenticâ habeatur, & vt nemo illam reijcere quouis prætextu audeat, vel præſumat.*

4. Quidam Ieſuita Louanienſis in publicis Scholis has tres docuit Aſſertiones de Scripturâ Sacrâ, quæ à fortiori, Dialogiſtæ ſententiam integram probare, & vlteriùs progredi videntur.

Prima. *Vt aliquid ſit Scriptura Sacra, non eſt neceſſarium ſingula eius verba inſpirata eſſe à Spiritu Sancto.*

Secunda. *Non eſt neceſſarium, vt ſingulæ veritates & ſententiæ ſint immediatè à Spiritu Sancto, ipſi Scriptori inſpiratæ.*

Tertia. *Liber aliquis (qualis fortè eſt ſecundus Machabæorum) humanâ induſtriâ, ſine aſſiſtentia Spiritus Sancti ſcriptus, ſi Spiritus Sanctus poſtea teſtetur ibi nihil eſſe falſum, efficitur Scriptura Sacra*: Sic referunt Vniuerſitates Louanienſis & Duacenſis.

5. Hæ ſpeculationes videntur apertè contra *Florentinum* & *Tridentinum* ſeſſ. 4. in decreto de Scripturis, vbi expreſsis terminis decernitur Spiritum Sanctum dictaſſe ſingulas Scripturas, vel Chriſtum protuliſſe.

Baſilius etiam in Pſalm. 37. dicit hoc notabile, *verba Scripturæ diuinitùs inſpiratæ ante Chriſti Tribunal ſtatuentur.* Non igitur leuiter cum illis ludendum.

Digitized by Google

Longè verò vlteriùs proceſsit *Dominicus Lopez* in ſuo Tractatu De authoritate Sacræ Scripturæ, qui cōtendit, non derogari authoritati eius, ſi in aliquibus leuiter erretur à Sacris Scriptoribus: citaui aliàs. De quo iam dico, quòd tunc neſciebam, prædictum *Lopez* Baſileæ; & in Hollandiâ à Miniſtris editum & commentarijs illuſtratum eſſe tanquam ex ipſorum Scholâ proditum; licet alij non pauci eiuſdem farinæ homines, ipſum vt *Soſinianum* ſcripturas ad ſuorum ſenſuum limam cōmenſurantem explodant. Quicquid verò de hoc fuerit, ſaltem audacter ſua effutit: in alterâ igitur ſtaterâ appendatur & opponatur.

Diuus Baſilius l. de Baptiſmo c. 2. (& ſecundùm æquitatem Chriſtianam judicetur de vtriuſque dogmate) ipſe igitur ſic loquitur. *Quoniam verò & nominum, & verborum, ac rerum vſum in diuinitus tradita Scriptura, de Deo & Chriſto ipſius, in Sanctis Prophetis, Euangeliſtis, & Apoſtolis, non vtcumque ac temerè pro communi conſuetudine accipiendum: ſed vt à Spiritu Sancto decretum eſt, ad ſcopum piæ ſententiæ: idq; non vniuerſaliter, ſed ex parte, & quatenus vnumquodq; ad propoſitum ſanæ doctrinæ facit & piè ſentiendum, & mentem ad judiciorum ac decretorum pietatis cognitionem inducendam eſſe judico.* Addit. *Neceſſarium eſt, vt & nos exquiſitè & vigilanter, vnicuique dicto attendamus, & eum ſenſum eligamus, qui ſupernæ vocationis ſcopo ſeruiat.* Magnus hîc Eccleſiæ Doctor, non ſolùm res ipſas: ſed *nomina & verba* etiam ſingula à Spiritu Sancto prolata aſſerit. *Lopez* aliqua concedit, alia negat, huc etiam inclinat ille alter citatus. Videtur ſanè timendum, ne ex huiuſmodi doctrinâ, paulatim in Hæreſim *Doſithei Samaritani* Hæretici incidatur, qui auſus eſt repudiare Prophetas; vt non à Spiritu Sancto locutos. Refert *Tertull.* in initio de Hæreſibus.

Baſilius tantam nutriebat erga Scripturas reuerentiam, vt *de illis quæ quandam videntur habere contrarietatem, meliùs ſit, vt ſibi ipſi lector Fidem faciat; vt potè qui nondum ad cognitionem diuitiarum Sapientiæ Dei peruenit, & quia difficile eſt penetrare ad inſcrutabilia judicia Dei, quam vt obnoxius fiat judicio audaciæ & temeritatis;* &c. Iudicium quidem ſapit temeritatis, quaſcumque Scripturæ particulas, vel quia ſpecie tenus contrariæ videantur, vel quia à nobis minùs intellectæ ſint, ſtatim falſi-

ſitatis,

Digitized by Google

ſitatis, vel incertæ veritatis accuſare. Vndè *Athanaſius* De interpretatione Pſalmorũ in Ep. ad Marcellinum *Omnis quidem apud nos, ſiue noua, ſiue vetus Scriptura, numinis afflatu prodijt, & idonea eſt ad erudiendum ſub eâ formâ ſpecieq; verborum, qua concepta eſt*, &c. Non ſolùm igitur res, ſed ſpecies verborum ab *Athanaſio* celebrantur.

Et ideò *Aug.* Ep. 7. *Si ratio contra diuinarum Scripturarum authoritatem redditur, quamlibet acuta ſit, fallit veriſimilitudine, nam vera eſſe non poteſt.* Redeam igitur ad priores propoſitiones.

6. Non minori jure adferre poterant Eſdram, (ſi hoc modo procedere liceat.) *Eſdras* enim ſecundùm *Hebræos* neque Propheta fuit, neque Spiritum Sanctum habuit: ſed libri eius, & tota collectio librorum vetuſtiorum ab ipſo facta, approbata eſt à *Synedrio* vbi intererant Prophetæ aliqui. De libro *Eccleſiaſtæ* dubium erat: ſed vicit major pars; vt poſt multos refert ex Hebræis *Grotius* in *Caſſandri* Conſultationem, titulo de *Canonicis Scripturis*.

In libris etiam *Regum*, multa ſunt quæ deſumuntur *ex Ephemeridibus Regum Iuda, & Iſrael.* Familiare hoc eſt, dum narratur de morte *Regum*; vt in ſequentibus poſt caput 4. libri. 3. patet. Et ſic videri poſſunt ex profanis fieri Sacra Scriptura.

Tertullianus libro. 1. ad vxor. c. 7. dicit, quòd *verſiculus Menandri ſanctificatus eſt per Apoſtolum.*

Hieronymus etiam ad Demetriadem c. 10. dicit, *ſacularem verſum aſſumens Apoſtolus, fecit Eccleſiaſticum.* Et vterque loquitur de verſu illo, *corrumpunt bonos mores colloquia praua.* Vbi verſus ille à profano Authore ſcriptus, fit Sacra Scriptura, licet non immediatè dictatus à Spiritu Sancto: quia Apoſtolus citat Poëtam; vt Authorem. Sic etiam ad Titum vtitur verſiculo *Epimenidis* Poëtæ. Sic etiam *Iudas Apoſtolus* in Epiſtolâ ſuâ, vtitur libro qui extabat olim ſub nomine *Enoch*, & *Tertullianus* in lib. de *habitu mulierum* vindicat illum librum, licet addat. *Scio Scripturam Enoch non recipi à quibuſdam, quia nec in armarium Iudaicum admittitur*, &c. *Hieronymus* verò enarrans Epiſtolam ad *Titum*, eam Apochrypham vocat, & ſic omnes poſteriores; dicit igitur *Hieronymus* ſubinde vti licere parte libri, etiamſi totum librum non

Digitized by Google

approbet; vt rectè refert *Rhenanus* in argumento libri dicti *Tertulliani*: Sed de his nihil aſſero. Redeo ad Dialogiſtam.

7. Dialogo tertio fusè declarat nos Fidem noſtram reſoluere in Traditiones, non in Scripturas. Probat etiam neruosè infallibilitatem neceſſariam & conſpicuam Traditorum in materia Fidei; vtique quòd non poſſunt non ſemper eſſe eadem, ſi naturam Fidei ſpectemus, reſpectu cuius genus humanum, præſertim Chriſtianum eſt adeò ſollicitum, cùm ſalus vel damnatio æterna ex ea dependet, quòd nunquam potuit introduci vniuerſalis error ei oppoſitus, vel aliquid hac in parte nouum, quin ſtatim Fideles ſe oppoſuiſſent, &c.

Modus etiam tradendi ἀγραφα multò efficacior erat, quam tradendi Scripturas; hæ enim huic vel illi perſonæ vel Eccleſiæ ſubindè erant directæ, & per vnam perſonam miſſæ, cuius Fidelitate nititur earum authoritas. Tradita verò publicè prædicabantur omni genti, & coram vniuerſo populo ſimul congregato, & ſemper repetebantur in omnibus locis, quia Apoſtoli huic operi inſtabant, & ſic facilè conſeruare poterant. Plura habet digna lectu pro præminentia Traditionum. Etiam oſtendere conatur inferioritatem Scripturarum in Dialogo ſecundo, ſi vel multiplicitatem tranſlationum à ſe inuicem differentium, ſi etiam poſſibiles errores, imò (moraliter loquendo) certos & frequentes errores tranſcribentium, ſi etiam æquiuocationes ſeu diuerſas vocum acceptiones in ipſis originalibus linguis. Denique ſi vniuerſam Grecæ & Hebraicæ linguarum ignorantiam (ex quarum cognitione pendet certitudo tranſlationum) ſpectemus, quæ tamen nullo modo dici poſſunt de Traditionibus.

Tandem ex ipſo modo, quo concipiuntur & exprimuntur Scripturæ, laborat oſtendere Deum, non intendere eas limam, ſeu regulam noſtræ Religionis conſtituere, nempè quia non ſcribuntur ſub forma legis, ſed nunc hiſtorias, nunc Epiſtolas, nunc res Philoſophicas, nunc denique res Myſticas tradunt, &c. Demum ex diuerſo modo conſeruandi libros Euangeliorum & Epiſtolas Apoſtolorum, à Moſaïca lege: nimirùm ipſum Originale conſeruabatur in Arcâ cum maximâ reuerentiâ, vt eò ſuper omnia dubia textuum recurrere poſſent: In Eccleſiâ

cleſiâ verò nulla eſt talis prouidentia pro conſeruatione Originalium, nec vllum de hoc extat præceptum, quod manifeſtum dicit eſſe ſignum, Deum velle nos Traditis, non Scriptis inniti. Vult igitur ſummariè, Quòd Scripturæ potiùs per Fidem à Patribus ſucceſsiuè traditam examinandæ ſunt, quam Fides per eas. Hæc ſumma eius opinionis, quam in compendium reduxi. Videtur etiam popularis noſter *Thomas Baconus* alias *Southwellus* in ſua Fidei Analyſi Diſp. 3. c. 11. haud minus eneruare ſacras Scripturas, quam hactenus Dialogiſta, ſi rectè expendantur quæ hac de re fusè ſcribit.

8. Negari quidem non poteſt, nec debet, quin plurima in his Dialogis doctiſsimè & acutiſsimè dicantur, & vel maximè quæ Traditiones tangunt; & vt verum fatear, licet rationes adductæ pro eius aſſertione, de haud æquali certitudine Scripturarum, ſint etiam ſubtiles & apparentes: loquendo tamen ad rem ipſam, non nimis ſcilicet metaphiſicando, ſed rem moralem, moraliter conſiderando, planè impoſsibile eſt libros præſertim Noui Teſtamenti fuiſſe, vel eſſe notabiliter adulteratos: Nam adulterari debebant, vel omnia volumina, per omnes partes mundi ſimul (quòd nemo ſanæ mentis aſſeret) totum ſcilicet mundum conſpiraſſe ad illum effectum: vel ab hinc inde modo aliquo ſecretiori ab inimicis Fidei, vel ab alijs ignaris ſubinduci debebat talis falſificatio: ſed hoc non, quia reliqua exemplaria paſsim diſperſa reclamaſſent, & in Concilijs tàm vniuerſalibus, quàm minoribus, in diuerſis mundi partibus pro re natâ ſexcenties celebratis, dolus vel error notabilis apparuiſſet, nec tot Patres latere potuiſſet. Impoſsibilitatem etiam falſificationis optimè ponderat *Aug.* Ep. 48. Vbi de libris *Cypriani* agens dicit. *Neque enim ſic potuit integritas atque notitia literarum, vnius quamlibet illuſtris Epiſcopi cuſtodiri, quemadmodum Scriptura Canonica, tot linguarum literis & ordine, & ſucceſsione celebrationis Eccleſiaſticæ cuſtoditur, contra quam tamen non defuerunt, qui ſub nominibus Apoſtolorum multa cõfingerent: fruſtra quidem, quia illa ſic cõmendata, ſic celebrata, ſic nota eſt*, &c. Abundè etiam hoc patet in minimâ illa diuerſitate verſionis Hieronymianæ à communi in c. 4. *Ionæ*, propter quam orta eſt magna commotio in Africâ, vt ait *Auguſtinus*.

Illud verò quod dicitur de inferioritate Scripturæ ſaltem nouæ, ex eo quòd Epiſtolæ ſubindè huic, vel illi ſolùm Perſonæ, aliquando Feminæ, vt Ep. 2. *Ioannis*, Electæ, vel Eccleſiæ dirigebantur, & etiam vehebantur per vnum aliquem hominem, imò quòd addere poterat, per vnam ſubindè Fœminam, ſicut per Phæbem miſſa eſt Epiſt. *Pauli* ad Roman. quæ fuit Diaconiſſa Eccleſiæ *Cenereenſis*, & tota illarum Scripturarũ certitudo à talium perſonarum authoritate dependet, &c. Videtur ſolutum ab Apoſtolo tùm alibi, tùm ad Theſſalonicenſes in fine Ep. 1. & ſub finem Ep. ad Coloſſ. quia oſtendit fuiſſe conſuetudinem legendi Epiſtolam miſſam, in publicis Conuentibus ſeu Eccleſijs Chriſtianorum. Imò præter illam jam receptam conſuetudinem, vult ſuperinducere aliam: præcipit nimirum quod fiat publica Communicatio Epiſtolarum, v. g. Epiſtola Colloſſenſium debet legi in Eccleſia Laodicenſium, & vice verſa: adeò vt ex hoc Capite non videatur poſsibile errores vel à Nuntijs, vel ab hac, vel ab illa Eccleſia miſceri potuiſſe. Ex tunc etiam Scripturæ prædicabantur, & nunc prædicantur æquè ac Tradita.

Quoad periculum ex diuerſis Tranſlationibus, manifeſtum eſt per ſexcenta, quæ hodiè ſuperſunt, antiquiſsima noui Teſtamenti Manuſcripta Græca, quod nihil notabile euaſerit mutatum in receptis tranſlationibus, præſertim in vulgata, quam vocant editionẽ. Obſerſeruaui quidem ego apud *Auguſtinum* ſæpius, & alios veteres, diuerſas lectiones à *vulgata*, & hoc propter multiplices verſiones: ſed nihil reperi quod mutauerit ſenſum notabiliter.

9. *Lypſius* ille antiquus in Epiſt. ad *Chromatium*, notauit ex & in ipſo *Chromatio De octo Beatudinibus* agente, apud *Cyprianum, Hilarium, Ambroſium*, & *Auguſtinum*, & alios veteres Eccleſiaſticos Scriptores extare Diuinarum literarum diuerſas lectiones, quæ vndè ſint depromptæ non liquet, vt loquitur ille. Sæpe etiam *Gildas*, in ſanctiſſima antiqua illa ad *Britannos* Epiſtola variat à communi Scripturarum lectione. Fortè memoriter recitabant, & ideò facilè labi poterant. Nam nec tunc, nec nunc inueniuntur Authentica Exemplaria Scripturæ, ex quibus legi poſsint, & vt dixi nihil ſubſtantiale erat;

vel

Digitized by Google

vel fortè ratio eſt, quam inferiùs tango ex *Auguſtino.* Diuerſa tempora diuerſos dabant Emiſſarios, qui Eccleſiam ſtatim accuſaſſent. Sunt etiam multi moderni præter Catholicos doctores, qui curioſiſsimè inueſtigarunt, nec tacuiſſent errores, vt de *Beza, Cauſabone, Vſhero* & alijs facilè conſtat. Extat quidem in Bibliotheca *Magdalinienſi Oxonij* antiquiſsimum, vt putatur, Scriptum Græcum Noui Teſtamenti, vbi 1. *Iohan.* 2. 23. *Quiſquis negat Filium, nec Patrem habet: qui agnoſcit Filium, etiam Patrem habet*; ibi vltima verba deſiderantur. Sic etiam in vltimo Cap. eiuſdem Epiſt. v. 7. deſunt hæc verba: *Tres ſunt qui teſtificantur in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus*; & hi tres vnum ſunt, & poſteriora ſolum habentur, ſcilicet hæc, *& tres ſunt qui teſtificantur in terra, Spiritus, & Aqua, & Sanguis, & Hi tres vnum ſunt.* Sic etiã omittũtur, *Pater & ego vnum ſumus*, vt intellexi in alio Scripto Græco, à *Cyrillo* Conſtantinopolitano, nupero *Regi Iacobo* tranſmiſſo, & habetur in Bibliotheca Regia, quæ tamen verba in omnibus alijs inueniuntur exemplaribus. Sed hoc ſine dubio ab Arrianis factum fuit, ſi ita eſt, non enim mihi hactenus licuit videre hunc librum Regium, licet *Socíniani* hodierni Nicænis Patribus interpoſitionem illorum verborum, *Vnum ſumus* ſine vllo prorſus Fundamento, jam poſt Mille trecentos annos gratis tribuant. Hæc dico pro indubitabili Noui Teſtamenti certitudinè, cui præcipuè nititur Fides Chriſtiana.

10. Quoad vetus vero Teſtamentum, reperio quidem apud veteres, differentias maiores in Tranſlationibus: apud *Origenem*, vt notant *Hieronymus* præſertim in Præfatione in librum Paralipomenon, *Euſebius*; & *Pamphilius*; apud ipſum etiam *Hieronymum* frequenter, vt luculenter patet in præfatione Pentateuchi ad *Deſiderium*, in Ioſue, in Pſalmos, & in ſingulis pene libris, nunc errores tranſcribenti ad notabiles taxat, præſertim in alia præfatione in librum Paralipomenon ad *Domnionem* & *Rogatianum*, nunc ſæpius ipſas tranſlationes. Apud *Aug.* etiam de ſupputatione annorum, vt notat *Mirandula* contra Aſtrologos l. 5. c. 8. Denique apud *Rogerum Baconum* in opere alibi citato, & alios recentiores, tam Catholicos, vt Doctorem illum Louanienſem qui tranſtulit ex Hebræo Pſalmos, quam alios, vt *Picherellum* in Opuſculo

gladios vibrant. Stant in acie Sacri Patrum Commentarij, Canones & Concilia pro nobis dimicant, Apoſtolicæ Traditiones apertè decertant, patrocinatur demum & Eccleſiæ diuturna conſuetudo. Illi contra pro ſuo ſenſu, aut Scripturas inuertunt, aut inficiantur, ſacros Interpretes contemnunt, Canones & Concilia damnant, Traditiones ſpernunt Apoſtolicas, Diuturnis Eccleſiæ conſuetudines pro nihilo dicunt, perinde ac ſi non permaneret in Eccleſia Spiritus, qui de credendis omnibus iam eam efficaciter inſtruat. Quid multis moror? Omnia ſubuertere, Chriſtumq́ ſimul & Spiritum eius ab Eccleſia tollere moliuntur. Item poſt multa in fine Veritatis quintæ, ſic concludit. *Quo fit vt propter perpetuam huius ſpiritus præſentiam, Eccleſia apud Paulum Columna dicatur & firmamentum veritatis; nimirùm quòd hoc ſpiritu veritatis, tam ſolidè fulciatur, vt nequeat in errores aliquos impingens diutius in eis perſeuerare.*

5. Infallibilitas igitur Apoſtolorum in duobus conſiſtebat, primò, quòd veritates particulares quas prædicabant, erant ipſis immediatè reuelatæ. Secundò, quòd ipſis immediatè erat promiſſum, & primitus datum, donum infallibilitatis; neutrum verò competit Eccleſiæ præſenti vel quomodolibet ſuccedēti. Eccleſia tamen præſens eſt infallibilis, quia Apoſtolis facta eſt reuelatio ac promiſſum diuinum de eius infallibilitate, vnde ſicut hæc propoſitio, *Chriſtus habet omnes partes hominis integrales* eſt infallibilis veritatis, licet non fuerit immediatè in ſe reuelata, ſed in alia, ſcilicet hac, quod Chriſtus fuit perfectus homo: Sic infallibilitas Eccleſiæ præſentis non eſt ideò minus certa, quia non ipſi Eccleſiæ ſed Apoſtolis futura eius Infallibilitas erat reuelata, ſeu promiſſa: licet minoris ſit authoritatis *Dictum* Eccleſiæ præſentis quam Apoſtolorum, ob authoritates diuerſas quibus nituntur: illud Dei immediatè reuelatis, hoc, Apoſtolorum, qui certò & infallibiliter veritatem Eccleſiæ, ſic vel ſic quoad neceſſaria dictantis, nobis tradiderunt. Et certè Patres non diſtinxerunt Eccleſiæ currentis ſæcula quoad donum Infallibilitatis, dum tàm dogmata, quàm *inſtituta* in Eccleſia prædicata, parem vim habere docent cum ipſis Scripturis, vt *Baſilius* locis citatis, & eſt communior ſententia Theologorum, vt patet apud *Smiſings* 1. par. in proem. q. 1. *Suarezium De Fide* diſp. 3.

ſect. 11.

Digitized by Google

ſect. 11. & alios ſatis frequenter: nempè quod *non eſt minor authoritas Eccleſiæ quādo veritatem definit, quam ſacra Scripturæ*, vt loquitur *Suarez*. Intellige præciſè quoad certitudinem, modo quo dixi: nam participat Diuinam illam Infallibilitatē gradu quodam remotiori & mediatori, quam ipſi Apoſtoli: imo vt ſæpius dicturus ſum, gradu & modo multò ſtrictiori, ſeu limitatiori, ſed hoc iterum tangam alibi. Concludam igitur cum *Athanaſio* in Ep. ad *Epictetum* Epiſcopum Corinthiorum, *Tantummodo ad ea reſpondendum eſt, quòd ipſum per ſe ſufficit, ea Orthodoxæ Eccleſiæ non eſſe, neque Majores noſtros ita ſenſiſſe.*

CAPVT XI.

DE SCRIPTVRIS.

Quam authoritatem hodie habeant in ordine ad Fidem.

1. NE ſubrepat error in re ipſa ex incongrua termini vſurpatione, obſeruandum eſt, quòd quando de *Scriptura* agitur (quæ ad præſens institutum) ſumatur, non abſtractiuè quaſi ſignificaret vel ſupponeret pro ipſa forma, qua afficitur charta per Scriptionem: ſed concretè, hoc eſt, prout dicit rem affectam Scriptione, ſeu vt loquuntur Logici de Terminis connotatiuis, ſignificat in recto ſuum materiale quòd eſt res ipſa, hoc eſt, Veritates reuelatæ: in obliquo verò ſuum formale, quod eſt Scriptio, ſeu Traditio earum per Scriptionem. Et in hoc ſenſu procedetur ad ſolutionem quæſtionis in titulo propoſitæ.

2. Prodijt quidam Dialogus à docto Amico meo compoſitus (de quo egi ſuperius) De electione Religionis, ſolemniter Pariſijs approbatus à Doctoribus deputatis Sorbonæ, cuius ſummam hîc adijciam. Totus ſecūdus Dialogus, qui excreſcit ad magnitudinē vnius Libelli, conſumitur in oſtenſione inferioritatis Scripturarum, quibus vtitur Eccleſia, reſpectu Traditionum, in ordine ad Fidem: & expreſsè aſſerit Eccleſiam ideò recipere Scripturas, quia & in quantum ſunt conformes Fidei, quam ab Apoſtolis per Traditiones accepit; non è conuerſo.

Et hacte-

Digitized by Google

Et hactenus ſine dubio rectiſsimè. Nam aliàs quomodo poterat Eccleſia primitiua diſtinguere & reijcere ſuppoſititia Euangelia, & cognoſcere vera. Aliqua ſcilicet falſa cum multis veris in Scriptis ſuis indiderant fallaciter ſuppoſititij Scriptores, quæ Catholica Regula condemnabat. Aliàs *Apoſtolicum* Manichæorum, de quo *Auguſtinus* ſæpius, præſertim libro primo contra *Adimantium* c. 17. vel illud *Nazareorum*, vel aliud ſecundùm *Petrum*, apud *Theodoretum* l. 2. hæret. fabul: Secundùm *Andream*, *Iacobum Minorem*, vel *Matthiam*, ſecundùm *Thomam*, &c. à Philoſophis conficta, de quibus *Innocentius* Ep. 3. valdè fusè, & *Ambroſ.* præf. in *Lucam*. alia denique Euangelia Eccleſia pro veris acceptaſſet, niſi differre à Doctrina Tradita vidiſſet. Illa igitur fuit regula qua dirigebatur in decernẽdo veras à falſis Scripturis.

Lucas quidem 1. ver. 4. dans rationem cur ſcripto tradiderit Euangelium, dicit, *vt cognoſcas eorum verborum, dè quibus eruditus es veritatem.* Non quòd ſcriptio illa calaminaris ſuperadderet authoritatem voce traditis, ſed quia facilè è memoriâ dilabuntur, & ſubindè malè intelliguntur, ideò ſcripto conſeruari voluit; *vt cognoſcant veritatem,* &c. vel etiam quia conferre poterant Scripta ſua cum Scriptis, vel Traditis aliorum Euangeliſtarum, vel Apoſtolorum, & ex conformitate mutuâ aſſecurari de veritate verborum, de quidus eruditi erant ab illo.

3. Pergit Dialogiſta, & illud quòd communiter aſſeritur, Eccleſiam declaraſſe ſingula verba, literas & apices Vulgatæ editionis eſſe prorſus indubitabilis authoritatis, & mandaſſe fideles eam ſic acceptare. in 4. paragrapho reijcit, & vlteriùs dicit, Nullum ſapientem putare vulgatam adeò correctam, quòd non poſsit in multis emendari. *Auguſtinus* quoad traſlationem ſui temporis vulgarem Ep. 140. dicit, *Codicorum Latinorum nonnullas mendoſitates ex Græcis exemplaribus emendauimus.* De Pſalterio loquitur. Neſcio an noſtra vulgata ſit illa de quâ ipſe agit, putem verò quòd canonizatio quam habet vulgata, vel quæcumque alia editio, non ſit intelligenda præcisè de cortice vel ordine verborum: ſed de integritate ſenſus, nam ipſi Euangeliſtæ non referunt eundem ordinem verborum, nec eadem verba, vt palam

eſt in

Digitized by Google

eſt, inipſis verbis conſecrationis. Addit Dialogiſta, Eccleſiam quidem nos ſecuros reddidiſſe, nihil ibi reperiri quòd aduerſetur Fidei traditæ, & ideò mandauit quatenus non recuſemus ſtare textui illi in materiâ Controuerſiarum vel diſputationum, &c. *Turneballus* etiam c. 4. & 5. Videtur reſoluere hodiernam integritatem Scripturæ ad ſolùm neceſſaria ad ſalutem, in quo non multùm differt à Dialogiſta. Cuius doctrina perpendenda eſt ad decretum Trid. ſeſſ. 4. De editione & vſu Sacorum Librorum, cuius hæc ſunt verba. *Inſuper eadem Sacro-ſancta Synodus conſiderans non parum vtilitatis accedere poſſe Eccleſiæ Dei, ſi ex omnibus latinis editionibus, quæ circumferuntur, Sacrorum Librorum, quænam pro authenticâ habenda ſit, innoteſcat; ſtatuit & declarat, vt hæc ipſa vetus & vulgata editio, quæ longo tot Sæculorum vſu in ipſâ Eccleſiâ probata eſt, in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus & expoſitionibus, pro authenticâ habeatur, & vt nemo illam reijcere quouis prætextu audeat, vel præſumat.*

4. Quidam Ieſuita Louanienſis in publicis Scholis has tres docuit Aſſertiones de Scripturâ Sacrâ, quæ à fortiori, Dialogiſtæ ſententiam integram probare, & vlteriùs progredi videntur.

Prima. *Vt aliquid ſit Scriptura Sacra, non eſt neceſſarium ſingula eius verba inſpirata eſſe à Spiritu Sancto.*

Secunda. *Non eſt neceſſarium, vt ſingulæ veritates & ſententiæ ſint immediatè à Spiritu Sancto, ipſi Scriptori inſpiratæ.*

Tertia. *Liber aliquis (qualis fortè eſt ſecundus Machabæorum) humanâ induſtriâ, ſine aſſiſtentia Spiritus Sancti ſcriptus, ſi Spiritus Sanctus poſtea teſtetur ibi nihil eſſe falſum, efficitur Scriptura Sacra*: Sic referunt Vniuerſitates Louanienſis & Duacenſis.

5. Hæ ſpeculationes videntur apertè contra *Florentinum* & *Tridentinum* ſeſſ. 4. in decreto de Scripturis, vbi expreſsis terminis decernitur Spiritum Sanctum dictaſſe ſingulas Scripturas, vel Chriſtum protuliſſe.

Baſilius etiam in Pſalm. 37. dicit hoc notabile, *verba Scripturæ diuinitùs inſpiratæ ante Chriſti Tribunal ſtatuentur.* Non igitur leuiter cum illis ludendum.

N Longè

Digitized by Google

Longè verò vlteriùs proceſsit *Dominicus Lopez* in ſuo Tractatu De authoritate Sacræ Scripturæ, qui cõtendit, non derogari authoritati eius, ſi in aliquibus leuiter erretur à Sacris Scriptoribus: citaui aliàs. De quo iam dico, quòd tunc neſciebam, prædictum *Lopez* Baſileæ; & in Hollandiâ à Miniſtris editum & commentarijs illuſtratum eſſe tanquam ex ipſorum Scholâ proditum; licet alij non pauci eiuſdem farinæ homines, ipſum vt *Soſinianum* ſcripturas ad ſuorum ſenſuum limam cõmenſurantem explodant. Quicquid verò de hoc fuerit, ſaltem audacter ſua effutit: in alterâ igitur ſtaterâ appendatur & opponatur.

Diuus Baſilius l. de Baptiſmo c. 2. (& ſecundùm æquitatem Chriſtianam judicetur de vtriuſque dogmate) ipſe igitur ſic loquitur. *Quoniam verò & nominum, & verborum, ac rerum vſum in diuinitus tradita Scriptura, de Deo & Chriſto ipſius, in Sanctis Prophetis, Euangeliſtis, & Apoſtolis, non vtcumque ac temerè pro communi conſuetudine accipiendum: ſed vt à Spiritu Sancto decretum eſt, ad ſcopum piæ ſententiæ: idq; non vniuerſaliter, ſed ex parte, & quatenus vnumquodq; ad propoſitum ſanæ doctrinæ facit & piè ſentiendum, & mentem ad judiciorum ac decretorum pietatis cognitionem inducendam eſſe judico.* Addit. *Neceſſarium eſt, vt & nos exquiſitè & vigilanter, vnicuique dicto attendamus, & eum ſenſum eligamus, qui ſupernæ vocationis ſcopo ſeruiat.* Magnus hìc Eccleſiæ Doctor, non ſolùm res ipſas: ſed *nomina & verba* etiam ſingula à Spiritu Sancto prolata aſſerit. *Lopez* aliqua concedit, alia negat, huc etiam inclinat ille alter citatus. Videtur ſanè timendum, ne ex huiuſmodi doctrinâ, paulatim in Hæreſim *Doſithei Samaritani* Hæretici incidatur, qui auſus eſt repudiare Prophetas; vt non à Spiritu Sancto locutos. Refert *Tertull.* in initio de Hæreſibus.

Baſilius tantam nutriebat erga Scripturas reuerentiam, vt *de illis quæ quandam videntur habere contrarietatem, meliùs ſit, vt ſibi ipſi lector Fidem faciat; vt potè qui nondum ad cognitionem diuitiarum Sapientiæ Dei peruenit, & quia difficile eſt penetrare ad inſcrutabilia judicia Dei, quam vt obnoxius fiat judicio audaciæ & temeritatis;* &c. Iudicium quidem ſapit temeritatis, quaſcumque Scripturæ particulas, vel quia ſpecie tenus contrariæ videantur, vel quia à nobis minùs intellectæ ſint, ſtatim falſi-

ſitatis,

ſitatis, vel incertæ veritatis accuſare. Vndè *Athanaſius* De interpretatione Pſalmorũ in Ep. ad Marcellinum *Omnis quidem apud nos, ſiue noua, ſiue vetus Scriptura, numinis afflatu prodijt, & idonea eſt ad erudiendum ſub eâ formâ ſpecieq́ verborum, qua concepta eſt*, &c. Non ſolùm igitur res, ſed ſpecies verborum ab *Athanaſio* celebrantur.

Et ideò *Aug.* Ep. 7. *Si ratio contra diuinarum Scripturarum authoritatem redditur, quamlibet acuta ſit, fallit veriſimilitudine, nam vera eſſe non poteſt.* Redeam igitur ad priores propoſitiones.

6. Non minori jure adferre poterant Eſdram, (ſi hoc modo procedere liceat.) *Eſdras* enim ſecundùm *Hebræos* neque Propheta fuit, neque Spiritum Sanctum habuit: ſed libri eius, & tota collectio librorum vetuſtiorum ab ipſo facta, approbata eſt à *Synedrio* vbi intererant Prophetæ aliqui. De libro *Eccleſiaſtæ* dubium erat: ſed vicit major pars; vt poſt multos refert ex Hebræis *Grotius* in *Caſſandri* Conſultationem, titulo de *Canonicis Scripturis*.

In libris etiam *Regum*, multa ſunt quæ deſumuntur *ex Ephemeridibus Regum Iuda, & Iſrael.* Familiare hoc eſt, dum narratur de morte *Regum*; vt in ſequentibus poſt caput 4. libri. 3. patet. Et ſic videri poſſunt ex profanis fieri Sacra Scriptura.

Tertullianus libro. 1. ad vxor. c. 7. dicit, quòd *verſiculus Menandri ſanctificatus eſt per Apoſtolum.*

Hieronymus etiam ad Demetriadem c. 10. dicit, *ſæcularem verſum aſſumens Apoſtolus, fecit Eccleſiaſticum.* Et vterque loquitur de verſu illo, *corrumpunt bonos mores colloquia praua.* Vbi verſus ille à profano Authore ſcriptus, fit Sacra Scriptura, licet non immediatè dictatus à Spiritu Sancto: quia Apoſtolus citat Poëtam; vt Authorem. Sic etiam ad Titum vtitur verſiculo *Epimenidis* Poëtæ. Sic etiam *Iudas Apoſtolus* in Epiſtolâ ſuâ, vtitur libro qui extabat olim ſub nomine *Enoch*, & *Tertullianus* in lib. de *habitu mulierum* vindicat illum librum, licet addat. *Scio Scripturam Enoch non recipi à quibuſdam, quia nec in armarium Iudaicum admittitur*, &c. *Hieronymus* verò enarrans Epiſtolam ad *Titum*, eam Apochrypham vocat, & ſic omnes poſteriores; dicit igitur *Hieronymus* ſubinde vti licere parte libri, etiamſi totum librum non

 approbet

approbet; vt rectè refert *Rhenanus* in argumento libri dicti *Tertulliani*: Sed de his nihil aſſero. Redeo ad Dialogiſtam.

7. Dialogo tertio fusè declarat nos Fidem noſtram reſoluere in Traditiones, non in Scripturas. Probat etiam neruosè infallibilitatem neceſſariam & conſpicuam Traditorum in materia Fidei; vtique quòd non poſſunt non ſemper eſſe eadem, ſi naturam Fidei ſpectemus, reſpectu cuius genus humanum, præſertim Chriſtianum eſt adeò ſollicitum, cùm ſalus vel damnatio æterna ex ea dependet, quòd nunquam potuit introduci vniuerſalis error ei oppoſitus, vel aliquid hac in parte nouum, quin ſtatim Fideles ſe oppoſuiſſent, &c.

Modus etiam tradendi ἄγραφα multò efficacior erat, quam tradendi Scripturas; hæ enim huic vel illi perſonæ vel Eccleſiæ ſubindè erant directæ, & per vnam perſonam miſſæ, cuius Fidelitate nititur earum authoritas. Tradita verò publicè prædicabantur omni genti, & coram vniuerſo populo ſimul congregato, & ſemper repetebantur in omnibus locis, quia Apoſtoli huic operi inſtabant, & ſic facilè conſeruare poterant. Plura habet digna lectu pro præminentia Traditionum. Etiam oſtendere conatur inferioritatem Scripturarum in Dialogo ſecundo, ſi vel multiplicitatem tranſlationum à ſe inuicem differentium, ſi etiam poſſibiles errores, imò (moraliter loquendo) certos & frequentes errores tranſcribentium, ſi etiam æquiuocationes ſeu diuerſas vocum acceptiones in ipſis originalibus linguis. Denique ſi vniuerſam Grecæ & Hebraicæ linguarum ignorantiam (ex quarum cognitione pendet certitudo tranſlationum) ſpectemus, quæ tamen nullo modo dici poſſunt de Traditionibus.

Tandem ex ipſo modo, quo concipiuntur & exprimuntur Scripturæ, laborat oſtendere Deum, non intendere eas limam, ſeu regulam noſtræ Religionis conſtituere, nempè quia non ſcribuntur ſub forma legis, ſed nunc hiſtorias, nunc Epiſtolas, nunc res Philoſophicas, nunc denique res Myſticas tradunt, &c. Demum ex diuerſo modo conſeruandi libros Euangeliorum & Epiſtolas Apoſtolorum, à Moſaïca lege: nimirùm ipſum Originale conſeruabatur in Arcâ cum maximâ reuerentiâ, vt eò ſuper omnia dubia textuum recurrere poſſent: In Eccleſiâ

cleſiâ verò nulla eſt talis prouidentia pro conſeruatione Originalium, nec vllum de hoc extat præceptum, quod manifeſtum dicit eſſe ſignum, Deum velle nos Traditis, non Scriptis inniti. Vult igitur ſummariè, Quòd Scripturæ potiùs per Fidem à Patribus ſucceſsiuè traditam examinandæ ſunt, quam Fides per eas. Hæc ſumma eius opinionis, quam in compendium reduxi. Videtur etiam popularis noſter *Thomas Baconus* alias *Southwellus* in ſua Fidei Analyſi Diſp. 3. c. 11. haud minus eneruare ſacras Scripturas, quam hactenus Dialogiſta, ſi rectè expendantur quæ hac de re fusè ſcribit.

8. Negari quidem non poteſt, nec debet, quin plurima in his Dialogis doctiſsimè & acutiſsimè dicantur, & vel maximè quæ Traditiones tangunt; & vt verum fatear, licet rationes adductæ pro eius aſſertione, de haud æquali certitudine Scripturarum, ſint etiam ſubtiles & apparentes: loquendo tamen ad rem ipſam, non nimis ſcilicet metaphiſicando, ſed rem moralem, moraliter conſiderando, planè impoſsibile eſt libros præſertim Noui Teſtamenti fuiſſe, vel eſſe notabiliter adulteratos: Nam adulterari debebant, vel omnia volumina, per omnes partes mundi ſimul (quòd nemo ſanæ mentis aſſeret) totum ſcilicet mundum conſpiraſſe ad illum effectum: vel ab hinc inde modo aliquo ſecretiori ab inimicis Fidei, vel ab alijs ignaris ſubinduci debebat talis falſificatio: ſed hoc non, quia reliqua exemplaria paſsim diſperſa reclamaſſent, & in Concilijs tàm vniuerſalibus, quàm minoribus, in diuerſis mundi partibus pro re natâ ſexcenties celebratis, dolus vel error notabilis apparuiſſet, nec tot Patres latere potuiſſet. Impoſsibilitatem etiam falſificationis optimè ponderat *Aug.* Ep. 48. Vbi de libris *Cypriani* agens dicit. *Neque enim ſic potuit integritas atque notitia literarum, vnius quamlibet illuſtris Epiſcopi cuſtodiri, quemadmodum Scriptura Canonica, tot linguarum literis & ordine, & ſucceſsione celebrationis Eccleſiaſticæ cuſtoditur, contra quam tamen non defuerunt, qui ſub nominibus Apoſtolorum multa cõfingerent: fruſtra quidem, quia illa ſic cõmendata, ſic celebrata, ſic nota eſt*, &c. Abundè etiam hoc patet in minimâ illa diuerſitate verſionis Hieronymianæ à communi in c. 4. *Ionæ*, propter quam orta eſt magna commotio in Africâ, vt ait *Auguſtinus*.

Illud verò quod dicitur de inferioritate Scripturæ ſaltem nouæ, ex eo quòd Epiſtolæ ſubindè huic, vel illi ſolùm Perſonæ, aliquando Feminæ, vt Ep. 2. *Ioannis*, Electæ, vel Eccleſiæ dirigebantur, & etiam vehebantur per vnum aliquem hominem, imò quòd addere poterat, per vnam ſubindè Fœminam, ſicut per Phæbem miſſa eſt Epiſt. *Pauli* ad Roman. quæ fuit Diaconiſſa Eccleſiæ *Cenereenſis*, & tota illarum Scripturarũ certitudo à talium perſonarum authoritate dependet, &c. Videtur ſolutum ab Apoſtolo tùm alibi, tùm ad Theſſalonicenſes in fine Ep. 1. & ſub finem Ep. ad Coloſſ. quia oſtendit fuiſſe conſuetudinem legendi Epiſtolam miſſam, in publicis Conuentibus ſeu Eccleſijs Chriſtianorum. Imò præter illam jam receptam conſuetudinem, vult ſuperinducere aliam: præcipit nimirum quod fiat publica Communicatio Epiſtolarum, v. g. Epiſtola Colloſſenſium debet legi in Eccleſia Laodicenſium, & vice verſa: adeò vt ex hoc Capite non videatur poſsibile errores vel à Nuntijs, vel ab hac, vel ab illa Eccleſia miſceri potuiſſe. Ex tunc etiam Scripturæ prædicabantur, & nunc prædicantur æquè ac Tradita.

Quoad periculum ex diuerſis Tranſlationibus, manifeſtum eſt per ſexcenta, quæ hodiè ſuperſunt, antiquiſsima noui Teſtamenti Manuſcripta Græca, quod nihil notabile euaſerit mutatum in receptis tranſlationibus, præſertim in vulgata, quam vocant editionẽ. Obſeruaui quidem ego apud *Auguſtinum* ſæpius, & alios veteres, diuerſas lectiones à *vulgata*, & hoc propter multiplices verſiones: ſed nihil reperi quod mutauerit ſenſum notabiliter.

9. *Lypſius* ille antiquus in Epiſt. ad *Chromatium*, notauit ex & in ipſo *Chromatio De octo Beatudinibus* agente, apud *Cyprianum*, *Hilarium*, *Ambroſium*, & *Auguſtinum*, & alios veteres Eccleſiaſticos Scriptores extare Diuinarum literarum diuerſas lectiones, quæ vndè ſint deromptæ non liquet, vt loquitur ille. Sæpe etiam *Gildus*, in ſanctiſſima antiqua illa ad *Britannos* Epiſtola variat à communi Scripturarum lectione. Fortè memoriter recitabant, & ideò facilè labi poterant. Nam nec tunc, nec nunc inueniuntur Authentica Exemplaria Scripturæ, ex quibus legi poſsint, & vt dixi nihil ſubſtantiale erat;

vel

Digitized by Google

vel fortè ratio eſt, quam inferiùs tango ex *Auguſtino.* Diuerſa tempora diuerſos dabant Emiſſarios, qui Eccleſiam ſtatim accuſaſſent. Sunt etiam multi moderni præter Catholicos doctores, qui curioſiſsimè inueſtigarunt, nec tacuiſſent errores, vt de *Beza, Cauſabone, Vſhero* & alijs facilè conſtat. Extat quidem in Bibliotheca *Magdalinienſi Oxonij* antiquiſsimum, vt putatur, Scriptum Græcum Noui Teſtamenti, vbi 1. *Iohan.* 2. 23. *Quiſquis negat Filium, nec Patrem habet: qui agnoſcit Filium, etiam Patrem habet*; ibi vltima verba deſiderantur. Sic etiam in vltimo Cap. eiuſdem Epiſt. v. 7. deſunt hæc verba: *Tres ſunt qui teſtificantur in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus*; & hi tres vnum ſunt, & poſteriora ſolum habentur, ſcilicet hæc, *& tres ſunt qui teſtificantur in terra, Spiritus, & Aqua, & Sanguis, & Hi tres vnum ſunt.* Sic etiã omittũtur, *Pater & ego vnum ſumus*, vt intellexi in alio Scripto Græco, à *Cyrillo* Conſtantinopolitano, nupero *Regi Iacobo* tranſmiſſo, & habetur in Bibliotheca Regia, quæ tamen verba in omnibus alijs inueniuntur exemplaribus. Sed hoc ſine dubio ab Arrianis factum fuit, ſi ita eſt, non enim mihi hactenus licuit videre hunc librum Regium, licet *Sociniani* hodierni Nicænis Patribus interpoſitionem illorum verborum, *Vnum ſumus* ſine vllo prorſus Fundamento, jam poſt Mille trecentos annos gratis tribuant. Hæc dico pro indubitabili Noui Teſtamenti certitudinè, cui præcipuè nititur Fides Chriſtiana.

10. Quoad vetus vero Teſtamentum, reperio quidem apud veteres, differentias maiores in Tranſlationibus: apud *Origenem*, vt notant *Hieronymus* præſertim in Præfatione in librum Paralipomenon, *Euſebius*; & *Pamphilius*; apud ipſum etiam *Hieronymum* frequenter, vt luculenter patet in præfatione Pentateuchi ad *Deſiderium*, in Ioſue, in Pſalmos, & in ſingulis pene libris, nunc errores tranſcribenti ad notabiles taxat, præſertim in alia præfatione in librum Paralipomenon ad *Domnionem* & *Rogatianum*, nunc ſæpius ipſas tranſlationes. Apud *Aug.* etiam de ſupputatione annorum, vt notat *Mirandula* contra Aſtrologos l. 5. c. 8. Denique apud *Rogerum Baconum* in opere alibi citato, & alios recentiores, tam Catholicos, vt Doctorem illum Louanienſem qui tranſtulit ex Hebræo Pſalmos, quam alios, vt *Picherellum* in Opuſ-

culo

culo ſuo, & *Pellecanium* in tranſlatione Pſalmorum cum ſuis. Et ſpecialiter eſt vnus vel alter locus in Pſalmis celebris, tàm apud *Paulinum Auguſtino* Ep. 58. quã apud *Auguſtinũ Paulino* Ep. 59. Prior eſt, Pſalmo decimo ſexto. *Domine perdens de terra diſpertire eos*, in alia lectione habetur, *A paucis de terra*, &c. *Auguſtinus* dicit ſe conſuluiſſe Græcos codices, & in vno priorem lectionem, in alio poſteriorem inueniſſe; quos ibi conciliat. Alius locus eſt *Saturati ſunt porcina*, alia lectio eſt, *Saturati ſunt filijs*. Hoc prouenire dicit per *notam accentus* eiuſdem verbi Græci v. g. pro ὑῶν, legiſſe videntur, ὑιῶν, hoc eſt pro filijs, porcinam, nam ex Hebræo vertit *Hieronymus Filijs*. Vna lectio eſt obſcurior altera, vtraque tamen patiuntur eandem interpretationem ſecundùm intentum textus, vt ibi declarat *Aug*: Sic etiam Pſalm. 15. *Mirificauit vel mirificet omnes voluntates* ſuas *inter illos*: Græcè habetur, *in illis*. Sæpè autem quod habet illa lingua *in illis*, noſtri interpretantur *inter illos*, vbi videtur ſententiæ conuenire. Quòd dicitur etiam ibi *voluntates ſuas, Auguſtin.* dicit, quòd *Codices emendatioris & electioris authoritatis* non habent *voluntates ſuas*: ſed *voluntates meas*. Noſtri contra habent αὐτȣ̃. Mirabilis etiam eſt variatio inrerpretationis verſus *Deutronomij* cap. 32. Vbi apud Proſperum, *De promiſſionibus & prædictionibus Dei* par. 1. c. 9. & apud veteres ferè omnes legitur, *Cùm diſpartiretur Altiſſimus nationes, ſtatuit terminos gentium, ſecundùm numerum Angelorum*, Communior lectio habet ex Hebræo, *ſecundum numerum filiorum Iſraël.* Sic *Cyprianus* Epiſt. 28. dicit. *Et iterùm* loquitur Scriptura Diuina, ſic dicit Dominus, *cùm conuerſus* gemueris, tunc ſaluaberis, & ſcies vbi *fueris.* Notatur *Ezechiel* partim 18. & & 33. Capitibus. Non tamen reperitur hæc lectio in vulgata vel 70.

Huiuſmodi diuerſæ lectiones, tàm apud illos quã cæteros veteres, vt dixi, frequentes ſunt: Ratio poteſt eſſe illa, quam tangit *Aug.* vt notat Pamelius in vitâ *Cypriani*, quòd *vnuſquiſq; ex Græco propriam ſibi interpretationem Scripturarum commentatus ſit.* Addit Pamelius, *atq; hinc* factum; vt ſua ætate tot eſſent tamque variæ editiones *Latinæ*. *Andreas Duuallius* in Scholijs ad libr. Eccleſiæ Lugdunenſis, contra quendam

Digitized by Google

dam *Ioannem* natione *Scotum*, hoc ipſum tangens, ſic rectè loquitur. *Quò ad Scripturæ verſionem, qua Eccleſia Lugdunenſis vtitur, incertum eſt cuiuſnam ſit: certum tamen eſt multùm à vulgata diſcrepare, cùm nullum proferat teſtimonium, quod ab eâ non diſcrepet; fortè propriam ſibi verſionem fabricauerat illa Eccleſia, vt potè viris apprimè doctis refertiſſima, quia juxta Auguſt. lib. 2. de Doctr: Chriſtianâ cap. 11. & Iſidorum de Eccleſ. offic. lib. 1. c. 12. Græci Traductores numerari poſſunt, Latini verò minimè: vt enim cuiq; veniebat in manus Græcus Codex, & aliquantulum ſibimet facultatis vtriuſq; linguæ habere viſus eſt, auſus eſt etiam interpretari.* Sed firmiſsimè credo, quòd libri hodie vſitati in ſubſtantialibus nullatenus diſcrepant, præſertim quatenus Chriſtiana Dogmata confirmant, quia Iudæi huic inuigilaſſent: nec video apud Rabbinos hoc nobis imputatum. *Manichæi* quidem *plurima* diuinarum Scripturarum, quibus eorum nefarius error clariſſimâ ſententiarum perſpicuitate cõuincitur, quia in alium ſenſum detorquere non poſſunt, falſa eſſe contendunt, ita tamen vt eandem falſitatem non ſcribentibus Apoſtolis tribuant, ſed neſcio quibus codicum corruptoribus. Quod tamen, quia nec pluribus ſiue antiquioribus exemplaribus, nec præcedentis linguæ authoritate (vndè Latini libri interpretati ſunt) probare aliquando potuerunt, notiſſimâ omnibus veritate ſuperati confuſique *diſcedunt. Aug.* in Epiſt. 19. ad *Hieronymum. Manifeſtum etiam eſt quod Chriſtus & Apoſtoli non leuiter æſtimabant Scripturas veteres, quas citare ſolebant: Chriſtus enim ex illis ſe eſſe Meſsiam oſtendebat Diſcipulis in itinere ad Emaus, nec aliundè offerebat teſtimonia vel probationes, vt ipſimet teſtantur.* Diuinæ ergò habebantur authoritatis procul dubiò, tàm apud Chriſtum Dominum, quàm diſcipulos, & ideò Chriſtus toties præcipit Hebræis, *Scrutamini Scripturas, ipſæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me:* vel ſi, *Scrutamini* ſumatur indicatiuè, tamen non obſtat, quin ex iudicio Chriſti diuinæ fuerint & debeant eſſe authoritatis, cùm ex illis ſe probatum aſſerit contra Hebræos, hoc eſt præcipuè Phariſæos. Hoc ideò addo, quia alij ſumunt *ſcrutamini* imperatiuè: & ideò Sectarij probant diuinum præceptum legendi Scripturas in ordine ad laicos, ex illo 5. c. *Iohannis*; ſed fruſtrà: quia illud præcipuè Phariſæos tange-

Digitized by Google

bat: deindè multi Patres exponebant *indicatiuè non imperatiuè*, ſic *Irenæus* aduerſus Hæreſes l. 4. c. 23. *Cyrill. Alex.* in Ioan. l. 3. c. 4. fusè. Imò *Beza* in Ioan. c. 5. in edit. vlt. anno 82. & in ſuis Annotationibus: ibi probat ſumi ſolùm *indicatiuè*, ſic etiam *Muſculus* & alij. Hæc obiter contra, *Sectarios* qui facilè accipiunt quæuis vel leuicula errandi fundamenta.

11. Eſt quidem magna differentia in Tranſlatione 72. à Tranſlatione communi & vniuerſaliter recepta etiam à Iudæis, prout etiam notat *Hieronymus* in c. 2. *Matth.* verba illa, *vt adimpleretur quod dictum eſt per Prophetam dicentem, Ex Ægipto vocaui filium meum*, haberi in Hebræa, non 72. interpretatione. Tamen Apoſtolus ad Hebræos 11. 21. de adoratione virgæ Ioſephi, ſequitur 72. in *Gen* 47. 31. relicta Hebræa, vbi differunt. Fatentur etiam experti in lingua Hebræa magnas eſſe differentias in illa 70. interpretatione, ab ipſo textu Hebraico & Chaldæo, tùm in alijs, de quibus fusè *Aug.* in Epiſt. 10. quæ eſt *Hieronymo* inſcripta, tùm præcipuè ad propoſitum noſtrum in vaticinio illo celeberrimo *Iſaiæ* de Meſsia, prout non ſolùm Doctores Chriſtiani, ſed Iudæorum *Rabbini* illud interpretati ſunt, vbi ſic legitur: *Paruulus natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis, & factus eſt Principatus eius ſuper humerum eius, & vocabitur nomen ejus Admirabilis, Conſiliarius, Deus fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis.* Tranſlatio verò 72. reliquis omiſſis ponit ſolùm, *Magni Conſilij Angelus.* Ratio redditur propter reſpectum Perſonæ *Ptolomæi*: ſcilicet timebant, ne ſi ſingula panderentur, quæ ibi habentur de dignitate Meſſiæ, plus auerteretur à veritate, & diminueretur reuerentia quàm conceperat erga Scripturas, qui tàm ſublimia Myſteria nondum capere potuit.

Hæc dico differentia Interpretationis, quantacumque fuit, non tangit nos plus quam Iudæos, vt apud eorum Doctores, præſertim apud celeberrimum *Moſen Ægiptium* in Epiſt. ad *Iudæos Africanos*. *Auguſtinus* verò longè aliam & præſtantiorem dat ſolutionem 15. de Ciuit. *Meritò creduntur 70. Interpretes accepiſſe Propheticum Spiritum, vt ſi quid eius authoritate mutarent, atq; aliter quam erat, quod interpretabantur, dicerent, neq; hoc diuinitùs dictum eſſe dubitaretur.* Nec ſolum apud *Auguſt.* hanc

Digitized by Google

hanc authoritatem, ſed (vt ipſe 18. de Ciuit. oſtendit) eandem apud totam Eccleſiam habebant. *Cùm fuerint & alij Interpretes, qui ex Hebraica lingua in Græcam, ſacra illa eloquia tranſtulerunt: hanc tamen quæ 70. eſt tãquam ſola eſſet, ſic recipit Eccleſia, eaq; vtuntur Græci populi Chriſtiani, quorum pleriq; vtrum alia aliqua ſit, ignorant. Ex hâc 70. Interpretatione etiam in linguam Latinam interpretatum eſt, quod Eccleſiæ Latinæ tenent.* Notandum eſt quod Septuaginta erant quaſi vnicè in pretio, vſquedum *Damaſus* præceperat *Hieronymo* aliam tranſlationē facere, quæ paulatim inualuit. Rationem vero diuerſitatis Tranſlationum ſeu lectionum fusè tractat *Hieronymus* Epiſt. 135.

Fateor tandem ob fœcunditatem linguæ Hebrææ, facilè vnius vocabuli poſſe fieri diuerſas tranſlationes; nec incongruas: & ſæpè ſic contingere obſeruaui, ſine notabili textus mutatione quoad intentum Spiritus Sancti, ſecundùm illud *Auguſtini* Epiſt. 19. agentis de Interpretibus Scripturæ: *Quos neceſſe eſt, etiamſi rectæ atque vnius Fidei fuerint, varias parere in multorum locorum obſcuritate ſententias, quamuis nequaquam ipſa varietas ab eiuſdem Fidei vnitate diſcordet.*

Tandem D. *Paulus* ad Rom. cap. 3. loquendo de Iudæis dicit: *Credita ſunt illis eloquia Dei*, dicit etiàm fuiſſe *inſpirata à Deo*. 2. Tim. 3. 16. Fuerunt ergo Eloquia Dei tempore D. *Pauli*: quantæ vero fuerint authoritatis Epiſtolæ Pauli, quæ vbique dant Teſtimonia de veteri Scriptura vt diuina, teſtatur *Petrus* 2. Pet. 3. vbi omnes Epiſtolas *Pauli* æquat indiſcriminatim reliquis Scripturis. Et certè abſtrahendo à Diuinâ Prouidentiâ, humano ſolùm modo conſiderando rei proceſſum, meliùs conſeruarentur, quando tàm Iudæi quàm Chriſtiani in ſimul cuſtodirent, quam quando Iudæi ſoli. Nulla igitur prorſus eſt probabilitas illas Scripturas poſtea ſubſtantialiter eſſe corruptas, quia tàm primi Chriſtiani, quàm Hebræi quorum res agitur, hoc vt dixi ſummè præcauiſſent, ſecundùm illud *Hieronymi* ad *Auguſt*. Epiſt. 11. de ſua tranſlatione ex Hebræa in Latinum: *Si alicubi dubitas, Hebræos interroga.*

Quod ſi liceat in ſecretiora Dei Conſilia vllo modo penetrare, videretur non exilis Diuinæ Prouidentiæ effectus, ſi diceretur Iudæos &

Hæreticos ad hoc ſupereſſe & permitti, vt ſint teſtes Diuinorum Eloquiorum: vtique tàm hi, quàm illi omnibus modis anhelant, vt Fidem Chriſti & eius Eccleſiam accuſare poſsint. Vndè *Iuſtinus* martyr in Admonitorio Gentium, agens de 70. Interpretibus dicit: *Quod autem adhuc apud Iudæos cuſtodiantur, quæ noſtræ Religioni vſui ſunt; diuinæ rebus noſtris conſulentis Prouidentiæ opus exiſtimamus: ne ſi eos ex Eccleſia duntaxat promeremus, anſam maleuolis calumniandi præberemus, quæ illis videlicet adimitur, cùm ex Iudæorum Synagogâ proferimus.* Seu vt loquitur *Aug.* Epiſt. 59. *Vt apud* Iudæos eſſet *teſtimonium Scripturarum toto orbe terrarum, vnde Eccleſia fuerat euocanda.*

12. Tandem Diuus *Paulus* ad Galat. 1. omnem pro vtraque Scripturâ, hac in parte videtur auferre dubitationem. *Si Angelus de cælo vobis annunciauerit præterquam quod in Scripturis*, &c. *accepiſtis, Anathema ſit.* Sic legit *Auguſtinus* loco jam citando, licet in noſtra lectione ſic habeatur: *Licet nos aut Angelus de Cælo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus vobis, Anathema ſit.* Iterum ibidem. *Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepiſtis, Anathema ſit.* Auguſt. tamen *c. 6. l.* 3. aduerſus literas *Petiliani* hæc verba ponderans, ad Scripturas nos remittit, *ſiue de Chriſto, ſiue de eius Eccleſiâ, ſiue de quacunque aliâ re quæ pertinet ad Fidem vitamq́; noſtram*, &c. Infallibilis ergò erant authoritatis in eius tempore, ſic etiam apud omnes Patres. Hoc patet in infinitis apud eos locis, quos de aliâ re agens citaui in Capitibus ſuperioribus. Speciale verò eſt quod magnus *Athanaſius* habet in initio Synopſeos, *Omnis noſtra (qui Chriſtiani ſumus) Scriptura diuinitùs inſpiràta eſt*: ſi *omnis*, ergò nulla particula eſt, quæ non ſibi hoc Priuilegium iure vendicabit: vndè *Proſper* in Pſal. 103. ſuper illum verſiculum, *Extendens cælum ſicut pellem*, dicit, *Intelligimus Sanctam Scripturam Cælum appellatam, cuius authorem primò quaſi firmamentum in Eccleſiâ ſuâ poſuit*, &c.

Quod verò habet *Dialogiſta* de intermixtione Philoſophicorum, & & Hiſtoriarum, &c. *Rabbi Moſes* in ſuo *More Nevochim*, dicit, omnia Myſteria Philoſophiæ naturalis ibi haberi. Sic etiam *Picus Mirandula* in Heptaplo, & alibi cum omnibus Rabbinis, qui in ſingulis ferè libris

Myſteria

Digitized by Google

Myſteria venerantur, vt ſpeciatim notat *Aug.* de Geneſi contra Manichæos l. 1. c. 3. & alibi. Et hoc omnes tribuunt etiam Chriſtiani Commentatores Majeſtati ſacri Codicis. Hiſtoriæ etiam declarant ſingularem Dei Prouidentiam, neceſſariò per calamum Diuinum populo incredulo inculcandum. Vndè Doctor *Subtilis* q. 2. Prologi dicit: *Quoad hiſtorias, in quibus exempla ſunt legis declaratiua, ſimiliter ex toto proceſſu Scripturæ, patet ordinata Dei gubernatio reſpectu hominis & totius Creaturæ.* Hæc quidem oſtendunt in Sacro Codice alia contineri præter nuda legis verba, quæ tamen neceſſaria ſunt in ordine ad Sapientiores. Vndè *Hieron.* Epiſt. 84. *Quis neſcit, & in Moyſe & in Prophetarum voluminibus quædam aſſumpta de Gentilium libris?* Sed ad omnia hujuſmodi accuratè reſpondit *Athanaſius*, De interpretatione Pſalmorum in Epiſtolâ ad *Marcellinum.* Alterum quod habet de conſeruatione veteris legis in Arcâ. &c. Sæpiùs in curſu operis expendo.

13. Fateor quidem quod ſpecialiùs conceſſum erat Apoſtolis à Chriſto *prædicare* (ſicut *Matth.* 28. prout aliqui legunt) quam *ſcribere* de quo nullum extat præceptum: & ideò ſi debeat fieri comparatio vnius ad alterum, prædicatio ſeu vocalis traditio verbi, maiorem ſibi vendicat authoritatem, vndè *Athan.* in Ep. ad Dracontium: *Cur autem delegit diſcipulos Seruator, niſi in id vt eos prædicatum mitteret?* Quod etiam directiùs intenditur in vocabulo *Docete*, quæ eſt communis lectio, quàm *Scriptio*, vt omnes concedent. Aliàs *Petrus* plus ſcripſiſſet: & reliqui Apoſtoli, qui nihil ſcribebant, aliquid ſcripto poſteris reliquiſſent. *Paulus* quidem plus omnibus ſcripſit, attamen ipſe fatetur ſe non omnia quæ tradidit, ſcripſiſſe 1. *Theſſ.* 3. *verſ.* 10. Ad *Timoth.* ſæpè: ſic etiam *Iohannes* in fine Epiſt. 2. & loquitur de Fide.

Reliquæ quas adfert rationes, *Dialogiſta*, ſubindè probant grauiores in Scripturis accidere potuiſſe errores, ex illis quas exponit difficultatibus, ſi ſimul cum ſcriptis non fuiſſent Tradita, adeò vt ſemper hæc per illa, & vicisſim illa per hæc exponi & declarari potuiſſent. Subindè

Digitized by Google

etiam probant Scripturas ſolas ſine Traditionibus non eſſe vnicā regulam Fidei, cum quo conſiſtit ex vtriſq; vnam adæquatā benè conſtitui poſſe, quæ principaliter tribui poteſt Traditionibus, vt alibi etiā oſtēdi ex *Irenæo* & alijs Patribus, nec aliud Deum per Scripturas intendiſſe, & in hoc efficaciter procedit hæc eius doctrina contra quoſcumque Aduerſarios, qui vnicè nituntur Scripturis, neglectis Traditionibus in materia Fidei, contra omnes veteres, & ipſam veritatem (vt ex capitibus præcedentibus patet) & contra eos præcipuè militare intendit *Dialogiſta*, vt ex curſu totius operis conſtat.

In quantùm igitur doctiſsimus *Dialogiſta* præeminentiam aliqualem probat dari Traditionibus, non adeò diſſentio; ſolietatem verò dare nullus poſſum. Concludam igitur cum magno *Auguſtino* c. 29. *De moribus Eccleſiæ Catholicæ.* Contra omnes dubitationes quæ ex imbecillitate, ſiue peruerſitate ingenij humani ſubrêpere poſſunt: *Cōſequetur omnium litterarum ſumma peruerſio, & omnium qui memoriæ mandati ſunt, librorum abolitio: ſi quod tanta populorum religione roboratum eſt, tanta hominum & temporum conſenſione firmatum, in hanc dubitationem adducitur.* Capite etiam 30. ſic loquitur: *Quis non videat eos qui contra Scripturas Chriſtianas hæc audent dicere, vt illud non ſint, quod homines ſuſpicantur; certè tamen eos non eſſe Chriſtianos?*

Hæc liberiùs dixi, non quòd *quicquam*, vt olim *Hieron. Auguſtino* Epiſt. 30. *In ſcriptis tuis vir honorabilis reprehendendum putem; ſed quia juxta Apoſtolum* Rom. 14. *vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundat, alius quidem ſic, alius autem ſic.* Et vt *Paulinus* habet Epiſt. 31. *Hoſtis noſter, cui mille nocendi artes, tàm varijs expugnandus eſt telis, quàm oppugnat inſidijs.* Adjiciam igitur cum eodem *Hieronymo*: *Mihi autem decretum eſt te amare, te ſuſcipere, colere, mirari, tuaque dicta quaſi mea defendere,* &c. Poſtea. *Demus operam vt pernicioſiſſima hæreſis de Eccleſijs auferatur.*

Admiſsis igitur vtrinque, tàm Scripturis, quàm Traditionibus ſecundùm illud Diui *Dyoniſij* de Eccleſ. Hierar. c. 1. *Subſtantia noſtri Sacerdotij Scripturâ ſacrâ eſt nobis diuinitus tradita,* &c. *ac præterea quæq; ab eiſdem ſanctiſſimis viris ſacratiore, & purgatiore & propinqua quodammodo cæleſti hierarchiæ doctrina, ſancti duces ac præceptores noſtri didicerūt,*

ex animo

Digitized by Google

ex animo in animum (medio intercurrente verbo corporali quidem, ſed quod carnis penitus excedat ſenſum) ſine libris transfuſa ſunt, &c. Huic etiam per omnia reſpondet *Auguſtinus* in Epiſt. 118. ad *Ianuarium*, & 2. Retract. 20. c. 5. *Ad hæc ita reſpondeo, Vt quid horum ſit faciendum, ſi diuinæ Scripturæ præſcribit authoritas, non ſit dubitandum, quin ita facere debeamus vt legimus.* Poſtea. *Similiter etiam, ſi quid horum tota per orbem frequentat Eccleſia: nam & hinc quin ita faciendum ſit diſputare, inſolentiſſimæ inſania eſt*, &c.

Benè etiam dicit *Caſtillo* diſp. 13. q. 13. *de Eccleſia* §. *denique optimè. Quamuis Scriptura ſit infallibilis veritatis, quippè dictata à Deo, & omnia quæ habentur in Scriptura ſint de Fide: tamen aliqua ſunt de Fide, quæ non ſunt in Scriptura, ſed habentur per Traditiones diuinas, vel per definitionem Eccleſiæ.* Vel vt rectè *Calotius* de Hierarchia l. 4. c. 5. *In verbum Dei Scriptum & Traditum Propoſitiones omnes credendæ reſoluuntur.* Hic ſtilus omnium quos vidi Catholicorum Scriptorum, licet ſubindè aliqui plus hac in parte tribuant Scripturis, alij plus Traditionibus. Dum verò adæquatum Fidei fontem explicant, vtraque inuoluunt, prout etiam Tridentinum ſeſſ. 4. in Decret. de Canon. Scriptur. *Perſpiciens hanc veritatem & diſciplinam contineri in libris Scriptis, & ſine Scripto Traditionibus, quæ ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ, aut ab ipſis Apoſtolis, Spiritu Sancto dictante, quaſi per manus traditæ, ad nos vſque peruenerunt*, &c

His diuinis fundamentis (vt dixi) ſuppoſitis, procedamus ad illas quas ex his, vel ſuper has, Eccleſia ſubindè ponit Definitiones, vt in Scholis certè vocamus. Hic vtique præcipuè immorandum eſt, & in his tribus, ſcilicet *Scripturis*, *Traditionibus*, & *Conciliaribus Definitionibus* ſunt poſiti termini Fidei noſtræ. Duo priora ſunt fundamenta, tertium continet omnia fundamentalia vt ſuperius docui.

CAPVT

CAPVT XII.

Quomodo concurrit Deus in Concilijs, quomodo etiam poſſunt definire Patres in Concilijs, &, An definitiones ſint eiuſdem authoritatis cum Scripturis vel Traditionibus Diuinis?

1. SIngula quæ in Concilijs tractantur, non ſunt eiuſdem hac in parte conſiderationis. Illa quæ à Theologis hinc & inde agitantur, & ante definitiones examinantur, & tandem non niſi magno labore & rerum & conſequentiarum ſubtili trutinatione, ex diſcurſu longiori & perplexo, ad concluſiones ſtatuendas deuenitur, huiuſmodi omnia ſi tanquam non neceſſaria & errabilia putentur, nihil eſt contra Eccleſiæ infallibilitatem. Nam & de huiuſmodi agens *Auguſtinus* Epiſt. 49. in fine ſolutionis quæſtionis vltimæ, appoſitè dicit, *Sunt innumerabiles* quæſtiones *quæ non ſunt finiendæ*, &c. *Sed planè retenta jam Fide, ad exercendam piam delectationem mentium fidelium ſtudioſiſſimè requirendæ, & quod in eis eluxerit, ſine typho arrogantiæ communicandum, quod autem latuerit, ſine ſalutis diſpendio tolerandum.* Secundũ illud Apoſtoli 1. Cor. 3. *Prædicatio mea non eſt in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis: ſed in oſtenſione Spiritus & virtutis: vt Fides noſtra non ſit in ſapientiâ hominum, ſed in veritate Dei:* vtique quòd Chriſtus & Apoſtoli docuerunt & tradiderunt, non ex Dialecticæ promptuarijs hauriendum eſt, ſed ab ipſis fontibus Fidei certitudo petenda eſt. Hinc in Concilio Vniuerſali ſexto Conſt. (vt notat *Humbertus* contra *Nicetam*) iuſſum eſt, remiſſis diſputationibus Philoſophicis, pacifico colloquio de Fide verâ perquirere, &c. non igitur per argutias Logicales hìc procedendum eſt in iudicio vniuerſalis Synodi, ſed ſimpliciter indaganda eſt: Nam vt appoſitè D. Petrus, *Non indoctas fabulas ſecuti, notam facimus vobis Dei noſtri Ieſu-Chriſti virtutem & præſcientiam*, &c. *Indoctæ* ſanè *fabulæ* reputantur apud Diuinum hunc Apoſtolum, quæ ex Sophiſticis vel in-

certis

Digitized by Google

certis quibuſcumque deriuantur principijs, & conſequenter ad hanc Apoſtolicam Doctrinam optimè dicit *Hieronymus* in Epiſtolâ ad Creſiphontem: *Multi anni ſunt, quòd ab adoleſcentiâ vſque ad hanc ætatem diuerſa ſcripſi opuſcula, ſemper habui ſtudio audientibus loqui, quòd publicè in Eccleſiâ didiceram: Nec Philoſophorum argumenta ſectari, ſed Apoſtolorum ſimplicitati acquieſcere, ſciens illud ſcriptum: Perdam ſapientiam Sapientum, & prudentiam Prudentum reprobabo.* Nec mirùm, nam vt optimè *Baſilius* hom. 3. in Hexameron. *Etenim quantò in caſtis ſibique temperantibus fœminis pulchritudo, eſt meretriciæ præſtabilior, magiſque anteponenda: tantò Fidei noſtræ ſermones præcellunt ad externorum dogmata collati. Iſti namque vi extortam ſuis ſententijs conciliant probabilitatem: hîc ipſa ſola veritas nuda & omni vacua artificio aut impoſturâ, ob oculos præponitur.* Proprium vtique ſempèr erat hæreticorum, vt inſinuat Apoſtolus ad *Coloſ.* 2. πιθανολογίαν adhibere *verba magna & perſuaſibilitatis ſpeciem habentia.* Sed ſecundùm conſilium *Apoſtolicum* & *Hieronymianum* non ſunt quærendæ in materiâ Fidei rationes, quæ ex conjecturâ pendent, quæ diſputationibus huc vel illuc trahuntur, nullam adhibent perſuadendi *neceſſitatem*: ſed vt Geometræ ſolent, qui ſe profitentur non perſuadere, ſed cogere; quia omnia quæ deſcribunt, probant, vel vt locutus eſt *Occhamus* ſuperiùs capite primo, debent eſſe rationes irrefragabiles.

2. Nemo certè exactiùs Conciliorum munus cum omnibus ſuis numeris exarauit, quàm *Baſilius* (quem haud impari gradu inter Græcos, quam *Auguſtinum* apud Latinos veneror) Epiſt. apud Chilonem. *E quibus plurimùm ſpiritualis emolumenti deriuatur in eos ac promanat, quotquot eò ſe conferunt. Illic enim prouerbialium ænigmatum ſenſus, reuelante Spiritu condiſcuntur, Apoſtolicorum Dogmatum illic reſoluuntur nexus & enodantur, illic Euangelicæ ſententiæ explicantur, Theologica auſcultatio aures vſque permeat & quatit audientium, &c.* Nullam hîc aſtruit definiendi poteſtatem niſi in explicatione & enodatione rerum jam ante traditarum. Quæ neceſſaria ſunt ibi condiſcuntur, curioſa ſeu inutilia vel valdè perplexa, nō ibi, præſertim inter ea quæ ſunt Fidei expectanda ſunt.

Digitized by Google

3. Clariſsimè verò ex hâc eius doctrinâ colligitur, Quòd ſi in ipſis Scripturis oriatur difficultas, vel ſi in ipſis Traditionibus deueniat ſcrupulus, adeò, vt lis terminari non poſsit, vel ex hoc, vel illo Capite, vt ſæpius in Eccleſiâ contigit; finaliter ad Concilia vniuerſalia recurrendum eſt, & ibi ſiſtitur firmiſsimè in enodatione rerum occurrentium ad Fidem ſpectantium: non quaſi fidem nouam aſtruere poſſint, ſed antiquam declarare. Vndè *Aug.* c. 5. citatus ad *Voluſianum* expreſsè dicit, Quòd ad ea quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem *non tantâ peruenitur difficultate*: in alijs verò quæ ad Fidem ſpectare poſſunt, ſed non ſunt neceſſaria ad ſalutem, paulò ante dixerat, *Quòd tanta eſt Chriſtianarum profunditas literarum, vt in eis quotidie proficerem, ſi eas ſolas ab ineunte pueritiâ, vſq; ad decrepitam ſenectutem, maximo otio, ſummo ſtudio, meliori ingenio conarer addiſcere*. &c. Sed certè longè abeſt à Chriſtianorum Myſteriorum puritate, perſpicuitate, & Majeſtate, inuolutiſsimas iſtas, nec neceſſarias quæſtiones, ad Fidem ab omnibus tenendam, per conciliares definitiones reducere, quæ non niſi *maximo otio, ſummo ſtudio, meliore ingenio addiſcenda ſunt*. Huiuſmodi tamen deductas concluſiones, *Munimenta* fore Fidei, fatendum eſt: & proindè ex affectu vnitatis & obedientiæ, cum reuerentiâ tractari debent, non tamen inter *fundamenta*, vel *fundamentalia* reputari: ſed potiùs vt de aliâ re agens, loquitur *Cajetanus*, (quem vt Anteſignanum eruditiſsimæ ſcholæ S. Thomæ ſemper veneratus ſum:) *Subtilitates Fidei habendæ ſunt*.

4. Huiuſmodi enim Concilia declarare, ſeu ad vnam partem determinare poſſunt, quæ ſunt conſona vel diſſona Fidei: non verò ex illis Fidem ipſam cudere. Et hæc ſunt quæ vocat *Eraſmus*, tùm alibi, tùm reſponſione de dogmatibus Fidei, Schemata *conflictationum Scholaſticarum*, quæ non admittit inter Fidei concluſiones. Imò multa huiuſmodi ſunt, quæ longè à Fide abſunt, cuius generis aliquot abhinc annis, in & pro cauſâ *Poſæ*, ſub titulo Schematum, vel vt loqui malebãt *Tabularum* & *Syllaborum*, prodierunt argutiæ quædam Scholaſticæ, potiùs pro talibus in Scholarum non leuem jacturam venditæ, quæ miras ineptias de puriſsimâ Virgine aſſeruerunt (alia omittam) nimirùm

rùm *per demonſtrationem mathematicam* (ſi dijs placet) *certos* gratiæ & meritorum *gradus*, aſsignabunt Mariæ *ſupra collectionem plurium millionum millionum mundorum, quorũ ſinguli multò plures haberent Angelos & juſtos Beatos, quam de facto erunt: atq; id certiſsimum eſt, etiamſi gradus gratiæ heterogenei eſſent, & etiamſi menſura vltimæ gratiæ Angelorum & Iuſtorum ignoretur, & etiamſi Angelorum & Beatorum numerus nobis ſit incognitus.* Qui *Tabulas* diligentiùs perlegerit, multa huiuſmodi inueniet, quæ inordinatam, & (ne quid grauiùs dicam) infructuoſam ſapiunt curioſitatem, in quibus plus conteritur temporis, quàm acquiritur fructus, quinimmò ſacra Scholarum ſtudia ludibrio ſectariorum exponunt, dum inter Sacroſanctæ Fidei myſteria talia definiri vident. De huiuſmodi ſic loquitur *Aug.* in Enchyr. ad *Laurent.* c. 59. *Quid opus eſt, vt affirmentur, vel negentur, vel definiantur cum diſcrimine, quæ ſine diſcrimine neſciuntur?* Futilia illa abominantur veteres, & olim Hæreticorum; nuſpiam Catholicorum, mos erat talia inter Fidei myſteria interſerere, ſecundùm illud Irænei, l. 2. c. 19. *Minutiloquium & ſubtilitatem circa quæſtiones, cùm ſit Ariſtotelicum, inferre Fidei conantur.* Et ideò *Baſilius* hom. 1. in Hexameron huiuſmodi curioſiores rerum perſcrutationes diſſuadens, dicit: *Curioſiùs ne perſcrutemini, neu vos ipſos ratiocinationum argutiolis deteratis, aut inaniter maceretis, in ipſo perquirendi ſubiecto,* &c. Eſt profectò nos ipſos inaniter macerare, in his minutijs diutiùs commorari: & vt ipſe ibidem, *Hoc enim pacto mens vertigine velut facta perturbabitur, ad nullum certum ſanè finem ratiocinatione tuâ proficiente.* Sed iſtis miſsis redeam ad *Eraſmi* gradationem in materiâ Fidei. Inſuper dicit, *Articulos Fidei voco certos & indubitatos, expreſſos in Symbolis, quæ publicè recitat & canit Eccleſia: de quibus nulli fas eſt hæſitare, quæq; propriè & vſitatè dicuntur Articuli Fidei. Sunt enim Articuli Scholaſtici, quemadmodum ſunt Hæreſes.* Hæc ille. Poſteà in eadem reſponſione de eâdem materiâ agens dicit. *Sunt errores leuiculi & negligendi: ſunt grauiores qui merentur durius remedium, ſed citra Capitis pœnam: ſunt grauiſsimi quibus debetur pœna Capitis. Pro medijs illis nego me quemquam velle occidere, profitens animum meum, non adimens alijs ius dicẽdi quod velint.* Sic ille ponit grabus rerum credendarum; vbi obſeruan-

dum eſt, quòd hæc eius reſponſio ad ſummum Inquiſitionis Iudicem, directa & acceptata fuit in Hiſpaniâ. Alia eius opera de quibus tunc & poſtea inter viros doctos erat difficultas, an eſſent Catholicæ veritati conſona, non cito, ne paruulos offendam.

5. Obſeruãdum etiam, Quòd per *medios errores* intelligit manifeſtè errores contra Articulos, quos vocat *Scholaſticorum*, ſeu qui non neceſſariò & patẽter eruantur ex ipſis Fidei articulis ſcriptis vel traditis. Huiuſmodi etiam errores agnouit *Auguſtinus* ſuper Geneſim c. 2. *Nunc autem ſeruata ſemper moderatione piæ grauitatis, nihil credere de re obſcura temerè debemus: ne fortè quod poſtea veritas patefecerit, quamuis libris ſiue Teſtamenti veteris, ſiue noui nullo modo eſſe poſſit aduerſum, tamen propter amorem noſtri erroris oderimus.* Sunt igitur errores etiam cauendi, licet nec libris veteris, vel noui Teſtamenti fuerint, vel eſſe potuerint aduerſi, ſecundùm *Auguſtinum*. Eccleſia tamen in Concilijs vniuerſalibus pro pace ſtabilienda poteſt præcipere etiam ſub Excõmunicatione (vt frequenter in vſu eſt) vt veritatibus ijs oppoſitis adhæreatur, ſaltem quòd non contradicant vel opponant fideles. Et eius aliqui Doctores moderni duplicem diſtinguũt in Eccleſiaſticis definitionibus infallibitatem. Prima *perfecta & abſoluta eſt, & ſpectat ad articulorum Fidei traditionem, id eſt, articulorum reuelatorum, quæq; diuinam reuelationem tanquam obiectum formale eſſentialiter vendicant. Secunda eſt Canonica; id eſt, articulorum ab Eccleſia definitorum, quorum nulla habetur reuelationis diuinæ vniuerſalis traditio. Quæ tamen talis eſt conditionis & naturæ vt omnes Eccleſiæ ſubditi & membra hiſce teneantur ſubſcribere & obedire definitionibus.* Hæc ad verbum in *Reſolutionibus*, quas vidi cuiuſdam Doctoris Pariſienſis. Rectè ſanè dicit *Caſtillo* Diſp. 15. De authoritate Conciliorum 5. §. *Etſi aliquis quærat quodnam erit ſignum, vt dignoſcamus quæ in Concilijs continentur tanquam de Fide, reſpondet Canus* l. 5. c. 5. q. 3. *non eſſe ſufficiens ſignum ad hoc dignoſcendum, quod in Concilio ponatur pœna Excommunicationis. Ratio eſt quia hæc pœna non ſolum ponitur contra aſſerentes propoſitiones hæreticas, ſed contra aſſerentes propoſitiones temerarias & erroneas.* Deinde non ſolum Concilia vniuerſalia; ſed etiam Prouincialia frequenter anathemate percutiunt non amplexantes eorum de-

Digitized by Google

ereta, vt in ſexcentis patet. Vnum *Gangrenſe* luculentum dabit Teſtimonium de alijs, anathematizandi etiàm extra materiam Fidei; Et in his anathematizationibus, rectè dicitur *Extra* de *Sen. Excomm.* c. *A nobis*: quòd *Eccleſia militans fallit & fallitur.* Hoc eſt, quòd poteſt falli & fallere: quia in his non conſtat de promiſſo diuino. Vndè *Aug. de verâ religione* c. 7. *Sæpè etiam ſinit Diuina Prouidentia per nonnullas nimium turbulentas carnalium hominum ſeditiones, expelli de congregatione Chriſtiana, etiam bonos viros: quàm contumeliam vel iniuriam cum patientiſſimè pro Eccleſiæ pace tulerint, neque vllas nouitates vel hæreſis, vel ſchiſmatis moliti fuerint, docebunt homines, quā vero effectu & quanta ſinceritate Charitatis, Deo ſeruiendum ſit,* &c. *Sine vlla conuenticulorum ſegregatione vſque ad mortem defendentes, & teſtimonio juuantes eam Fidem, quam in Eccleſiâ Catholicâ ſeruari ſciunt. Hos coronat in occulto Pater, in occulto vidēs. Rarum hoc videtur genus, ſed tamen exempla non deſunt: imò plura ſunt quàm credi poteſt. Ita omnibus generibus hominum; & exemplorum ad animarum curationem, & ad inſtitutionem ſpiritualis populi vtitur diuina Prouidentia.* In Epiſt. 137. dicit: *Quid enim obeſt homini, quod ex illâ tabulâ non vult eum recitari* (loquitur de diſpoſitione Sacerdotis) *humana ignorantia, ſi de libro viuorum non eum delet iniqua Conſcientia.* Hæc *Aug.*

Non igitur mox hæreſeos inſimulari poſſunt propter illa anathemata, niſi publicus Eccleſiæ conſenſus confirmarit; quòd de Prouincialibus haud vnquam præſumendum eſt, cùm difficulter ſingulis Eccleſiæ partibus innoteſcere poſſunt, niſi per accidens: prout in causâ *Pelagij*, quando vbiuis ferè terrarum, Synodi celebrabantur, ad eius Hæreſim extirpandam ſine coactione Concilij Generalis. Quandocumq; verò fuerit conſenſus vniuerſalis, tunc ſine omni dubio, ſi *reluctetur* priuata vel particularis aliqua perſona ad *pacem Eccleſiarum turbandam* etiam in rebus leuioribus ſeu in prætactis, quæ vt dixi non ſunt ſimpliciter Fidei, verè anathemati ſubijcietur, & tanquam Ethnicus habendus eſt. Nec putem quod anathemata Conciliaria aliud volunt, quàm poſt Eccleſiæ vniuerſalis admiſsionem *reluctantes* percellere, *vel ſtantibus communiter præſumptis*, vt loquitur *Cajetanus* inferius.

6. Deinde quòd Concilia etiam vniuerſalia non volunt ſua anathe-

Digitized by Google

mata, pro more ſuis decretis annexa, literaliter ſemper intelligi, ſed ſubinde cum grano ſalis, vt loquuntur: patet ex hoc quod ſexcenties cum dicitur: *Anathema igitur in non credentes hoc vel illud definitum:* non eſt iudicium & punitio huius aut illius pro illo crimine interno; ſed eſt declaratio quod hoc vel illud ſit Fide credendum, ſub pœna maledictionis diuinæ in infideles. Vel eſt iudicium ſubſumptum ex illo Chriſti: *Qui non credit, iam iudicatus eſt*: & qui non credit, condamnabitur: & determinans hoc eſſe credendum, aut incidendum in illud Dei iudicium. *Qui non crediderit*, &c. Anathema adjungitur. Cùm tamen ipſis Patribus Doctiſsimis notiſsimum ſit, Eccleſiam non poſſe punire actus internos, & præſertim propter eos pœnam illam longè grauiſſimam infligere: nam humana juriſdictio non poteſt ferre leges de actibus, de quibus non poteſt iudicare, & ideò dixit Pontifex, *Nobis ſolum datum de manifeſto iudicare*, patet in c. *ſicut tuis & tua nos*. De ſimon. & habetur l. Cogitationis 18. ff. *de pœnis Cogitationis pœnam nemo meretur*, ibi gloſſa addit, *ſi intra cogitationis terminos ſiſtatur*. Cap. *Erubeſcant*, d. 32. *Deus ſecretorum Cognitor & Iudex eſt*. Vndè eſt Axioma iuris, *Non habent latentia peccata vindictam*. Etiam ex *Auguſtino* l. de lib. arbit. c. 5. approbante, quod *Euodius* dixit: *Legem humanam ſolum vindicare quæ ſatis ſint ad conciliandam pacem hominibus*. Optimè etiam hoc proſequitur *Aug*. Epiſt. 136. & 137. in cauſa cuiuſdam *Bonifacij* Sacerdotis accuſati de ſtupro, & poſt multa dicit: *Illud Apoſtoli recordamini, vbi ait, Nolite ante tempus judicare quicquam, donec veniat Dominus, & illuminet abſcondita tenebrarum, & manifeſtet cogitationes Cordium*, &c. Poſtea. *Quæ manifeſta ſunt vobis, quæ autem occulta ſunt Domino Deo veſtro*. Tandem, C. *Mandamus* Papa declarat Symoniacos mentales .i. ſine facto externo recipientes vel dantes ſpiritualia pro temporali, non eſſe excommunicatos, nec incurrere alias pœnas iuris. Res obuia eſt inter Doctores, Anathema igitur, &c. Redeamus ad priora.

7. Ratio igitur prioris dicti eſt, quòd huiuſmodi elaboratæ diſquiſitiones, ad ſummum non inferunt niſi Concluſiones Theologicas, quæ in iudicio ferè omnium Scholarum non ſunt veritates de Fide tenendæ

in quan-

Digitized by Google

in quantùm tales ſunt, hoc addo, quia ſi vi conſequentiæ clarè & omninò neceſſariò ex præmiſſis Traditis vel Scriptis inferantur: tum de Fide ſunt, ſaltem quoad rem; licet non quoad modum, ſecundùm ferè omnes Orthodoxos: quia non nouâ, ſed antiqua ſcilicet eadem nituntur reuelatione, qua ipſa Scripta vel Tradita, ſcilicet quando falſitas eorum in Scripturarum vel Traditionum falſitatem redundaret, ſeu quando habent rationem vnius conceptus. Nam tunc verum eſt quod dicit Philoſophus 2. prior. *Quicunq; opinantur aliquod antecedens, & quodlibet ejus conſequens ſimiliter opinantur.* Secundò etiam Top. dicit: *Omnis qui dixit quidlibet, quodămodo multa dixit, eoquod plura, ſunt vnumquodq; ex neceſſitate conſequentia,* vt dicturus ſum. Et huiuſmodi Eccleſia infallibiliter definire poteſt, vt etiam egregiè his verbis declarat Doctor *Subtilis* 4. d. 5. q. 1. diſtinguens & declarans ordinem credendorum. *Alia ſunt quæ nec neceſſario ſunt explicitè credenda ab iſtis, nec ab illis: quia non adhuc illorum veritas eſt declarata & determinata per Eccleſiam, v.g. Multæ concluſiones neceſſariò incluſæ in articulis creditis, ſed antequam ſunt per Eccleſiam declaratæ & explicatæ, non oportet quemcumq; eas credere: oportet tamen circà eos ſobriè opinari, vt ſcilicet homo ſit paratus eas tenere pro tempore pro quo veritas fuerit declarata.* Huiuſmodi igitur veritates propriè vocantur *Eccleſiæ* ſeu Conciliares *definitiones*, & vt dixi ſunt infallibiles, quippè *Fundamentalia* Fidei ſunt, reſurgentia ſeu pullulantia ex ipſis Fidei fundamentis, Scripturis ſcilicet vel Traditionibus. Et in illis vt dixi planè ſiſtitur Fides noſtra, nec Eccleſia ſuperaddendo definitiones aliquid *innouat*, ſed vetera cum iſtis identificata explicat, vt ſemper loquitur *Vincentius Lerinenſis*; *Innouare nempè ſemper erit proprium Hæreticorum.* Contra quorum Innouationes inuehens *Petrus Chryſologus*, tum alibi, tum Serm. 145. hoc protulit Oraculum æternæ memoriæ dignum. *Humanæ Leges infra triginta annos litigioſas omnes interimunt quæſtiones, & Chriſtus circà quingentos annos Natiuitatis ſuæ cauſus præſtat: ortus ſui lites patitur, ſtatus ſui ſuſtinet quæſtiones? Hæretice deſine iudicare Iudicē tuum, & adora in cælis Deum, quem Deum Magus adorauit in terris.* Hæc eius dicta ad alias materias ab Hæreticis in dubium vocatas inſeruiunt. Sed procedam.

8. Dicen-

8. Dicendum verò eſt, quòd Eccleſiæ definitiones non eodem prorſus authoritatis gradu pollent cum ipſis Scripturis, & Apoſtolorum Traditis: cùm non immediatè diuinæ nitatur reuelationi. Et in hoc ſenſu dicit *Athanaſius* de Synodis *Arimini & Seleuciæ* in Epiſt. ad Orthodox. in nomine Catholicorum agens contra Arrianos. *Fruſtra igitur circumcurſitantes prætexunt, ob Fidem, Synodos ſeſe poſtulare, cùm ſit Diuina Scriptura omnibus potentior.* Optimè verò *Abulenſis* q. 2. præfationis in libros Paralipomenon, *licet Deus in omnibus dictis ſuis æqualiter ſe habeat ad non poſſe mentiri, & ideò impoßibile ſit, quòd in aliquo libro Sacræ Scripturæ mendacium contineatur: quidam tamen libri majoris ſunt authoritatis, quam alij: ſicut Euangelia majoris authoritatis ſunt, quàm cæteri libri Teſtamenti noui, nempè ob authorem, eoquod illa ſunt verba Chriſti, & alia ſunt verba Apoſtolorum, ſic etiam in veteri Teſtamento, libri Moſis, majoris authoritatis ſunt quàm cæteri, quia à Moyſe ſcripta ſunt, cui nullus fuit æqualis Propheta,* &c. Ex his apparet, quòd tàm in nouo, quàm in veteri Teſtamento ſunt ordines librorum, per quos cognoſcimus eorum majorem vel minorem authoritatem. Imò aliqui veteres tàm accuratè in hoc egerunt, quòd licet omnes libros credebāt Canonicos, aliquos tamen Protocanonicos vocitarunt. Sic etiam ipſe Chriſtus Ioan. 5. 36. *Ego habeo teſtimoniū majus Ioanne* & Mat. 12. 41. *Pluſquam Ionas hic* & v. 42. ſic de *Salomone*: licet teſtimoninm *Iohannis, Ionæ,* & *Salomonis* erant infallibilia, præferenda tamen Chriſti prædicatio. Quantò igitur magis concedendum eſt diuinum hunc ordinē interuenire, in immediatè & clarè à Deo per ſeipſum, vel per Prophetas & Apoſtolos reuelatis, & alijs per Eccleſiam ex priùs reuelatis hodie declarandis. Manifeſtè proindè conuincitur falſitatis, quòd à recentioribus quibuſdam inculcatur, veterem nimirùm reuelationem & nouam Eccleſiæ declarationem ſimpliciter & ſine vllâ prorſus reſtrictione paris eſſe authoritatis & certitudinis, & pari ratione ad formale obiectum Fidei pertinere; nam *propter quod vnumquodq; eſt tale & illud magis*, vt in Scholis Logicorum per quam notiſſimum eſt. Definitiones verò Eccleſiæ, ideò tantæ (quâ pollent) authoritatis ſunt, ob veteres reuelationes, quibus inniti debent, vt ſint veræ & infallibiles,

Digitized by Google

les, ſecundùm omnes antiquos Theologos. Addunt quòd definitiones Eccleſiæ, imò ipſam Eccleſiam poſſe infallibiliter definire, inter credenda numerētur, hoc eſt, ſint materia quædam decreta & ſimul regula credendi cæteras regulas. Ratio verò formalis credendi diſtinguitur ab ipſis creditis vel credendis, imò facit ea credibilia; non igitur pari ratione ad formale obiectum Fidei pertinent. Imò loquendo de intrinſecâ eius ratione, nullo modo ad illud pertinent, ſed ſupponunt: vndè & alibi notaui, homo poteſt Catholicus conſtitui (licet non ſecundum viam ordinariam à Diuinâ Prouidentiâ conſtitutam) qui nunquam audierit de Eccleſiâ in terminis explicitis, ſicut patet de Eunucho, cui nihil dixit *Philippus* de Eccleſia: licet communiter loquendo, vel (vt loquuntur Philoſophi) agendo de ijs quæ *vt plurimùm* accidunt, dicendum ſit teſtimonium Eccleſiæ concurrere ad actum Fidei, ſub ratione conditionis ſaltem externæ, vel modi obiecti formalis, & eo modo complere ipſam diuinam reuelationem: v.g. creditur communiter Deum eſſe Trinum, propter reuelationes in Scripturis habitas, & per Eccleſiam vt tales nobis propoſitas: & ſic de multis alijs veritatibus hodiè creditis, in quibus ipſa propoſitio ſeu declaratio Eccleſiæ requiritur in ordine ad nos, tanquam conditio applicans vel explicans reuelationes illas antiquas: imò loquendo vt dixi, in ordine ad nos, & non Metaphyſicè, ſeu ſecundùm Metaphyſicas abſtractiones, ſed ſecundùm rem ipſam, rectè poſſumus terminare actus Fidei in ipſam Eccleſiam, hoc eſt, quòd credimus reliquis propter Eccleſiam, &c. & hoc eſt quod egregiè dicit *Auguſtinus* c. 16. *De vtilitate credendi. Ab ipſo Deo authoritatem aliquam conſtitutam, qua velut gradu certo innitentes attollamur in Deum.* Inniti ergò poſſumus tutiſsimè authoritate Eccleſiæ ſecundùm *Aug.* nam de hâc ibi agit, vel vt loquitur Ep. 58. de Fidelibus tractans, *vt non recedant, regulam Fidei puſillis magniſq; communem in Eccleſiâ perſeueranter tenent, & in quod peruenerunt, in eo ambulant,* &c. *Non quòd authoritatem ratio penitùs deſerit, cùm conſideratur cui ſit credendum, & certè ſumma eſt ipſius jam cognitæ atque perſpicuæ veritatis authoritas.* Eleganter ille de verâ Religione l. vno c. 23. Non igitur ſine ratione creditur propter authoritatem Eccleſiæ, per quam

Q deuenitur

Digitized by Google

deuenitur ad ipſam perſpicuam veritatem quæ creditur, cuius ſumma eſt authoritas. Dicimur verò credere propter Eccleſiam, quia ipſa eſt *regula Fidei*, ſecundùm *Auguſtinum*. Sunt etiàm aliæ Fidei regulæ, nimirùm quicquid demonſtrat aliud eſſe credendum, vt reuelatum implicitè vel explicitè: ſic Scripturæ ſæpè ſunt Principia demonſtrationum Theologicarum in rebus Fidei. Summa igitur eſt, quòd tutò creditur Eccleſiæ: & hoc ſiue de Apoſtolicâ, ſiue de ſuccedaneâ vſque ad finem ſæculi intelligatur. Nam vt optimè *Roffenſis* ad Art. 29. *Lutheri: Vtcunq; fuerint ij, qui jam ſunt in Eccleſiâ, minores Apoſtolis, eadem nihilominus Eccleſia jam eſſe creditur, quæ tunc fuerat, nimirùm Apoſtolorum temporibus, paremque vtrobiq; ſortita poteſtatem*, &c. Quod vlteriùs ibi proſequitur.

9. Dico igitur quòd rationabiliùs & ſapientiùs eſt, etiam reſpectu doctiſsimorum & acutiſsimorum hominum, Authoritati Eccleſiæ, quàm ratiunculis noſtris licet apparentiſsimis adhærere, ſecundùm illud longè acutiſsimi *Auguſt*. l. de quantitate animæ c. 7. *Homines, quorum profectò maxima altitudo eſt, ſi ratione velint verum comprehendere, ſimilitudinibus rationum facillimè decipiuntur & in varias noxiaſq; opiniones ita labuntur, vt emergere indè ac liberari, aut nunquam, aut ægerrimè queant. His ergò vtiliſsimum eſt excellentiſsimæ Authoritati credere*, &c. Aduertat hîc Lector eruditus, licet differẽtiam jure maximo ponam inter reuelationes primæuas, & præſentes Eccleſiæ declarationes, in ordine ad ipſum Fidei objectum formale: nullo tamen modo intelligi volo, quòd temporales reuelationes, quales iſtæ veteres fuerunt, eſſent ipſa ratio formalis, vt etiam notat Doctor *Subtilis* ſæpiùs citatus; quia nec ſunt Deus, nec increatæ Dei perfectiones, ſed ſunt conditiones, ſeu rationes applicantes veracitatem Dei, &c. Sicut nec ipſa Scriptura, prout eſt *verbum* Dei, eſt ipſe Deus. Et ideò quando Catholici Doctores dicunt nos credere veritatibus Fidei, *Quia Deus dixit*: non intelligunt, de ratione formali, propriè loquendo: ſed de temporali ſigno diuinæ authoritatis, nec aliud genus cauſæ neceſſariò intelligitur per illud *quia*, vt facilè colligi poteſt ex eis, quæ dixi ex Philoſopho c. 7. Cum hoc tamen benè conſiſtit, definitiones Eccleſiæ, vt dixi remotiùs

motiùs referri ad ipſum obiectum, quàm reuelationes illas immediatè factas Prophetis & Apoſtolis, nec ſimpliciter eſſe verbum Dei, vt illæ ſunt.

Hæc veritas mihi videtur pateſcere ex ipſis terminis. Quomodo enim poteſt eſſe verbum Dei, quod non immediatè dicitur, ſeu reuelatur à Deo, licet eò reduci debeat in quantùm ſequitur ex illis? Sed redeamus.

Hactenus de clare & neceſſariò ex reuelatìs illatis vel inferendis egimus veritatibus, & de illis dictum eſt, eſſe infallibilis authoritatis: licet non in eodem authoritatis gradu cum ipſis immediatè reuelatis.

10. *Sed ſi petatur quanta euidentia & neceſsitas in hac materia requiratur*: dici poteſt valdè probabiliter, quòd ſi auditis præmiſsis, rectè *intelligenti* & *expendenti* terminos non innoteſcat neceſsitas concluſionis; de Fide non ſunt, nec eſſe poſſunt ſine noua reuelatione, quæ non conceditur.

Ratio huius eſt, quia (vt aliquoties dixi & dicturus ſum) requiritur ad hoc vt aliqua propoſitio declaretur de Fide, quòd Concluſio declaranda à parte rei identitatem habeat cum prius reuelatis: vel vt ante dixi, quòd habeat rationem vnius conceptus cum illis: alias antiqua reuelatio eam non poteſt attingere, & per cõſequens nec illa poteſt infallibiter declarari de Fide. Quo ſuppoſito, ſequitur euidẽtiam ex terminis rectè intellectis & expenſis etiam prærequiri, vt facilè: niſi fallor, lector iudicabit: quomodo enim poteſt eſſe illa identitas conceptuum obiectiuorum, & non perſpici à rectè intelligentibus & expendentibus terminos?

Vlterior etiam huius ratio eſſe poteſt. Quia omnis propoſitio certa præſertim certitudine quæ ad Fidem ſpectat, vel debet eſſe talis propter veracitatem reuelantis: nimirum quia à Deo immediatè reuelatur, & hoc ſupponitur non eſſe in căſu, quia nec habetur in Scripturis & indubitatis Traditionibus: vt etiam ſupponitur, quia de his nemo Chriſtianus dubitat, vel igitur eſt certa ob manifeſtam terminorum connexionem, ſcilicet in ſe immediatè: & hoc non, quia huiuſmodi ſunt conceptiones ſolum quas vocant communes, & ſimpliciter de

Digitized by Google

genere naturalium ſunt propoſitionum, de quibus hîc non agitur. Demum igitur certitudinem immediatam habere debet ex cauſis ſuis vt loquuntur Logici, nempè ex medio non probabili ſed certo, adeò vt concluſio inferatur certa ex certo medio, nempè demonſtratiuo, vel ipſi (ſi datur) pro ratione materiæ, æquiualenti: & tunc illud ad genus ſupernaturalium veritatum per Syllogiſmum applicatum, Fidem generabit, vel propoſitionem ad Fidem pertinentem dabit, nempè ob veracitatem reuelantis, cui in ſuis principijs nititur, licet per medium illud immediatè inferatur: nam vt rectè dicit *Smiſings* noſter quæſt. 1. Proem. n. 22. diſcurſus ille Theologicus ex ordinatione diuina requiritur, vt conditio hac in parte neceſſaria & ordinaria, ſeu, vt loquitur ille: *Præcedit diſcurſus tanquam conditio quam Deus modo ordinario prærequirit*, &c.

Non poteſt verò ſic demonſtratiuè inferri aliqua veritas Fidei, niſi totus Syllogiſmus ex neceſſarijs conſtet, vt etiam omnes Logici norunt. Si vel vnica igitur ſolùm fuerit probabilis propoſitio, concluſio ſemper debiliorem ſequens, & ipſa probabilis erit. Nam vt rectè *Proclus* in Alcibiadem *Platonis* primum: *Periti in Dialecticis dicere ſolent, etiamſi quis decies mille propoſitionibus neceſſarijs vſus fuerit, vnicam verò interjecerit contingentem, concluſionem omninò deteriori ſimilem euaſuram.*

Deinde, ipſa conſequentia ſeu connexio conſequentis ad præmiſſas neceſſarias debet eſſe neceſſaria: nempè quia connexio illa eſt effectus medij, & ideò non poteſt non eſſe neceſſaria, hoc eſt, non poteſt non ſequi conſequens, ſuppoſito & applicato illiuſmodi medio neceſſario. Imò non poteſt non patere neceſsitas conſequentiæ rectè expendenti terminos præmiſſarum: tanta eſt vis Syllogiſmi demonſtratiui, vel vt dixi ipſi æquiualentis, quæ in hâc materiâ requiritur; nam vt dictum eſt, ex locis Dialecticis ſeu probabilibus in materia Fidei nihil concludi poteſt certum, & ideò à fortiori non infallibile propter eandem rationem. Vnde *Athanagoras* de *Reſurrectione mortuorum*, oſtendens qualis & quanta probatio in huiuſmodi materijs exigenda ſit: dicit: *Demonſtratio* vera *minimè erroneam dictis Fidem adſtruit, quæ non forinſecus alicunde exordium habet, aut ex aliquorum opinionibus aut placitis exoritur,*

ſed quæ

ſed quæ ex communi intellectu ſurgit, aut ex poſteriorum ad priora conſequio elicitur. Eſt enim illa vel de primis placitis, vel de ijs quæ ſolâ admonitione naturalem intellectum commouent & expergefaciunt, vel quæ naturaliter primis in comitatu adhærent, naturaliſque conſequentiæ ſunt, &c. Eodem fermè modoloquuntur poſteriores Dialectici ſecundùm principium Peripateticorum. Duo enim tantummodò admittunt demonſtrandi principia, θέσιν & ἀξίωμα vt vocant: poſterius eſt clarius atque euidentius, ſcilicet ad commune judicium popularemque intelligentiam accommodatum, vt neminem prorſus latere, quin ſtatim ab omnibus ex ſe propter ſuam perſpicuitatem cognoſci, aſſenſionem captare & retinere poſsit, vt, *Totum eſt majus ſingulis partibus*. θέσις verò paulò minùs aperta atque manifeſta, & doctis tantùm, atque *intelligentibus* perſpecta & explorata, vt, *Luna interpoſita terræ deficit.* Sic in concluſionibus de Fide agendum eſt, nempè declarare oportet, quòd *primis in Comitatu adhæreant, & naturalis*, hoc eſt, neceſſariæ ſint conſequentiæ; ſeu, quòd deducantur legitimè ex principijs notiſsimis ἀξιώματος vel ſaltem θέσεως, adeò vt ſemper intelligentibus terminos pateat neceſsitas concluſionis. Quòd etiam ſic oſtenditur.

11. Nullus Articulus deductus per conſequentiam fallibilem poteſt eſſe articulus Fidei, ſecundùm omnes tàm Orthodoxos, quàm Heterogeneos. Sed conſequentia probabilis eſt fallibilis: vel ſic. Omnis Articulus per conſequentiam probabilem, eſt deductus per conſequentiam fallibilem. Ergò nullus talis eſt, vel poteſt eſſe articulus Fidei. Diſcurſus videtur euidens.

Imò multi Theologi tenent nullas veritates, quæ per conſequentias licet euidentes & neceſſarias deducuntur, eſſe Articulos Fidei, quinimmò aliqui putant liberũ eſſe ſingulis eas negare vel affirmare. Et ideò acutiſsimè docet *Franciſcus Syluius* in 2. 2. D. Tho. q. 11. a. 1. *De illis verò, quæ per neceſſariam & euidentem conſequentiam ſequuntur ex aliquâ propoſitione Fidei, cuiuſmodi ſunt Concluſiones Theologicæ; dicendum eſt, quòd non ſint propoſitiones per ſe & immediatè ad Fidem pertinentes, quòd illas pertinaciter negans non ſit cenſendus Hæreticus, niſi adeò pertinaciter perſeueret, vt ab ipſo errore non recedat, etiam viſo quid ex hoc*

 ſequatur,

Digitized by Google

ſequatur, vt B. Tho. loquitur dictâ lect. 4. in c. 11. prioris ad Corinth. Neque refert quòd ex oppoſito conſequentis ſequatur oppoſitum antecedentis: poteſt enim non pertractatis præmiſſis negari conſequentia etiam euidentiſsima ſine hæreſi.

Dices hoc verum eſſe, loquendo de deductione Conſequentiarum facta per hunc vel illum, vel plures Doctores; vt ſingulares perſonæ ſunt, quia vt ſic, fallibiles ſunt in judicijs & conſequentijs, & conſenſus ex diſcurſu quocumque & quorumcumque, quatenus diſcurſus eſt, non eſt ſimpliciter certus. Et hinc infinitæ ſunt inſtantiæ concluſionum, quæ in vno ſæculo certiſsimè & neceſſariò ex neceſſarijs principijs deductæ videbantur, poſteà verò ſucceſſu temporis falſæ judicabantur, & è conuerſo, aliæ in priori ſæculo reijciuntur, & in poſteriori primas obtinent. Secundùm illud Philoſophi de Cælo. l. 1. ſum. 6. text. 22. *Non ſemel nec bis, ſed infinitiès oportet putare eaſdem opiniones aduenire ad nos.* Idem etiam habet 1. Meteorologicorum. Conſimile apud *Platonem in Cratylo.* Et certè in ſcholis ſunt infinitæ inſtantiæ, non ſolùm in materijs Philoſophicis, ſed Diuinis, v. g. Communis erat opinio tempore *Couarruuiæ* (etiàm hoc exactè declarat *Scotus*, De perfectione ſtatuum, & *Mayronius* in ſuis ſæculis, & ante vtroſque *Rogerius* noſter *Baconus* contemporaneus Diuo *Thomæ* in ſuo opere tertio ad *Clementem* Papam omninò aſſerit & declarat c. 14. in corpore fusè) *Papam ex Chriſti Inſtitutione pleniſſimam habere in vniuerſum orbem Iuriſdictionem temporalem*, *eamque in Imperatores & reges transfudiſſe*, adeo, *vt habeat toti mundo dominari*, *& omnia regna diſponere*, &c. ſic *Baconus*. Imò aliqui contendebant oppoſitum eſſe hæreticum, quod tamen hoc ſæculum in Scholis non fert, vt ſatis colligitur, ex *Suareſio, Bellarmino* & alijs. Imò nec ipſa Sancta Sedes hoc permitteret. Sexcentæ dari poſſunt aliæ inſtantiæ. Familiare etiam eſt, quod Syllogiſticus aliquis diſcurſus huic videatur demonſtratiuus, alteri haud probabilis: imò eidem perſonæ nunc videtur certus & aliquantò poſt habetur incertiſsimus; hoc quotidiè experimur in nobis ipſis.

Auguſtinus diſcutiens in l. 2. *de lib. arbit.* Quomodo inueniri poteſt Deus: poſt multa ſubtiliter inuenta tanquam aliud agens, confirmat quod

quod iam diximus: dicit enim, quòd noſtræ mentes ſunt mutabiles, quia aliquando vident, &c. aliquando minus vident quam debent, &c. hæc dicimus & *iudicamus per veritatem quæ eſt communis, immutabilis & æterna, ergo Deus.* Non poſſumus igitur adhærere noſtris cõceptibus, vel diſcurſibus, quandoquidem veniunt à noſtris mentibus, quæ ſunt mutabiles, nunc minùs vident, nunc minùs rectè vident, &c. Sed de ipſis conceptibus & etiam diſcurſibus iudicamus per veritatem communem, quæ ſcilicet proponitur per Eccleſiam, cui ſemper adeſt *lumen publicum & ſecretum.* (vt loquitur ipſe) & miris modis operatur in ea. Quando igitur de Fide agitur, non ex noſtris opinionibus depromimus, quæ mutabiles ſunt, ſecundùm illud *Baſilij* Epiſt. 60. Eccleſiæ Antiochenæ. *Fidem nos neq; recentiorem ab alijs conſcriptam acceptamus, neq; ipſi mentis noſtræ fœtus alijs obtrudere audemus; ne humana putentur pietatis verba, ſed quæ à ſanctis Patribus edocti ſumus, in nos interrogãtibus annunciamus,* &c.

12. Notandum verò eſt Concilia Generalia ſolere per conſequentias deducere concluſiones de Fide, tàm ex Scripturis, quàm articulis certò & vniuerſim Traditis: & in huiuſmodi Chriſtus promiſit *Aſſiſtentiam infallibilem* Eccleſiæ, ratione cuius errare non poteſt, proponendo verum ſenſum Scripturæ, & id quod ex ea neceſſariò ſequitur, & eodem modo in Traditionibus, propter identitatem ſcilicet objectorum in prius reuelatis, & iam per Eccleſiam declaratis. Nam illa identitas per diſcurſum explicata ſemper requiritur; vt iterùm dicturus ſum. Concluſiones ergo prædictæ non ſunt de Fide, propter humanum illum diſcurſum, licet euidens appareat, falſitati enim ſemper ſubiectus eſt; ſed certitudo Fidei creditur ex infallibili Chriſti aſſiſtentia, in deducendo per legitimas & neceſſarias cõcluſiones illas, adeò vt veritas propoſitionis, quæ eſt ſubiectiuè in intellectu & cauſaliter in rebus ipſis orationi ſubiectis, depẽdeat à cõformitate eius ſeu idẽtitate eius ad objectum, & euidentia veritatis ex euidentiâ conformitatis ſeu identitatis. Infallibilitas verò ex ſupernaturalitate iſtius auxilij. Vndè manifeſtum eſt quòd Deus per ſuum concurſum non facit illam conformitatem, ſeu identitatem, vel euidentiam identitatis, ſed illa

priùs

Digitized by Google

priùs habentur ex ipſis obiectis per diſcurſum: quod vel ex hoc patet, vt etiam alibi notaui, quòd Patres non experiuntur ſe ſapientiores, ſeu ſubtiliores ad inueniendum vel ſpeculandum naturas rerum in Concilijs, quam ante: licet vt verum fatear, *D. Aug.* in lib. 7. *de baptiſmo* c. 53. poſt multa egregiè dicta de Concilijs, ſic loquatur. *Si quis in eo Concilio vrgeret, vt dicerem quid ipſe ſentirem: Si eo modo affectus eſſem, quo eram cum iſta dictarem, nequaquam dubitarem*, &c. Vbi videtur intimare, quòd vi congregationis Conciliaris mutari poſſet iudicium ſuum, & ſcio ab aliquibus eum ſenſum cenſeri probabilem; ſed non video quid vrgeat aliud, quam quòd ſubindè Patres diligentiùs inquirant in Concilijs quàm antea. Sed his non contentus *Iacobus Almaïnus* dicit in ſuo tractatu de Authoritate Eccleſiæ c. 10. *Tanta creditur aſſiſtentia Spiritus Sancti Concilio generali, vt non ſolùm ipſum indeuiabiliter ſententiet de Fide: ſed etiam aliquæ perſonæ aſſiſtentes Concilio ingenuè confeſſæ ſunt, & ſcripſerunt Concilium ſuperius ad Summum Pontificem: Diſſoluto verò Concilio, quia non amplius eis aſſiſtebat Spiritus veritatis in oppoſitum ceciderunt errorem, vt patet de Panormitano in duobus eius tractatibus*, &c. Sed hæc probatio eſt futilis. Maneat igitur quòd dixi. Nec Deus mutat rerum naturas in Concilijs, ſed illis manentibus vt ſunt, & fuerunt, vi reuelationis antiquæ, quæ has veritates attingit ratione euidentis identitatis cùm priùs reuelatis, Deo ad hoc concurrente, hodie infallibiliter declarantur eſſe de Fide, quæ re ipſâ ſic erant ante. Vndè Doctor *Subtilis*. 4. d. 11. q. 3. agens de definitione Concilij Lateranenſis, dicit non fuiſſe in poteſtate Eccleſiæ facere iſtud verum aut non verum, ſed Dei inſtituentis (ſcilicet traſſubſtantiationem) &c. Ex hoc rectè infertur, quòd conſequentiæ probabiles, quia nunquam erunt neceſſariæ, non poſſunt inferre propoſitiones de Fide, nec aſsiſtētia Chriſti facit conſequētias non neceſſarias eſſe neceſſarias.

Hoc dico contra aliquos non obſcuros Doctores, qui dicunt non eſſe opus, vt ſemper aſſenſus definientium ſit certiſsimus: addunt quia *ſciunt definitiones Deum ſuppleturum, quòd deeſt ipſis*, &c. Supplebit quidem Deus concurſum ſpecialem, &c. qui deeſt ipſis in ordine ad decretum edendum *errori non obnoxium*, quod per diſcurſum purè humanum

manum haberi nequit: ſed non ſupplebit ſi quid deeſt ex parte euidentiæ, ſeu neceſſariæ illationis in eorum diſcurſu; quia de hoc nullum habemus fundamentum. Et hic eſt adæquatus *Curſus* Conciliaris diſcurſus, per quem deuenitur ad concluſionem de Fide: nempè hîc oſtenditur Quid & Quouſque operetur Cōcilium, & Quid ſpecialiter operetur Deus in ordine ad definitiones infallibiles. Vlteriùs etiam explicabitur in hoc Capite, vt ex omni parte pateat veritas etiam Aduerſarijs.

13. In neophytis verò, & alijs in Fide inſtruendis longè aliter proceditur: quia ibi ex motiuis moraliter tantùm certis, ſi conſiderentur in naturis ſuis, communiter aſſurgitur ad aſſenſum infallibilem. Voluntas ſcilicet poteſt imperare intellectui, vt propter grauitatem rationum huic parti fortiſsimè aſſentiat; licet rationes in ſe præciſè ſumptæ, non compuliſſent intellectum ad aſſenſum: & Deus hîc concurret ſpecialiter & ſupernaturaliter ad credendum ſeu aſſentiendum propter illa motiua, quæ cum illo ſpeciali Dei auxilio dabunt actum infallibilem. Hæc eſt mens Doctoris *Subtilis* 3. d. 25. & hoc neceſſariò eſt dicendum, quia non aliter perueniri poteſt ad primam Fidei notitiam, niſi Enthuſiaſmi concederentur, vel nouarum ſpecierum veritates illas ſupernaturales repræſentantium ſpecialis infuſio daretur; quod de iure ordinario negatur. Vndè rectè dicit *Henricus de Gandauo*, Quodl. 5. q. 21. *Ad aſſenſum & diſſenſum credendorum, intellectus noſter, quantum eſt de ſe, per indifferentiam ſe habet: quia nec poteſt illa per euidentiam rei conſpicere, nec ratio vera naturalis per ſuam inquiſitionem poteſt ipſorum veritatem oſtendere, vt ſic eis perfectè conſentiat. Sic Henricus.* Egregiè pro more ſuo hoc ponderat *Auguſtinus*, tum alibi, tum *De vtilitate credendi*, c. 13. vbi ſic proponit ſibi hanc ipſam quæſtionem. *Hic rurſus oritur difficillima quæſtio: Quonam enim modo ſtulti ſapientem inuenire poterimus?* Infrà. *Huic tam immani difficultati quoniam de Religione quærimus, Deus ſolus mederi poteſt: quem niſi & eſſe, & humanis mentibus opitulari credimus, nec quærere quidem ipſam veram Religionem debemus.* Poſtea. *Rectè igitur Catholicæ diſciplinæ majeſtate inſtitutum eſt, vt accedentibus ad Religionem Fides perſuadeatur ante omnia.* Poſteà ſubdit. c. 16. motiua accedentis ad Fidem. *Homini ergo non valenti verum intueri,*

Digitized by Google

tueri, vt ad id fiat idoneus, purgariq́; ſe ſinat, authoritas præſto eſt: quam vt paulò ante dixi, partim miraculis, partim multitudine valere, nemo ambigit. vel vt poſuerat c. 14. *Hoc ergò credidi (vt dixi) famæ, celebritate, conſenſione, vetuſtate roborata.* His motiuis vt dixi moralibus, ſeu moraliter certis mouetur intellectus Deo ſpecialiter auxiliante ad Fidem Chriſti concipiendam & amplectendam, modo ſuperiùs à me expoſito. Dixi *Deo ſpecialiter*, &c. Vndè *Auguſtinus* citatus à *Tuamenſi* in ſuo Peregrino, &c. c. 9. *Quando fidelis quiſquam amicum, proximum, coniugem habuit infidelem, & non ei petiuit à Domino mentem obedientem in Chriſtianam Fidem?* De don. Perſeu. c. 23. Secùs verò eſt dicendum de Concilijs, vbi ſolum ex Principijs ſupernaturalibus, iam ex Fide agnitis & conceſsis, deuenitur ad vlteriora ex ipſis deducibilia: quia & in quantùm ſunt eadem obiectiuè & realiter. Et ex illa identitate oritur certitudo conformitatis obiecti ad intellectum, quæ certitudo cùm prouenit ex euidentia obiecti, non diſtinguitur realiter ab ipſa euidentia: nam neque illa certitudo poteſt eſſe ſine euidentia, nec illa euidentia ſine certitudine. Vndè in cognitione naturali, certitudo & Euidentia confunduntur, vt doctiſsimè notauit *Smigleſius* in ſua Logica diſp. 13. q. 12. & eodem modo hìc Philoſophandum eſt, quia licet huiuſmodi veritates pendeant à Principijs ſupernaturalibus, tamen cognitio concluſionum, quæ per diſcurſum Conciliarem deducitur ex illis, ad naturalem referri poteſt. Benè igitur dixi ſuperiùs requiri ad definitiones Cõciliares credibilitatis vel cõſequentiæ *euidentiam*, quippè nemini dubium eſſe poteſt, quia requiratur certitudo; ſecundùm verò *Smigletium* & veritatem, in huiuſmodi veritatibus quæ nituntur diſcurſui humano, certitudo & euidentia confunduntur, ergo, &c.

14. Dicendum igitur eſt, Quòd aſſiſtentia Chriſti in Concilijs, ſeu infallibilitas Conciliorum conſiſtit, modo explicato, in deductione conſequentiarum concluſionum ex Scriptis vel Traditis Diuinis, per conſequentias neceſſarias & euidentes, hoc eſt, Conſequentiæ ritè expendenti terminos, debent eſſe euidentes, & neceſſariæ, cuiuſmodi multæ ſunt in Theologia, quæ ab omnibus, vt tales admittuntur.

Licet

Licet igitur huiuſmodi conſequentiæ non faciant Fidem, prout humanitùs inferuntur etiam euidenter & neceſſariò, ſupereminens tamen Chriſti illuſtratio, vel potius directio, ſeu concurſus quidam ſupernaturalis, ad hunc effectum in Scripturis promiſſus, & pro re natâ tunc exhibitus (nam perſonæ definientes non ſunt perſonaliter illuſtratæ ad rectiùs ſpeculandum, vel accuratiùs examinãdum vt iamiam dixi) & ſine dubio multi experiuntur in ſeipſis, non enim fiunt doctiores aut ſapientiores, vt facti ſunt Apoſtoli in die Pentecoſtes, vt etiam rectè notauit Pater *Southioellus* ſeu *Baconus* alibi citatus: Ille dico concurſus Dei facit, quod antea euidenter neceſſariò erat propter identitatem cõceptuum, nunc eſſe ſimpliciter de Fide, & in his Eccleſia errare non poteſt. Et hoc eſt quòd dicit Doctiſsimus noſter *Smiſings*, proëm. q. 1. n. 19. quod concluſio Theologica non eſt de Fide, quatenus ei aſſentimur per diſcurſum; hîc enim aſſenſus incertior eſt certitudine Fidei: Sed quòd poſito tali aſſenſu, mox per alium aſſenſum, certitudine Fidei aſſentimur tali concluſioni, virtute luminis diuini, vel vt benè dicit *Smiſings* ſuperiùs n. 16. & ſub fin. n. 20. *Concluſio Theologica poteſt conſiderari, vel vt deducta eſt immediatè ex reuelatis, vel vt contenta in illis, adeoq; vt concepta per modum vnius cum illis, licet per diſcurſum fuerit explicata, & ſic aſſentitur illi veritati vt reuelatæ in illis, & ſic etiam erit concluſio de Fide.* Nempè quando falſitas eius redundat in falſitatem præmiſſarum reuelatarum, vt rectè loquitur *Celotius* alibi citatus. Alia verò non ſunt ſimpliciter de Fide, licet Conciliariter illata, ſed inter piè credenda reponi poſſunt & debent.

15. Dices Chriſtum intuliſſe aliquas Concluſiones vt de Fide, per conſequentias ſolùm probabiles, vt in multis in Sacrâ Scripturâ apparet, & ſpecialiter *Lucæ* 11. vbi arguit Scribas reos occiſionis Prophetarum, eò quod Monumẽta vel Sepulchra eorum erexiſſent, cùm potiùs oppoſitum majori probabilitate ſequi videretur: vndè manifeſtum eſt, in articulis Fidei non adeò attendendum ad vim conſequentiæ, quam ad promiſſam Chriſti aſsiſtentiam.

Reſpondeo quidem, Quòd apud Theologos non ſemper putatur vim conſequentiæ etiam in Sacris Scripturis eſſe de Fide, ſeu concluſionem vi conſequentiæ eſſe de Fide, licet à Chriſto vel ab Apoſtolis

Digitized by Google

prolata fuerit: non enim voluit Chriſtus omnes veritates Fidei, quas docuit, ideò eſſe de Fide propter vim argumenti, quo vſus eſt: ſed propterea quòd *Ipſe*, vt de Fide eas credēdas propoſuit. αὐτὸς ἔφη omnem dubitationem aufert. Eccleſia verò in concilijs donum habet infallibilitatis, ſolùm ad ritè concludendum veritates Fidei, per conſequentias neceſſarias ex Scriptis vel Traditis Diuinis, modo quo dictum eſt: ſcilicet declarandō identitatem conſequentis cum antecedente; quòd optimè fit, mediante diſcurſu ſyllogiſtico: nam non putandum eſt, quòd identitas illa ſit adeò manifeſta, quin ad eam declarandam opus fuerit ſyllogiſmo; aliàs neſcio ad quid inſeruiret diſcurſus adeò neceſſarius in omnium ſententiâ: concluſio enim in omni ſyllogiſmo eſt aliquid ſuo modo ignotius, & ideò ex notioribus ſcilicet præmiſsis vi conſequentiæ deducitur, vt pateſcat. Sic in propoſito neceſſariò dicendum. Non verò operantur Concilia per reuelationes immediatas, vt in Scripturis, nec per Enthuſiaſmos Epiſcoporum definientium, nam vt rectè *Cameracenſis* in quæſtione *de Reſumptâ* reſpondens ad quoddam argumentum, dicit, *nec valet quod dicitur, quòd licet quilibet ſeorſim poteſt errare, tamen non ſequitur, quod omnes ſimul congregati*, &c. Nam concurſus ad eundem locum non reddit aliquos magis inobliquabiles à Fide quàm ante: quia ſicut locus non ſanctificat hominem, ſic non confirmat in Fide, &c. Secùs ergò hîc agendum, nec à Chriſto ad Concilia hâc in parte valet conſequentia propter rationem datam.

Præmiſſæ igitur debent eſſe *primò veræ*, vt loquitur *Ariſtoteles* 1. top. quæ ſe habent, *ſicut locus januæ in domo*, vt dicit etiam ipſe. 2. Met. Illæ verò in materiâ præſenti ſunt ſolùm *Sacræ Scripturæ* vel certæ *Tradtiones*, nimirùm quia illæ ſolùm non poſſunt probari per alias propoſitiones continentes causā ſuæ veritatis, vt explicāt logici propoſitiones *verus & primus* vel primò *verus*. Illis verò clarè præmiſsis, Eccleſia declarat certò concluſionem ex illis illatam eſſe de Fide, cuius veritas neminem latere potuit ante Eccleſiæ definitionēm, ſi aduerterit, & ritè expendere potuerit præmiſſas. Et huc ſolùm puto cum cōmuniori (ſaltem ſaniori) Theologorum cætu, Eccleſiæ authoritatem extendi poſſe in veritatibus Fidei declarandis.

Digitized by Google

CAPVT XIII.

An fundamenta definitionum ſint Fidei & quæ perſpicuitas, & identitas requiratur in definitionibus Eccleſiaſticis cum principijs ex quibus deducuntur?

1. QVod dicunt aliqui Theologi, Baſes ſeu fundamenta definitionum non ſemper eſſe paris ſeu æqualis certitudinis & firmitatis, atque ipſas definitiones, vt *Stapletonus* to. 1. l. 8. contr. 4. aſſert. *Bellarminus* l. 2. de *Concilijs* & alij haud inferioris notæ; mihi inter Paradoxa numeratur. *Sed & hoc dicendum oportet non affirmare ſolùm, ſed & cauſam ipſius: & non ponere neque cenſere vllam ſententiam irrationabilem, ſed aut inductionem aut demonſtrationem afferre*, vt olim Philoſophus 8. Phyſicorum c. 1. tex. 15. Ratio igitur mei dicti & cenſuræ eſt, quia huiuſmodi Baſes ſeu Fundamenta, quibus concluſiones de Fide nituntur, non ſunt aliud, vt ſæpiùs ex Doctorum communi dixi, quàm verbum Dei ſcripto vel Traditione acceptum. Nihil enim Concilium definire poteſt, niſi quòd ex hoc fundamento infallibili neceſſariò deductum eſt, vt etiam apertè inſinuat Trid. ſeſſ. 4. dicens, *Euangelicam doctrinam, quæ partim ſcriptis libris, partim ſine ſcripto Traditionibus continetur, eſſe fontem omnis & ſalutaris veritatis, & morum diſciplinæ.*

2. Quòd verò vlteriùs dicunt aliqui Doctores, omnia Scripturæ & Traditionum teſtimonia in eo ſenſu, quo à Spiritu Sancto prolata ſunt, eſſe veriſsima & certiſsima: in eo vero ſenſu, quo à Concilio intelliguntur in ordine ad aliquod dogma Fidei definiendum, ferè ſemper eſſe incerta: nullus intelligo, ſed inter res inenodabiles numero. Nam ſi alius fuerit Conciliorum, alius Spiritus Sancti, Scripturæ intellectus, leuiuſculæ erunt definitiones ex illis teſtimonijs petitæ: nempè non à Spiritu Sancto edoctæ. Et ideò Samuel licet jam ſecundò audiuiſſet ipſum Dominum rurſùm vocantem, quia tamen

Digitized by Google

necdum ſciebat Dominum, neque reuelatus fuerat ei ſermo Domini, conſurgens abijt ab Heli, &c. Hoc eſt vt in textu patet, debebat non ſolùm eſſe in ſe certum, Dominum *Samueli* fuiſſe locutum, ſed ipſe debebat *ſcire* & quidem ſcientiâ ſeu cognitione *reuelatâ*, antequam Dominus vlteriora reuelaret. Sic in propoſito præmiſſæ debent eſſe certæ Definitoribus fuiſſe diuinitùs reuelatæ, & eis fideliter traductæ per ſcriptum vel vocem, & tunc Deo ſpecialiter juuante Concluſiones certiſsimæ eliciuntur. Ordinatiſsimè proceſsit *Samuel* (vt teſtatur Sacer textus 1. Reg. c. 3.) audito Domino *cucurrit ad Heli*, ad Prophetam ſcilicet Domini; ſic Definitores ad Prophetas & Apoſtolos & ibi certò intelligunt, quia Dominus locutus eſt, & tunc procedunt ad concluſiones vt ſupra. Sed alius eſt modus agendi quem inſinuarunt Doctores prænominati. Quam longè verò fuerit à vero vel veroſimili, ex hoc etiam patet, quia ſicut in Geometricis, & in omnibus Mathematicis & quibuſcumque ſcientijs demonſtratiuis, tàm Principia, quàm Concluſiones ſunt neceſſariæ, ita vt impoſsibile ſit aliter ſe habere, & tamen Principia dicuntur magis neceſſaria quodammodo quam concluſiones: quia neceſsitas concluſionum prouenit ex neceſsitate Principiorum: Ita etiam Concluſio in Demonſtratiuis eſt verè ſcita, nec poteſt de aliqua re major certitudo haberi: quia tamen concluſio ſcitur per Prinpia, dicuntur principia magis ſcita, vel magis credita quam concluſio, vt patet 6. Ethicorum, de Scientia, vt rectè *Abulenſis*, de alia re agens. Quæ eius dicta maximè confirmant, quæ hactenus diximus de infallibili Principiorum veritate, quibus nituntur veritates ſeu concluſiones de Fide ex illis deductæ. Si enim concluſiones diuinam faciant veritatem & certitudinem; multò magis præmiſſæ, ſeu principia per quæ ſciuntur eſſe tales, vel cum quibus identificantur. Nam vt rectè Doctor *Sanderſonus* Patriota noſter, in ſua Dialectica l. 3. cap. 6. *Concluſioni minus quam præmiſſis creditur, iuxta regulam, Propter quod vnumquodq́, & illud magis*. Optimè igitur dicit *Hilarius, Intelligentia dictorum, ex cauſis eſt aſſumenda dicendi*, &c. Cauſæ verò Concluſionis vt ſic, ſunt præmiſſæ, vt ſæpius ex principijs Logicalibus oſtendi, cauſæ ergo concluſionis de Fide, ſunt præmiſſæ ipſi proportionatæ. Si igitur

ipſæ

Digitized by Google

ipſæ vt ſunt cauſæ Concluſionis talis ſunt incertæ, (vt inſinuant prædicti Doctores) certè & concluſio ipſa ſecundùm Doctrinam *Hilarij* erit incerta.

Si etiam Fundamenta definitionum in ſenſu Patrum ſunt incerta, etiam & ipſæ definitiones (præter rationes prætactas) hinc conuincuntur eſſe incertæ: nempè ſi non habeant veritatem certam & infallibilem ex ſeipſis, nec ex reuelatione ſpeciali (quorum vtrumque ſupponitur) reliquum eſt, vt habeant ex ſuis principijs, prout ſunt eorum principia, hoc eſt, ipſis applicata per neceſſarium diſcurſum, aliàs reſpectu concluſionum illarum ſunt planè parerga.

Propoſitio enim aliqua ſi conſideretur quantùm ad ſe, æquè vera & neceſſaria eſt, ſi cognoſcatur, ſicut ſi non cognoſcatur: & tamen quantùm ad nos, ſeu in ordine ad deducendam ſeu exinde inferendam aliquam concluſionem, vt de Fide à tota Eccleſia amplectendam, quando talis propoſitio non cognoſcitur, non eſt alicuius authoritatis ad illum effectum, vt per ſe patet. Vndè rectè dicit Doctor *Subtilis* Prolog. q. 4. laterali §. *Vtrum autem. Scientia diſcurſum requirit, & quòd principium Diſcurſus ſit naturaliter* (id eſt naturâ) *prius notum & vt ſic ſit cauſatiuum alterius extremi diſcurſus*. Non verò erit cauſatiuum eius in ordine ad meum diſcurſum, niſi aſſentiar concluſioni propter eius cum Antecedente connexionem, nec poſſum ſic aſſentiri concluſioni, niſi nouerim interuenire illam connexionem. Antecedens ergò debet eſſe priùs naturâ *notum*, ideſt, illa cognitio requiritur, vt conditio *cauſationis* in diſcurſu, vt etiam ſatis inſinuat ibi Doctor. Nam hoc intelligitur in verâ Philoſophiâ per *prius naturâ*.

Concluſio igitur illa non poteſt generare Fidem ex illo Capite, nempè ex hoc quod præmiſſæ ſint in ſe veræ, vel à Spiritu Sancto dictatæ, Si in ordine ad nos ſint incertæ, vt volunt illi: ſed ſi fuerit de Fide, per reuelationem habetur, quam hìc reijcimus; ſi igitur hæc incerta fuerint, totum ædificium arenoſum erit, & per conſequens multa quæ ab aliquibus habentur tanquam Fidei dogmata, corruent. Non nego tamen *rationes ſubindè probabiles, & Scripturæ teſtimonia non omninò conuincentia, interdum admiſceri: non vt fundamenta, quibus definitio nitatur,*

Digitized by Google

nitatur, ſed, vt adminicula ingenij, vberioris doctrinæ, & explicationis gratiâ, vt rectè loquitur *Leſſius* in diſcuſsione magni Cõcilij Lateranẽſis.

3. Quòd verò dicunt aliqui Doctores non ignobiles, Eccleſiam non ſpecialiter dirigi à Spiritu Sancto, in ordine ad argumentum ſeu inferendum Concluſionem de Fide ex præmiſsis: ſed ſolùm ad ſimpliciter proponendum ſeu pronunciandum hanc vel illam Concluſionem eſſe de Fide, adeò vt connexio conſequentis de Fide cum præmiſsis, ſit planè extrinſeca ad eius infallibilem veritatem: nec tamen volunt, quòd Eccleſia habeat nouas à Deo reuelationes ad nouas illas Fidei veritates dignoſcendas.

Hanc dico ſententiam implicare, & manifeſtè dicere repugnantiam ex adjecto, vt facilè judicabit lector eruditus. Recitaſſe, ſi quid ſapio, eſt plenè refutaſſe. Nam proponere aliquam veritatem eſſe neceſſariò credendam, nec ex reuelatione, nec ex illatione ex reuelatis: & tamen, vt dicunt, diſcurrere teneri ante definitionem, videtur mihi ex vnâ parte arguere poteſtatẽ, plus quam Propheticam vel Apoſtolicam; quia ipſi ſolùm proponere poterant, quæ ipſis fuerant diuinitùs reuelata: hi verò ſimpliciter aſſerere ſine reuelatione, quòd ſolus Deus facit. Differunt iterùm ex hoc, quod diſcurrere ſeu inferre debent ex reuelatis, nam Deum Eccleſiam ad diſcurſum obligaſſe dicũt; illum tamen diſcurſum ad quem à Deo obligantur, volunt eſſe planè diſparatum in ordine ad concluſionem de Fide. Quaſi Deus obligaſſet ad rem planè diſparatam & inutilem. Speculabitur Lector eruditus, etſi poſsit hæc conciliare, meam inſcitiam lubens agnoſco; vtique conceſsio iſtarum propoſitionum videtur eſſe *Meta*, quam ſummuliſtæ vocant *Incpinabilem*, quia communi hominum doctorum ſenſui repugnat.

4. Dicunt adhuc hi Doctores, *Nullam rationem, nullum fundamentum ex Sacrâ Scripturâ allatum, quo Concilia ad aliquid definiendum inducantur, ad Fidem pertinere, niſi decreto aliquo proponatur à Concilio, (quòd rariſsimè contigit) tanquam de Fide*. Niſi igitur ipſum fundamentum definitionis definiatur, erit incertum, licet definitio ipſa illi nixa ſit certiſsima.

Sed

Digitized by Google

Sed nunquid hoc eſſet procedere in infinitum in Fidei definitionibus? ſpeculabitur Lector eruditus.

Longè ſanè aliter (ſecundùm quod ego capere poſſum) inceditur in Concilijs: Nam vt demonſtratio ſemper aliqua nobis ignotiora ex propoſitionibus notioribus infert, illas rurſus ex alijs, quovſque ad principia quædam menti per ſe nota perueniat: ne aut irritus fiat in infinitum progreſſus, aut ab ijſdem ad eadem retexatur circulus: ſic in propoſito propter eaſdem rationes neceſſariò dicendum eſt, aliqua eſſe principia, quibus nititur Eccleſia in ſuis definitionibus eliciendis, quæ ſunt Scripturæ vel Traditiones ſecundùm diuerſitatem rei declarandæ. Illa vtique homini Chriſtiano ſunt principia per ſe nota, in quibus ſiſtitur, & animus fidelium acquieſcit. De vtriſque, nempè de principijs definitionum & ipſis definitionibus (licet ſub alijs terminis) agens *Baſilius* in Pſalm. 115. optimè hactenus dicta declarat: *Nolim intereà quiſquam noſtrum hunc ſermonem ſubſannet, hoc nomine, quod auditores proliciamus & adhortemur, Fidem vt commodent & aſſenſum his quæ à nobis citra vllam demonſtrationem dicuntur: quum neceſſe ſit, huius diſciplinæ principia, nulla prorſus præuiâ demonſtratione aut inquiſitione tradi diſcentibus. Fieri enim neutiquam poteſt, vt qui circa principia diſciplinarum velitantur contentioſius, ad finem aliquando viâ & ordine prouehantur, aut pertingant.* Poſteà. *Neceſſe eſt, vt quum admiſeris earum artium, quæ certâ ratione nituntur, principia vt confeſſa, &c. id demùm conſpicias quicquid ex præſuppoſitis ordine conſequitur.* Quæ ſunt primi generis non probantur, Quæ verò poſterioris, inſpicienda ſunt. Sic facit Eccleſia in vtriſque.

5. Maneat igitur firmum, quod hactenus dixi, nullum Fidei dogma definiri poſſe, quod non nitatur præmiſsis vtriſque veris & certiſsimis, adde & *diuinitùs reuelatis:* licet alij & illi doctiſsimi cenſeant concluſionem non poſſe excedere veritatem Theologicam, quamuis ex præmiſsis *diuinitùs reuelatis* inferatur: quandoquidem euidentia eius nitatur diſcurſui humano, vt capite ſequenti oſtendam, & ſic ex gradu ſuo corruent multæ propoſitiones, quas ad Fidem euehunt aliqui Theologi. Sed hoc miſſo, quia ſuperiùs refutatum eſt. Si ſaltem vel vna præmiſſarum non fuerit à Spiritu Sancto prolata, ſed *ex incerto*

Digitized by Google

Patrum intellectu (vt loquuntur Doctores priùs citati) deprompta, concluſio de Fide non erit. Quicquid enim ad nullum verbum Dei, aut ſcriptum, aut etiam legitimè traditum reducitur, erit verbum humanum, & conſequenter intrinſecè & ſimpliciter fallibile, adeòque ineptum, vt putetur articulus Fidei.

Optimè igitur dicit *Tertull.* de præſcript. *Hanc dirigimus praſcriptionem. Si Dominus* Iesvs *Apoſtolos miſit ad prædicandum, alios non eſſe recipiendos Prædicatores, quam quos Chriſtus inſtituit, quia nec alius Patrem nouit, niſi Filius, & cui Filius reuelauit: & nec alijs videtur reuelaſſe Filius, quàm Apoſtolis, quos miſit ad prædicandum, vtiq; quod illis reuelauit.* Quodcumque igitur per Apoſtolos non prædicatum eſt, haud infallibiliter de Spiritu Sancto eſt, in *Tertulliani* ſententiâ.

Et ideò obſeruat *Beſſarion* in opere ſuperiùs citato de proceſsione Spiritus Sancti: *In calce Definitionum cuiuſq; Synodi, ſumpto à Tertiâ initio, hæc ad verbum lata & condita ſunt: His lectis ſtatuit Sancta Synodus nemini licere aliam Fidem proferre, aut componere, aut ſapere, aut aliter docere, eos verò qui audent, Clericos quidem deponendos eſſe, Laicos autem anathemate feriendos.*

Beſſarion loquitur ibi de illis poſterioribus Concilijs, recitans quid & quomodo dicebatur in Florentino, pro cauſâ Græcorum, de non additione *Filioq;*, vbi non audebant ad priores Synodos prouocare, quia inueniebant Patres ſecundæ Synodi mutaſſe priora, vt ſuperiùs oſtendi: ſed quoad intentum meum, æquè poterat citaſſe primam & ſecundam Synodos, vt etiam oſtendebant Patres Latini contra eos. Tandem ſub finem adjungebant Patres Latini: *Nullum veritatis Dogma eſſe, quòd in ſymbolo ac ſimplici Traditione Apoſtolorum non contineatur. Explicanda verò ſunt, & cum Symbolo conuertenda, non ſemper ſcilicet neq; à quocumque, ſed magnâ vrgente neceſſitate, atq; ita Eccleſiâ judicante.* Hactenus illi longè grauiſsimè, & vt fatetur *Beſſarion* ex ore Græcorum, *Nos quidem ad ea nihil quod reſponderemus habentes (quid enim aliquis ad tantam veritatem tàm imprudenter diceret?) conticebamus.* Fides igitur in judicio Conciliorum ſemper immutabilis, declarationes Fidei non prohibentur, nempè per neceſſarium Syllogiſmum legitimè eductæ

Digitized by Google

deductæ ex primitùs reuelatis, per ipſam ſcilicet Eccleſiam faciẽdum, & magnâ vrgente neceſsitate.

6. Spiritus quidem Sanctus aſsiſtit, *docendo* nempè *omnem veritatem* neceſſariam: Sed non docet ſpecialiter, & de nouo reuelando veritates, ſed ſecundùm regulas prouidentiæ ſuæ ſupernaturalis, adeſt ſpeciali quodam auxilio, actibus noſtris non debito. Auxilium igitur illud quoad ſubſtantiam eſt ipſa diuina volitio, quâ vult cum Patribus concurrere, ad ſupernaturales veritates neceſſarias ex formaliter reuelatis neceſſariò eruendas; ſeu quod idem eſt, eſt volitio diuina, quâ Deus vult aſsiſtere, & de facto aſsiſtit ad infallibiliter declarandum hoc, vel illud olim reuelatum eſſe: ſcilicet vel in ſe formaliter, vel in alijs veritatibus virtualiter: adeò vt ſemper ſit identitas ex parte objecti in vtriſque. Vocatur autem aſsiſtentia ſeu auxilium ſpeciale, licet reuera ſit concurſus communis ſeu generalis quoad actus ordinis ſupernaturalis, ſeu ad finem ſupernaturalem tendentis: ſpecialis autem eſt, prout diſtinguitur contra concurſum cauſis ſecundis quoad ordinem naturæ debitum, & proportionatum, & etiam quia cõceditur ex intentione Dei ad ſpecialem hunc effectum.

Dixi eſſe ipſam volitionem diuinam, &c. quia ſi eſſet aliquod donum creatum nobis infuſum, ordinis licet ſupernaturalis, non tamen ſimpliciter daret certitudinem infallibilem veritatibus declarandis: nam non poteſt dare plus, quam habet. Omne autem creatum intrinſecè eſt defectibile; nec mutantur intrinſeca alicuius rei, ex eo quod eleuatur ad ordinem ſupernaturalem, & conſequenter non obſtante illo dono ſupernaturali, non adeò mirandum eſſet, ſi Concilium actu erraret, quod tamen in caſu noſtro admittendum non eſt.

Quod ſi nondum patet quod diximus, etiam magis deducentibus erit manifeſtum; vt loquitur Philoſophus *Pol.* l. 2. c. 8. Facilè vtique patebit hæc veritas Philoſopho conſideranti intrinſeca rerum principia, quæ vtique non mutantur per ſuperuenientiam extrinſecorũ v. g. accidentium, illa verò ſupernaturalitas, eſt ſolùm accidentalis reſpectu intrinſecorum ipſius naturæ humanæ, vel illorum hominum quibus conceditur. Natura vero inferior, proprietatem; multò minus formam ſuperioris ipſius actionis conſequi nequit.

Digitized by Google

Quod in Elementis eſt manifeſtum, in quibus aer non poteſt ignifacere, ſeu calorem in tot gradibus producere, qui ab igne ſolùm produci poſſunt. Quod ſi conſuetam actionis ſpeciem, ſed aliquantò vehementiorem attingere debeat, ſufficit quòd eius virtus augeatur intra propriam ſpeciem, & indè fortè Aer v. g. duos gradus caloris producere poteſt plures, quam ſi ex ſuis puris naturalibus ageret: ſed ſi exercere debeat actionem ſpecie & genere ſuperiorem v. g. ignifacere, ignis formam ſortiatur, oportet. Sic in propoſito, vt homo meliùs & perfectiùs diſcurrat, ſufficeret additamentum alicuius luminis vel alterius doni creati ſupernaturaliter conceſsi v. g. qualitatis alicuius: ſed vt ſit indefectibilis, vel homines omnes ſimul quomodocumque congregati (vt alibi fusè dico) debent quaſi Deificari: nam vt dixi, hæc erit actio ſuperioris ordinis, quæ inferiori agenti cõpetere nequit.

7. Decreuit igitur Deus ad effectum prædictum efficaciter concurrere, quantùm eſt ex parte ſui, hoc eſt caſu quo Eccleſia in nomine ejus congregata purè procedat, ſecundùm regulas à Spiritu ſancto ordinatas, Deus cum Patribus concurret ad eruendas & decernendas infallibiles veritates Fidei, Eccleſiæ opportunas, & ſaluti fidelium neceſſarias. Dixi enim ſuperiùs aliquas eſſe neceſſarias, alias non item, & ideò *Lerinenſis* c. penult. dicit, neceſſe eſt, *vt ad vnam Eccleſiaſtici ſenſus regulam, Scripturæ cæleſtis intelligentia dirigatur: in ijs duntaxat præcipuè quæſtionibus, quibus totius Catholici dogmatis fundamẽta nituntur.* Aliquæ proinde Fidei quæſtiones ſunt, quæ non inter fundamenta reputantur, nec adeò obſtringitur Eccleſia in ijs tàm ſtrictè ſequi Eccleſiaſtici ſenſus regulam. Quòd ſi Concilia in huiuſmodi quæſtionibus leuioribus ſeu ſuperfluis de facto errent, vt in ſenſu *Lerinenſis* errare poſſunt, hoc non impediret, quo minùs verè diceretur Concilia generalia eſſe *ſimpliciter infallibilia.* Sicut non obſtante albedine, verè dicitur, *Æthiops eſt niger*, nempè quia denominatio ſequitur potiorem partem, vt norũt Logici. Patres etiam *Florentini*, licet aliquas conditiones ſibi ipſis tanquam neceſſarias ad rectè & orthodoxè definiendum, ſapienter præfigebant, vt oſtendo alibi: non tamen ideò admittere volebant Conciliares definitiones eſſe ſimpliciter defectibiles, licet circum-

Digitized by Google

circumſcriptis conditionibus deficere poterant: quinimò ſimpliciter ſunt infallibiles, propter rationem iam aſſignatam. Hîc etiam neceſſariò addendum eſt, Quòd in omnibus etiam quæ æſtimantur leuiora ſeu ſuperflua, vt etiam alibi fuſius doceo, ſupponendum eſt Eccleſiam in Concilijs ſemper infallibiliter docuiſſe, niſi in ipſa doceat ſe ſolùm probabiliter loqui, vt aliquando factum nemo neſcit: vel ſaltem niſi ex modo loquendi hoc probabiliter colligi poſſet, vt de infinitis conſtat in diuerſis Concilijs, etiam in ipſo *Tridentino*, vt alibi expendo.

Pauciſſima ſunt quæ in naturalibus ſcimus demonſtratiuè, quantò ergo difficiliùs in ſupernaturalibus, vbi Principia ex genere ſuo ſunt multò obſcuriora; ſecundùm illud Sapientiæ cap. 9. *Difficile æſtimamus quæ in terra ſiunt, & quæ in proſpectu ſunt inuenimus cum labore, quæ autem in cælis ſunt quis inueſtigabit?* Rarò igitur ad nouas definitiones accedere ſolent Concilia. Vndè *Gerſonius* in Doctiſsimo illo tractatu quem obtulit Cõcilio Cõſtantienſi, *de probatione Spirituum*, niſi parcè his in rebus ageretur; *noſtra Fides noſtraq; religio, quam Deus (teſte Auguſtino) voluit ſub pauciſſimis contineri articulis: redderetur plus abſq; vlla comparatione, quam lex vetus oneroſa.* Cautiſſimè igitur (vt ſæpè dixi) Eccleſia in ordine ad Fidem declarandam proceſsit. Et certè Magnus *Athanaſius* vel potiùs Patres Orthodoxi in Epiſtolâ quadam Synodali ad *Auguſtum Conſtantium*, hoc valdè & validè confirmare videntur: *Ariminum ex omnibus ad occidentem Ciuitatibus in vnum conuenimus, vt Fides Catholicæ Eccleſiæ cognoſceretur, & qui alterius opinionis eſſent, manifeſti fierent*, &c.

8. Concilia igitur præcipuè ad hoc coguntur (vti ſæpius etiam notaui) vt ſenſus Eccleſiæ Catholicæ de rebus agitatis decerneretur: non verò vt Concluſiones ex Fidei articulis laborioſè & perplexè educerentur. Nam vt rectè idem *Athanaſius* in Epiſtolâ de Synodis *Arimini* & *Seleuciæ*. *Quid doctrinæ ad pietatem defuit Cath. Eccleſiæ, vt nunc de Fide quærendum videretur?* Huic opinioni etiam fauere videtur *Catherinus* in fine ſuæ Apologiæ *de Reſidentiâ Epiſcoporum*, vbi ait, *Nihil eſſe Iuris Diuini præter ea quæ expreſsè & immediatè à Deo mandantur in ſacris Literis, aut ex illis euidenti conſequentia, quæ vniuerſaliter pateat, adijciuntur.* Nec his contentus *Catherinus*, rem proſequitur, dicens poſtea.

Talem

Digitized by Google

Talem euidentiam deductionis in hiſce rebus deſiderari, non quæ ſit perpaucorum Sapientum, ſed quæ vniuerſaliter eſt omnium, non rationis penitus expertium. Paulò poſt. *Falſum eſt opinari quod quodcumq; probabiliter educitur ex jure diuino, id eſt, ab his quæ de jure diuino ſunt expreſſa Sapientium inueſtigatione, illud ſit juris diuini, niſi euidenter ab eo jure deducatur: alioqui commixtio fieret: & quicquid eſt juris Canonici & ciuilis, poſſet dici aut juris diuinis aut naturali, quoniam è jure diuino vel naturali, ſolerter per conſequentias quaſdam, Sapientes Pontifices, & Reges Legumlatores illud eduxerunt: quoniam omnis lex debet aut diuinâ aut naturali ratione inniti, & in ea fundari.* Hactenus *Catherinus.*

Pulchras etiam dat ibi inſtantias, rem valdè illuſtrantes; Et ideò *Rhenanus* in editione, quam fecit operũ *Tertull. Baſileæ* impreſſa 1521. tùm alibi, tùm in Præfatione ad *Definitiones Eccleſiaſticorum Dogmatum* dicit. *Expeditiorem olim fuiſſe Chriſtianiſmum, ac eſt hodie, nondum tot legibus natis, quarum adhuc nullus finis eſt. Paucæ tùm & breues regulæ erant, nunc multò plures & inuolutiores. Quòd ſi dogmata Scholaſticæ Theologiæ quis numerare conetur, intra 300. annos ex magnâ parte cum Monachis iſtis, quos à mendicando cognominant, in orbem ingreſſa, quorum eſt tanta fœcunditas, vt adhuc ſe quotidie multiplicent, ſi quis inquam numerare velit, is vndas (quòd aiunt) numeret, & arenam metiatur. Ea videmus hodie minis Principum & ſuppliciorum intentatione defendi, procurantibus ijs qui rationibus ſuis diffidunt.* Hactenus ille ad Lectorem.

Sed certè hic ſtilus magis olet *Lutherum* quam aliquem *Beatum*, licet ille titulus ibi præfigatur. Ipſo igitur miſſo, ad *Catharinum* & ad eius doctrinam, addo quòd ſi tam latos peragrare poſſet campos Eccleſia, vt hinc inde per probabilitates ex Sacris Scripturis & Traditionibus eliceret Fidei definitiones, poſſet tandem omnes ferè leges humanas, vt de Fide amplectendas, determinare, cum etiam inde non ſine probabilitate & pulchris conſequentijs frequenter extrahantur, vt euidenter conſtat. Sed vt ſæpius dixi, & ibi ſemper hærendum, quandoquidem ſecundum receptam, tàm veterum, quàm modernorum Doctorum ſententiam, Eccleſia non poteſt agere vltra reuelationes antiquas, nihil poteſt hodie declarari de Fide, quod non habet realem identitatem,

Digitized by Google

tem, cum priùs reuelatis; aliàs inconceptibile eſt, quomodo vetus reuelatio illud attingat, quod tamen omninò requiritur in ferè omnium ſententiâ.

Et hoc patet in naturalibus, v. g. Quicquid realiter enunciatur de *rationali*, attingit *riſibile* propter identitatem in re ipsâ, non verò attingit accidentia, quæ ſunt illi extrinſeca, vt Logici concedent. Et pariformiter in caſu noſtro Philoſophandum eſt, vt facilè ſpeculabitur Lector eruditus. Vndè ſemper docet *Scotus*, (vt ſæpiùs citaui) præſertim cap. 1. Quòd illæ concluſiones ſolùm poſſunt infallibiliter declarari & determinari per Eccleſiam, quæ ſunt *neceſſariò incluſæ in articulis creditis*. Si igitur per accidens coniunguntur, vel ſi ſolùm probabiliter ſequntur ex articulis, Fidem non attingent per quaſcumque determinationes, quia Concilia non poſſunt identificare, quæ ſunt ex objecto diuerſa, nec neceſſariò inferre ea, quæ ſolùm apparenter, ſeu probabiliter ſunt incluſa in articulis creditis.

Hæc ex terminis conſtant, & ideò talia, vt de Fide definire, eſſet contra Apoſtolum 1. Tom. 1. ἑτεροδιδασκαλεῖν, hoc eſt, aliter docere, quam receperunt. Quòd quàm longiſsimè abeſt à Conciliorum vſu.

9. Quibus fundamentis ſemel admiſsis, palam fit, multa à multis ſub ſpecioſo Fidei velamine, ob neſcio quas apparentias, & ſubindè leues conjecturas, in vulgus obtrudi, quæ à Chriſtianæ & Apoſtolicæ Fidei ſinceritate & *conſpicuitate* longè abſcedunt, & verè myſteriorum noſtrorum firmitati, non parùm obſunt. Quòd vtinam noſtri nouorum articulorum excuſores & Conditores ſatis expenderent. Dogmatis Fidei firmamenta quærenda non ſunt, à rebus incertis, nouiſque opinionibus, ab Eccleſiâ vetere haud aliquando auditis, nec agitatis, ſaltem non vniuerſim receptis: ſed id tenendum, quod ex Sacrâ Scripturâ & Patribus *liquidum certumq; eſt*. Sic Patres in omnibus Concilijs & Conciliaribus actibus ab initio Eccleſiæ legitimè & canonicè incedentes, ad hunc vſque diem factitarunt, & faciendum docuerunt.

Vndè *Conſentius* apud *Auguſtinum* Ep: 221. ſtatim ſub initium contra Arrianos, dicit. *Ego cùm apud memetipſum prorſus definierim veritatem rei diuinæ, ex Fide magis, quàm ex ratione percipi oportere, ſi enim Fides Sancta*

des Sanctæ Eccleſiæ ex diſputationis ratione, *non ex credulitatis pietate apprehēderetur, nemo præter Philoſophos atque Oratores beatitudinem poſſideret. Sed quia placuit Deo, qui infirma mundi huius elegit, vt confundat fortia, per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes, non tàm ratio quærenda de Deo, quàm authoritas eſt ſequenda Sanctorum*, &c. Adde tamen ex Aug. epiſt. ſequenti, quòd in his etiam ratio non eſt reſpuenda, nempè, vt ea *quæ Fidei firmitate* tenemus. *etiam rationis luce conſpiciamus*. Ratiocinatio igitur noſtra, non Fidem facit vel auget, ſed explicat.

10. Tandem *Catherinus* citat *D. Thom.* pro ſententiâ explicatâ. Qodl. 9. a. 15. *Quærens an ſit peccatum habere plures præbendas*, ſupponit hanc quæſtionem non poſſe certo de Iure Diuino determinari, cùm in Sacrâ Scripturâ expreſſa mentio non fiat, quamuis ad eam argumenta ex aliquibus authoritatibus Scripturæ adduci poſſint, quæ tamen non lucidè veritatē oſtendunt. Requirit igitur, vt *lucidè & euidēter* indè deducatur. Doctor etiam *Subtilis* in ſcripto Oxonienſi, §. *ad ſecundum* optimè dicit, quòd in materiâ Fidei, ille *Sacræ Scripturæ ſenſus licet difficilis ſequendus, qui eſt verus, & probatur euidenter eſſe verum*; & loquitur ibi de Eccleſiæ definitionibus, adeò, vt Eccleſia in eruendo & explicando Scripturæ ſenſus, illos ſequi debet, qui *euidenter* probari poſſunt eſſe veri. Hanc etiam *Euidentiam* in terminis requirit *Bellarminus* ſuperiùs *Cap.* 1. citatus, & ex dictis patet eſſe communem, tàm Patrum, quàm Scholaſticorum. Et huc ſine dubio ſpectat illud *Irenæi* l. 3. c. 4. *Tantæ igitur oſtenſiones cùm ſint, hanc non oportet adhuc quærere apud alios veritatem, quam facilè eſt ab Eccleſiâ ſumere.* Si facilè, ergò non adeò perplexæ ſunt diſquiſitionis veritates declarandæ, quin ex rectâ terminorum libratione inueniri poſsint: paulò etiam inferiùs in eodem Capite. *Quid enim, & ſi quæ de aliquâ modicâ quæſtione diſceptatio eſſet, nonne oportet in antiquiſſimas recurrere Eccleſias, in quibus Apoſtoli conuerſati ſunt, & ab eis de præſenti quæſtione ſumere, quod certum & liquidum eſt? Liquidum* ergò debet eſſe in Iudicio *Irenæi*, quòd ab Eccleſiâ declaratur, & fidelibus proponitur.

Et in hoc ſenſu benè dicitur à quodam Doctore Pariſienſi, Docto certè viro, Patriota noſtro D. *Holden* in libello Anglico cui titulus *Præfatio*

Digitized by Google

Præfatio quòd nihil poteſt proponi, vt de Fide, quod non fuerit ſemper creditum & traditum de Fide. Dico hoc eſſe verum ſi adiungatur fuiſſe vel formaliter creditum in ſe, vel in ſuo Principio, in quo neceſſariò & euidenter includebatur, & per neceſſariam & euidentem conſequentiam infertur: & niſi ſic intelligatur, omnia ferè Concilia deſtruet, imò vix vllus erit finis Conciliorum, nam ſemper agerent rem actam. Hoc ſpeculanti patebit.

Diuus etiam *Bonauentura* 4. d. 44. q. 1. loquens de veritate ignis infernalis, quem ipſe licet teneat eſſe corporeum cum communiori Doctorum, vult tamen nihil de hac re temerariè eſſe ſtatuendum; nempè tanquam ad Fidem ſpectans, quòd hanc quæſtionem, nec Scriptura determinet, nec *S. Auguſt.* explicet: apertè intimans ad Fidei terminationes, vel expreſſos Scripturæ contextus, vel Sanctorum Patrum interpretationes, omninò requiri, & meritò; nam alioquin ſi ex quâcumque diuinorum & naturalium coniũctione, vel veroſimili Scripturæ explicatione, aut tali quali textuum ad inuicem comparatione, erui poſsit dogma Fidei, mirabilis eſſet rerum commixtio & confuſio: vtique cùm nihil definiri poſsit, niſi quod traditũ eſt, ſecundùm modum loquendi Sanctorum Patrum, quod verò traditum eſt, niſi clarè fuerit in Scripturis, vel clarè indè deductum, non aliundè conſtare poteſt, niſi per publicum Eccleſiæ ſenſum.

Nulla igitur conſequentiarum ſaltem laborioſa & perplexa deductio, ſed teſtimonium, quod omnibus ſtatim obuium eſt, Eccleſiæ & Chriſtiani populi conſenſu, abundè concilium certum, quid de Fide declarandum eſt, reddit; ſecundùm illud *Conſentij* citati, *Non tàm ratio quærenda de Deo, quàm authoritas eſt ſequenda Sanctorum.* Et hoc modo, vt cæteros ſui temporis hæreticos proſtrauit *Auguſt.* Manichæos tract. 34. in *Ioh. Improbemus itaq; huiuſmodi, quem ſancta ab initio anathematizauit Eccleſia.* Et huc ſpectare videtur, quod ex *Irenæo* l. 3. c. 3. citare ſolent. *Traditionem Apoſtolicam in toto mundo manifeſtam, in Eccleſia adeſt perſpicere omnibus qui vera velint audire*, vbi licet de re particulari agat, inſinuare tamen videtur, Traditiones Fidei debere eſſe manifeſtas. Huic conſonat illud *Auguſtini* contra *Epiſtolam* (quam vocant)

Digitized by Google

alij ſuperiùs in eodem Capite citati. De ſecundo idem prorſus dici poteſt, licet Græci ſuos ſenſus, non Eccleſiæ ex Spiritu Diuiſionis; *Photium*, non Patres, ſecuti controuerſias àcerrimas mouerent. Vndè Doctor *Subtilis* 1. d. 11. q. 1. ſecutus doctiſsimum *Linconienſem*, ſuper finem Epiſtolæ de Triſagio, æſtimauit *ipſam contrarietatem non eſſe veraciter realem*, ſed vocalem, & exortam non ex amore *veritatis*, *ſed propriæ dictionis*: vt olim declarabat *Athanaſius*, in grauiſsimo diſsidio Eccleſiæ Orientalis & Occidentalis de *Hypoſtaſi* & *Perſonâ*, prout plerumque etiam in re exploratiſsimâ apud Sapientes ſolet, & hoc certè proceſſus totius rei euidentiſsimè oſtendit in actis *Florentini*. Et ideò *Beſſarion*, in ſuâ ad Græcos Epiſt. de hoc agens dicit. *Ex quibus ſingulis eadem Fidei veritas facilè probatur, quam olim & modò Catholica Romana Eccleſia docet & tenet, quam prius tota vniuerſa Eccleſia complectebatur.* In re igitur non potuit eſſe difficultas.

Deindè obſcuritas veritatis definiendæ, non poteſt argui ex hæreticorum vel Schiſmaticorum argutijs, qui ſpiritu erroris obducti, teſtante Apoſtolo, etiam renitente proprio iudicio, veritati licet *manifeſtæ* aduerſantur. Et ſecundùm ſenſum illum dicit *Auguſt.* libro de Gratiâ Chriſti contra *Pelagium* & *Cæleſtium* c. 42. *Hæretici ſecundùm ſuum ſenſum Scripturas ſacras legunt.* Hoc eſt, ſecundùm ſenſum, quem fingere volunt.

Addam etiam vnum notabile, cuiuis erudito Conciliorum inſpectori facilè obuium, quod altercationes acerbiores, quæ ſubindè in rerum examine in Concilijs interuenerunt, potiùs de modo explicandi veritates declarandas, quàm de re ipsâ, vt plurimùm fuerunt. Infinitæ adferri poſſunt de his inſtantiæ, in ipſis Conciliorum Actis. Redeamus.

12. Summa igitur eſt, quòd tàm *neceſsitas*, quàm *euidentia* conſequentiæ modo ſuperiùs explicato interuenire debet ad hoc, vt Eccleſia infallibiliter definire valeat, & hoc eſt, quod dicit *Occhamus* p. 1. l. 1. quòd conſequentiâ non ſolùm neceſſariâ, ſed *manifeſtâ* inferantur omnes veritates de neceſsitate *ſalutis credendæ*: aliàs certè videtur, quòd fundamentales non ſunt, licet adminicula & Fidei illuſtratio-

Digitized by Google

tur, ſecundùm præſtantſiſimos hos Patres & Theologos debet eſſe *perſpicua*, non cõſequentiarum deductionibus *laborioſis* inuoluta. Cum hâc tamen doctrinâ benè ſtat & ſtare debet proloquium illud Scholaſticorum, Eccleſiam ſimpliciter non poſſe errare *in Fide*, licet benè *circa Fidem*, ſeu *in appendicibus Fidei*, hoc eſt, vt alij loqui malunt, in non fundamentalibus, ſeu non neceſſarijs, vt ſæpiùs dictum eſt.

Vidi impreſſum in *Reſolutionibus* cuiuſdam Doctoris Pariſienſis, Quòd *Veritates, ſeu propoſitiones, quæ ab Eccleſiâ vniuerſali infallibiliter determinari poſſunt, duplicis ſunt generis.* Vel enim ſunt ipſæ veritates immediatè, & in ipſiſmet terminis reuelatæ; vel ſunt conſequẽtes ſeu illationes ex illis. Prioris generis veritates poſſe ab Eccleſiâ vniuerſali infallibiliter *definiri*, &c. Poſterioris autem generis propoſitiones bifariam diuidimus: vel enim *euidentiſſimè* & *primo intuitu* conſtabunt cui cuiuſque ſanæ mentis proponantur, &c. Vel quæ ſtudium aliquod & Scientiam requirunt ad huiuſmodi ſequelæ, ſeu conſequentiæ euidentiam percipiendam. Quæ quidem euidentia maioris vel minoris certitudinis apparebit, tùm iuxta ſubiecti perſpicuitatem, vel obſcuritatem, tùm etiam iuxta ratiocinantis doctrinæ & ingenij gradum. De prioribus, abſolutam concedit infallibilitatem. De his verò poſtremis *canonicam tantùm reſpectu totius Eccleſiæ; Quibus ſcilicet ſicut & quibuſcumq; alijs vniuerſalis Eccleſiæ decretis firmiter ſtandum eſt, nec vllatenus reluctandum.* Vocat igitur *canonicam* infallibilitatem illam, cui debetur *canonica*, id eſt, externa obedientia. De quâ re alibi acturus ſum; nam latitudinem illam amplecti non poſſum, nimis ſcilicet reſtringere videtur per Canonicam infallibilitatem, quæ eſt verbalis, priorem quæ eſt realis.

Digitized by Google

CAPVT XIV.

Definitiones Conciliares, an & quæ de Fide?

1. SEntentia hactenus tractata ægrè admittit Syllogiſticos, ſaltem laborioſos & perplexos diſcurſus ad eruendas veritates de Fide ex immediatè reuelatis; ſed prorſus exigit, vt ex ipſis præmiſsis expreſsè reuelatis, vi terminorum ſine difficili & perplexâ libratione, pateſcat neceſsitas connexionis concluſionis; non cuiuis, quia tunc nulla opus eſſet *diſquiſitione*, quam tamen adhibuerunt Apoſtoli & omnes Patres in Concilijs. Et hinc errant Hæretici, vt *Arrius*, &c. non ideò, quia rationem adhibebat, ſed quia falſam rationem; *nam ſi vera ratio eſſet, non vtique erraſſet*; vt loquitur *Aug.* epiſt. 222. Intelligi ergò debet hæc doctrina reſpectu cuiuſuis intellectus capacis, & rectè ad huiuſmodi diſpoſiti, vt capite præcedente notaui. Quæ etiam eſt à fortiori, opinio illorum Pariſienſium Doctorum in primo Cap. expoſita: neceſſariò nempè ſequitur ex Theſi illâ, concluſiones quæ non clarè continentur in præmiſsis reuelatis, non poſſe eſſe de Fide. Imò *Molina* loco jam citando, tenendo Antecedens ſcilicet Theſim illam, addit vlteriùs per modum conſequentis neceſſarij, nullas Concluſiones poſſe eſſe de Fide, quæ per diſcurſum, licet neceſſarium & conciliariter actum ex reuelatis inferuntur: quod tamen puto falſum, vt ex dictis in priori capite, & dicendis conſtabit, nempè quando præmiſſæ reuelatæ, identitatem obiectiuam habent cum concluſionibus declarandis.

Firmum tamen apud eum eſt, Concluſiones quæ ex Fide per explicatam concluſionem deriuantur, Theologiæ propriè eſſe, non Fidei: vtique ſunt virtutes planè diuerſæ, nec earum conditiones vel naturæ variari poſſunt, ex hoc, quod Concilia definiant has vel illas per diſcurſum erutas.

Nimirùm certitudo Fidei ex principijs diuinitùs reuelatis, ex toto dependet; veritas autem concluſionis Theologicæ, partim diuinæ re-

uelationi,

Digitized by Google

uelationi, partim lumini naturali, ſcilicet diſcurſui innititur. Si igitur non aliter ad Fidem ſpectare appareat, quàm per elaboratam Theologiæ ſemitam, ſeu diſcurſum Theologicum, Fides non ſunt, nec error eis oppoſitus erit ſimpliciter error in Fide, licet imperfectè & in aliquo gradu ei quaſi aduerſus fuerit. Hæc ſumma.

Hanc ſententiam ſine vllâ prorſus modificatione tenet *Molina* ad 1. p. q. 1. a. 2. diſp. 1. in prim. & diſp. 2. ad 3. apud *Theodorum. Smiſings* proem. q. 1. n. 21. & deinceps. Et ideò ſimpliciter dicit *Definitiones Eccleſiæ non eſſe de Fide, ſed tantùm intra latitudinem certitudinis Theologicæ, eſſe certiores definitionibus priuatis Theologorum, vtpotè ob aſſiſtentiam Spiritus Sancti ita certas, vt illis falſum ſubeſſe nequeat.*

Sed quia rectè docet Philoſophus de cœlo l. 1. Summa 10. c. 1. tex. 10. *Simul autem, & magis vtique* credibilia erunt dicenda ijs, qui ante audierint dubitatorum ſermonum iuſtificationes. Nam videri in dictâ causâ condemnare minùs vtique *nobis inerit*, &c.

Audiamus igitur & expendamus Præcipuum quòd ponit *Molina* fundamentum. Ponit igitur tanquam *Baſim*, Quòd *Eccleſia non habet poteſtatem faciendi aliquid de Fide, quod anteà non erat de Fide: tùm quia Eccleſia non habet nouas reuelationes, tùm etiam quia illud fuit ſpeciale priuilegium Canonicarum Scripturarum, quòd juxta ſententiam Pſalm. 44. eſſent velut Calamus ſcribæ velociter ſcribentis, Spiritus Sancti immediatè illos mouentis, & non mediante operoſâ inquiſitione, per quam Eccleſia procedit ad ſuas definitiones more Theologico: at ea, quæ Eccleſia definit non erant de Fide, ante definitionem Eccleſiæ, ergò nec poſt illam ſunt de Fide.* Hæc ſumma. Addit verò *Smiſings* n. 22. *Hæc tamen doctrina non eſt probanda*: & reſpondet ibi ad rationes Molinæ. *Molina tamen conſequenter ad ſuam ſententiam docet fideles, non per habitum Fidei, ſed Theologiæ aſſentiri definitionibus Eccleſiæ, adeòq; non per actum Fidei, ſed Theologiæ: ac deniq; definitiones Eccleſiæ non eſſe propriè principia Theologiæ, cùm ſint eius Concluſiones.* In quo vltimo conſentit *Canus* ab ipſo allegatus, ex l. 12. de Locis c. 3. qui tamen ſentit definitiones Eccleſiæ eſſe de Fide: cùm etiam id tribuat alijs Concluſionibus Theologicis deductis euidenter ex vnâ de Fide & alterâ euidente, vel ex vtrâque de Fide.

Meritò

Digitized by Google

Meritò quidem dicit *Smiſings* hanc eius ſententiam *non eſſe probandam.* Quòd vt appareat.

2. Suppono in ipſius *Molinæ* & omnium Orthodoxorum ſententiâ, fideles teneri *credere* ijs Eccleſiæ declarationibus (quocumque nomine vocentur apud eum.) Quòd verò tenemur *credere* ijs, quæ non ſunt *Fides* vel *de Fide* (vt loquuntur) cùm ipſum *credere* ſit actus Fidei, ſecundùm omnem, vti opinor Theologiam, & habet pro objecto id à quo ſpecificatur Fides; haud capere poſſum.

Secundò, quòd detur aliqua veritas adeò certa; quòd ipſi nullo modo poſsit ſubeſſe falſum, non loquimur de veritate objectiuâ ſeu in ſe, quia vt ſic, ſiue fuerit naturalis, vel ſupernaturalis non poteſt eſſe falſa, vt patet: Sed de formali, ſeu prout objectiua ſubijcitur noſtro diſcurſui, quòd talis dico veritas ſupernaturalis, ſeu cōcluſio ex principijs ſupernaturalibus deducta ſit adeò certa, &c. Nec tamē ſit de Fide, videtur eſſe nouū: quod ſi nouū, in rebus huius generis erit falſum, ſi expendantur veteres. Nam apud illos idem crimen eſt καινοδοξία & ἑτεροδοξία; Vndè illud *Auguſt.* l. 3. contra *Iulian.* c. 3. *Mira ſunt, quæ dicitis, Noua ſunt, quæ dicitis, falſa ſunt, quæ dicitis; Mira ſtupemus, noua cauemus, falſa conuincimus.* Loquitur vtique ſanctus Doctor de Dogmatibus Pelagianorum, quæ ideò dixit *falſa* quia *noua*, & ideò *conuincenda*, quia primò *cauenda*. Vnde *S. Thom.* in 2. 2. q. 11. a. 1. dicit. *Hæreticus eſt, qui falſas vel nouas opiniones, vel gignit, vel ſequitur.* Et hac in parte ſequitur, quem paulò ante citauerat *Auguſt.* l. de vtil. cred. Vbi iiſdem fermè verbis definit Hæreticum. *Hæreticus eſt, qui alicuius temporalis commodi & maximè gloriæ Principatus ſui gratia, falſas ac nouas opiniones, vel gignit, vel ſequitur.*

Optimè ſanè dici poteſt de Eccleſiâ, quoad vetuſtatem credendorum, quòd olim de Spartâ adagij locum obtinuit. *In ſolâ Spartâ expedit ſine jure: Lycurgus,* vt æternitatem Legibus ſuis daret ſe eas ex præcepto Numinis detuliſſe: ſcilicet ex *Apolline Delphino*, finxiſſe refert *Iuſtinus* l. 3. Lex Fidei noſtræ non fictitiè, ſed verè ex præcepto Numinis eſt perpetuanda, ergò, &c. Et ideò, vt *Lycurgus* jurejurando obligauit ſuos, nihil eos de eius legibus mutaturos, priuſquam reuerteretur,

teretur, idem quoad rei ſubſtantiam facit Eccleſia ad perpetuationem legis Euangelicæ in ordine ad ſuos, vt ſcilicet ſemper nouitas, & proinde falſitas caueatur.

Omnia quæ hac in re deſiderari poſſunt, in compendium reduxit *Baſilius* hom. 27. contra Sabellianos. *Hortamur autem vos, ne quouis modo quod vobis probetur, ex nobis audire quæratis; ſed quòd Domino placeat, & conſonum ſit Scripturis, nec Patribus contrarium ſit.* In his duobus omnia ſunt.

Tertiò per hanc doctrinam *Molina* non euadet Scopulos illos, quos maximè cauebat: motiuum ſcilicet ſuæ opinionis eſt, conſtans Patrum loquendi ſtilus, De non innouatione in materiâ Fidei, ſeu eius non accretione. Et ideò propter Eccleſiæ recentes (quas videt in Concilijs) Fidei explicationes, ne videatur Eccleſia peccare contra Patrum receptam Doctrinam, non vult eas eſſe Fidei declarationes.

3. Ad alterius generis doctrinæ infallibilis additiones, fundamentum illud quod ex Patribus rectè obſeruauit, ſolidum eſt, & optimè militat contra ea, quæ ſuo loco notaui ex Valentiâ; ſed quòd ſuper hoc aſtruxit planè indignum tanto authore (pace eius dixerim) mihi & alijs doctioribus videtur.

Vtique ſi ingenuè ſpectetur res in ſenſu Patrum, ipſi volunt, quòd non accreſcat materia *credendi*, ſeu quòd Eccleſia non proponat in Concilijs nouam doctrinam, cui credere teneamur; ſed antiquam ſolùm & ſemper applicent: vtique ſemper acclamarunt cum *Stephano* Papa, *Nihil nouandum, niſi quod traditum eſt.* Quod in cauſâ Cypriani, tunc per Eccleſiam conciliariter definiendâ admonuit *Stephanus*, & deinceps ſecuti ſunt omnes: adeò, vt Patres in omnibus veteribus Concilijs, dum aliquam veritatem declarabant, ſe nihil noui Eccleſiæ propoſuiſſe *credendum* ſemper clamarint: & perindè eſt quoad intentum Patrum, quòd vocemus eas veritates Theologicas, vel *de Fide*: nam non negabit *Molina*, vt jam notaui, quin teneamur ijs *credere*, & ſic erunt noua *credendi* materia, quam ſemper negarunt Patres. Hoc paſsim oſtendo in hoc opuſculo.

Quartò, quod vel maximè notandum eſt, Patres in Concilijs poſt

V definitio-

Digitized by Google

definitiones jam conceptas & concordatas acclamare ſolebant. *Hæc Fides Patrum, hæc Fides Apoſtolorum.* &c. Et vt habetur in multis Concilijs: *Nulli liceat aliam Fidem proferre*, &c.

Per definitiones igitur Conciliares *Fidem* intelligebant.

Demùm Hæritici non ſolùm reputabantur, ſed re quidem verâ ſic erant in Iudicio Patrum, qui reluctabantur eorum decretis in materiâ definitâ, & dogma contrarium frequenter hæreſis declarabatur. Hæreſis verò eſt peccatum contra *Fidem*, vt in materiâ de Fide declarant Doctores. Ergò vt priùs. Hæc leuiter per tranſennam. Fortiùs conuelli poſſet hoc eius dogma, ex principijs & argumentis ſcholaſticis & Metaphyſicis, cuiuis Theologo facilè obuijs; ſed non eſt opus in re tàm clarâ prolixiores inſtituere diſputationes.

Veritas verò horum neminem latere poſſet, qui Conciliorum ſtilum obſeruauit; nam in ſingulis penè Cõcilijs, imò ſingulis ferè Cõciliorum paginis reperitur, vt ſæpè ſæpius pro re natâ oſtendo, nec eſt hîc opus repetere.

Quibus ſuppoſitis ſequitur *Molinæ* ſentẽtiam eſſe æquè cõtra veteres, ac eorum qui nouas introducunt reuelationes (quas negat *Molina* & rectè) vt ſaluarent Eccleſiæ (quos ipſi exiſtimant) nouos Fidei articulos. Admiſſâ verò hâc *Molinæ* opinione, periculoſæ inferẽtur conſequentiæ, vt (ex dictis) ſpeculanti patebit. Vtique ſi definitiones Conciliares, non ſunt de Fide, ſed continentur *intra latitudinem certitudinis Theologiæ*, vt aſſerit ipſe: certè alia quæ gratis addit, ſcilicet (quòd *ob aſſiſtentiam Spiritus Sancti illis non poteſt ſubeſſe falſum*) non eximent illas ab Academicâ certitudine. Nam dato primo, ſecundum quod addit, defectu fundamenti ruet, & ſic peribit Fides. Imò certè videtur eſſe ἀντιλογία, *Contineri intra latitudinem certitudinis Theologicæ*, & tamen *non poſſe ſubeſſe falſum.* Nec *aſſiſtentia Spirtus Sancti* mutat naturas rerum, v. g. Deus non poteſt permittendo hominem eſſe hominem, auferre per quamcumque actionem eſſentialia hominis. Sic ſi definitiones Fidei *continentur intra latitudinem certitudinis Theologicæ*, quæ intrinſecè diſtinguitur à certitudine, cui *non poteſt ſubeſſe falſum* (vt in Scholis communiter conceditur, & apud Theologos probatur,

nempè

Digitized by Google

nempè inquantum præciſè certitudo Theologica eſt) quomodò per illam aſſiſtentiam, non mutatis rei intrinſecis, eò euehentur definitiones? Quòd tamen à viro Catholico concedi debet, ſcilicet quòd eis non poteſt ſubeſſe falſum.

Deinde hi noui loquendi modi, quos veteres ignorarunt vel ſaltem ignoraſſe puto, non explicant, ſed implicant veritatem aliàs *apertam*, nouis & quidem intricatiſsimis difficultatibus, vt ex hactenus dictis, licet leuiter tactis, eliciet Lector.

4. Nec certè propter eaſdem rationes, aliud ferre poſſum iudicium de doctrinâ *Becani*, in Sum. par. 2. to. 2. c. 1. vbi & alibi excogitauit *Fidem quandam* mediam inter diuinam & humanam, quam dicit inniti Eccleſiæ teſtimonio infallibili.

Dicit: *Tripliciter credi poteſt Deum hoc vel illud reuelaſſe. Primò propter ſe, & tunc eſt aſſenſus Fidei Theologicæ. Secundò propter authoritatem Eccleſiæ dicentis, & tunc non eſt aſſenſus Fidei Theologicæ, ſed alterius inferioris ordinis*, &c. Certè videtur hîc valere, quòd habet *Baſilius* in Pſ. 115. *Quiſquis non à Fide, ſed à ſeipſo mutuatus auxiliarem verborum vim ad dicendum proſilit, ad veritatis apprehenſionem ſuppellectile nitens, atque apparatu humanæ eloquentiæ, mendax eſt, cum à veritate longiſsimo ſe abarceat ac deerret interſtitio.*

Eccleſia nullibi videtur dediſſe teſtimonium huius nouæ Fidei, quæ ſine dubio latebat omnes veteres, tàm Patres, quàm Theologos, & æquè periculoſas patietur conſequentias. Vbi enim nulla eſt Diuinitas, nulla prorſus erit infallibilitas, modo ſupra explicato, & per conſequens euacuabitur teſtimonium Eccleſiæ, in rebus licet grauiſſimis. Deindè difficile valdè erit declarare homini Theologo, vel Philoſopho, cuius generis entium ſint, vel ad quam rerum claſſem reduci debeant talia, quæ nec ſunt ordinis diuini, nec humani. Sed hic ſi vllibi, valet illud *Auguſtini* Epiſt. 50. ad *Bonifac.* militem. *Eccleſia Chriſti non litigioſis opinionibus fingitur, ſed Diuinis atteſtationibus comprobatur.* Imò certè talia diſputare non eſt *plantare vineam, ſed eradicare: non eſt paſcendos congregare, ſed perdendos à grege ſeparare*, vt loquitur *Auguſt.* ſub fin. Epiſt. 89. Hæc omnia ex literis Conciliorum & Sanctorum

Patrum, qui priores nobis in Catholicâ Eccleſiâ viuentes, diuina eloquia tractauerunt, ideò examinanda arbitror, *Vt ſciat iſte frater, ſi quid aliter, quam iſte ſentit, depoſitâ diſſenſionis amaritudine, & fraternæ Charitatis ſuauitate ſeruatâ, atque in integrum reſtitutâ, diligenti & tranquillâ conſideratione quærendum, vel dicendum, vel docendum. Neq; enim quorumlibet diſputationes, quamuis Catholicorum & laudatorum hominum velut Scripturas Canonicas habere debemus, vt nobis non liceat ſalua honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum Scriptis improbare, atque reſpuere, ſi fortè inuenerimus quòd aliter ſenſerint, quam veritas habet, diuino adjutorio, vel ab alijs intellectâ vel à nobis*, vt *Aug.* Epiſt. 111. Verè igitur de *Molinæ* & *Becani* hâc in parte doctrinâ concludam, cum *Cicerone* de Diuinatione l. 2. *Sunt artis inuenta non vetuſtatis, ſi eſt ars vlla rerum incognitarum.* Vel vt ſanctiùs loquitur *Arnobius* l. 5. *Argutiæ ſunt, vt apparet, atque acumina hæc omnia, quibus fulcire ſolemne eſt malas in iudicijs cauſas, non Sacroſanctas Fidei noſtræ veritates, quæ non niſi veritati nituntur.* Non tamen per hæc lædere volo honorem horum doctiſſimorum virorum, qui in multis inſigniter de Eccleſiâ meriti ſunt, ſed has eorũ ſingulares explicandi vias amplecti non poſſum.

5. Tandem *Catherinum* amplexum fuiſſe ſententiam in præcedenti capite & ſub initio huius explicatam *De perſpicuitate & neceſſitate* Concluſionum, vt de Fide definiendarum, facilè patet apud eum in locis alibi citatis, imò & Patribus Tridentinis attribuit, ſed ipſa Tridentini verba referam, cuius primi decreti hæc ſumma fuit. *Synodum proponentem ſibi ante oculos conſeruationem puritatis Euangelij, quod Prophetæ promiſerint, Chriſtus ipſe promulgauerit, Apoſtoli deniq; ſalutaris omnis veritatis, morumq; diſciplinæ fons prædicauerint, ſimulq; perſpicientes veritatem hanc & diſciplinam contineri libris ſcriptis, & ſine ſcripto Traditionibus, quæ ab Apoſtolis acceptæ, ab ipſius Chriſti ore, & à Spiritu Sancto dictatæ, quaſi per manus traditæ Eccleſiæ ſunt: Orthodoxorum Patrum exemplo, omnes libros, tàm veteris, quàm noui Teſtamenti, necnon Traditiones, tàm ad Fidem, quàm ad mores ſpectantes, ab ore Chriſti profectas, vel à Spiritu Sancto dictatas, & in Eccleſiâ Catholicâ continuâ ſucceſſione conſeruatas, pari pietatis affectu & reuerentiâ ſuſcipere.*

Poſtea,

Poſtea, ſubiecerunt Patres. *Id ideò fieri, vt omnes intelligant, quibus præcipuè fundamentis in confirmandis dogmatibus, & inſtaurandis in Eccleſiâ moribus, Synodus ſit vſura.* Ex quibus verbis intimare videtur Concilium, nihil tanquam de Fide declarandũ, quod non fuerit ſcriptum, vel ab Apoſtolis dictante Chriſto & Spiritu Sancto, Eccleſiæ per conſtantem ſucceſsionem traditum. Sed hoc ego intelligo, & intelligendum prorſus iudico, vel in ſe *ſpecificè*, vel in ſuo principio *clarè, indubitatè* & *immediatè*: adeò vt (multoties dixi) debeat eſſe in re, ſeu realiter loquendo vera identitas in vtriſque: aliàs antiqua reuelatio antecedentis, non poteſt verè dici attingere illud conſequens declarandum & ideò, nec poteſt diſcurſus ille Conciliaris ſimpliciter dici, niti reuelationi diuinæ; ſed ex parte lumini naturali, vt dictum eſt, quod non poteſt euehi ſupra Concluſionem Theologicam.

Cùm igitur dicat Concilium, Patres vſuros prædictis fundamentis, non loquitur, niſi de certis & immediatis, reſpectu quorum, propriè ſolum dici poſſunt habere rationem fundamentorum; vbi tamen obſeruandum, quòd quandoquidem vniuerſale à parte rei (non agitur hîc de formalitatibus) nihil aliud ſit, quàm omnia ſingularia, vt realiter loquendo, conueniunt omnes Metaphyſici, etiam Scotiſtæ: conſequens eſt, quòd Deus reuelando propoſitionem aliquam vniuerſalem, reuelat ſingula particularia, v. g. ex hoc quod reuelatur hæc vniuerſalis, *omnis homo eſt mendax*, etiam reuelatur *Petrum, Paulum*, &c. eſſe mendaces, quantùm eſt de ſeipſis. Et ſic ex huiuſmodi antecedentibus, etiam vniuerſalibus ſine nouâ reuelatione, poteſt infallibiliter definiri, ſeu declarari talis particularis concluſio ſimpliciter contenta in illis. Dixi non agi hîc de formalitatibus, quia ſic loquendo de formalibus conceptibus graduum vniuerſalium, ſeu Metaphyſicorum, certùm eſt conceptum entis, non eſſe conceptum hominis, ſed potentialiter ſolùm continere eum: & hinc in propoſitionibus *ſecundi adjacentis* (vt loquuntur Logici) non rectè infertur, *ens eſt, ergo homo eſt*, &c. hoc tamen non impedit, quò minùs ſi aliquid vniuerſaliter prædicetur de illo, prædicetur etiam de inferioribus eius, v. g. *omne ens eſt exiſtens, ergò homo, Brutum*, &c. exiſtunt,

quia ſic ſumitur, non vt ante præciſè, & (vt dicunt) abſtractiuè, ſed adæquatè: & tunc idem eſt quod inferiora, vt ſuperiùs dixi, & Antecedens neceſſariò infert conſequens, & eiuſdem prorſùs generis erit conſequens cum antecedente: non quidem in quantum infertur conſequens per diſcurſum ſyllogiſticum, quia ſic nititur lumini inferioris ordinis, ſcilicet naturali, quod non ſufficit ad generandum Fidem; ſed in quantum, vt dixi, ipſum conſequens eſt idem conceptus obiectiuus cum antecedente, quia vt etiam dixi, vniuerſale à parte rei eſt ipſa ſingularia, per hunc diſcurſum applicata, ſeu explicata, & ſic eſt omninò eiuſdem ordinis; licet dicat Ariſtoteles 2. Prior. c. 20. *Contingit ſcire omnem mulam eſſe ſterilem, & dubitare de hâc.* Sed hoc intelligi non poteſt in ſenſu adæquato, quem expoſui, & reſpectu hominum terminos ritè expendentium, vt eſt Concilium ex tòt ſapientibus conflatum. Reliqua verò quæ in Concilijs dici poſſunt, licet Fidei proxima, & quaſi adminicula, ſeu Fidei fulcra dici queant, non tamen ipſa Fides: & ideò inter piè credenda ſolùm reponenda ſunt, vt etiam conueniunt omnes Theologi cum *Caſtillo* mox citando.

6. Dices multas concluſiones prioris generis, quas ſcilicet Eccleſia poteſt, vt de Fide definire, quia in antecedentibus expreſsè traditis, vel ſcriptis contentas, heri non fuiſſe de Fide, & ideò contra Patres, Fidei articulos creſcere, & de his infinitæ ſunt inſtantiæ in omnibus penè Concilijs.

Reſpondeo illas fuiſſe ſemper de Fide; licet non in eodem gradu obligaſſe conſcientias Fidelium: quia vltra euidentiam identitatis, requiritur infallibilitas conſequentiæ, vti ſemper dixi, quæ non habetur niſi per ſpecialem Dei aſsiſtentiam promiſſam Eccleſiæ: niſi verò heri fuiſſent quoad *rem* ipſam de Fide, licet non quoad *modum*, ſcilicet quia ab Eccleſiâ nondum propoſitæ, certè hodie non poſſunt fieri de Fide. Non enim poteſt fieri de propoſitione non hæreticâ, propoſitio Hæretica, vt rectè *Gerſon* in quæſtione, *An liceat appellare in cauſis Fidei.* Doctor etiam *Subtilis.* 4. d. 11. q. 1. prope finem dicit. *Quæ veritas* (ſcilicet quæ erat declarata in Concilijs) *etſi priùs erat de Fide,*

non

non tamen erat priùs tantùm declarata, ſicut tunc contra errorem illorum, qui eam negabant, &c. erat igitur anteà de Fide ſecundùm Doctorem. Hodie verò incipiunt obligare non ſolùm ſub peccato: ſed ſpecialiùs ſub pœnâ Hæreſeos ab Eccleſiâ denunciandâ & infligendâ: dixi *ſpecialiùs ſub pœnâ*, quia fieri potuit eſſe reatus peccati, ſcilicet reſpectu ſapientium, vt loquitur *Auguſtinus*, qui ſcilicet poterant perſpicere euidentiam identitatis rei nunc declaratæ, cum antecedentibus expreſſè traditis & ſcriptis.

Huic etiam conforme eſt illud apud *Ricium* in Epitome Talmudicæ doctrinæ, ſeu in libro, quem vocant *Senatorum compendium*, vbi agitur de diſtinctione Mandatorum Moſaicorum. *Tertium genus, eſt eorum quæ non Moyſis ore tradita, ſed quâdam ſyllogizandi lege expoſitâ, & propterea tale ſanctionum genus, multimoda opinionum ſortitur diſcrimina: Attamen ea quæ numeroſior pars Sapientum affirmat, amplectuntur & ſeruāt.* Additur. *Quartum eſt genus inſtitutionum, quas varijs temporum Curriculis ſonuere Prophetæ, & præſtantes ſapientia viri, non quia ſic dictauerit lex, ſed vt eſſent velut ſeps & propugnaculum legis, ne facili tranſgreſſu radicalia legis mandata irrita fierent.* Hactenus Synagoga, nec incongruè.

7. Sed redeam ad acta & modum agendi Tridentini, vbi ex fundamentis expoſitis exortum fuiſſe facilè crediderim, quod à toto Concilio acclamatum fuerit, ne quicquam decerneretur, quod eſſet inter Scholaſticos & Catholicos controuerſum. Ambo etiam legati Apoſtolici, Concilij Præſides declarabant, nihil decidendum contra Catholicorum ſenſum, ſed tantùm contra Lutheranorum aſſertiones; imò ipſa Bulla Papalis coactiua Concilij planè dicit, Concilium ineundum, *ad extirpandum Hæreſes & erroneas doctrinas, non ad ſtatuenda noua dogmata Fidei, quantùm ad ea pertinet, quæ nemo hactenus damnauit.*

Si igitur non habebantur inter errores ante Concilium, non pro erroribus jam reputari debent in iudicio huius grauiſsimæ Synodi. Et ideò ſeſſ. 2. aperta hæc verba habentur. *Cùm huius Sacroſancti Concilij præcipuus hîc ſit Scopus, vt diſiectis hæreſum tenebris (quæ tamdiu terram operuerunt) Catholicæ veritatis lux effulgeat, eaq́ quæ reformatione indigent reformentur*, &c. ad hæreſum igitur tenebras expellendas, nēpè

quæ

Digitized by Google

quæ ante Tridentinum tales habebantur, (ſubdit enim) *quæ tamdiu terram operuerunt*) collimat Concilium.

8. Reſpiciat qui voluerit ſingulas Synodi actiones, & facilè erit reperire, quòd ferè ſemper dirigant determinationes contra Hæreticos. Et hinc Cardinalis *Montanus*, poſtea Summus Pontifex dum de alijs materijs tractaretur, monuit, & inculcauit Patribus, eos ad hæreſes damnandas *Tridenti* congregatos, non ad Catholicorum opiniones oppugnandas; & verè in multis grauiſsimis materijs ibi agitatis, omninò liqueſcet Patres hoc ſummè cauiſſe.

Regula vtique certa eſt inter Theologos, quòd in Conciliorum definitionibus rectè intelligendis, oportet *præcipuè* attendere ad Hæreticorum dogmata, quæ à Patribus percelluntur, vt acutè obſeruauit noſter *Theodorus Smiſings*, in eruendo ſenſum *Tridentini*, in materiâ de merito, in ordine ad juſtificationem q. 7. diſp. 6. tract. *de Prouidentiâ* n. 374.

Et ideò *Caſtello noſter* diſp. 15. de authoritate Conciliorum q. 5 hanc rem tractans, ſic loquitur. *Dicendum ergò nobis eſt, primò cùm in Concilijs dicantur multa, quæ non ſunt decreta Fidei, dignoſcitur quodnam, & vbinam ſit decretum Fidei ex intentione Concilij, quæ eſt damnare Hæreticos, contra quos congregatur tale Concilium, v. g. in Nicæno intentum fuit damnare errorem Arrij, Decretum ergò illius Concilij eſt in verbis, in quibus damnatur talis error*, &c. Hoc etiam pulchrè declarat Doctor *Subtilis* 1. d. 11. q. 1. *Diuerſa ſymbola diuerſis temporibus ſunt edita, contra diuerſas Hæreſes de nouo orientes: quia, quando inſurgebat noua hæreſis, neceſſarium erat declarare veritatem, contra quam erat illa hæreſis.*

9. Hîc igitur eſt principalis ſcopus Conciliorum, & hinc præcipuè eliciendus eſt ſenſus Concilij. Hoc etiam Philoſophandi modo ſexcenties vſus eſt *Canus* in locis, vt ſenſum *Tridentini* genuinum & connaturalem, (cui adfuit) Lectori aperiret. Huc etiam rectè aſpiciebat *Vaſquez* 1. 2. q. 203. a. 2. c. 34. &c. afferens *Sotum*, qui etiam *Tridentini* interfuit in materiâ juſtificationis, in quæſtione illâ. An fiat per juſtitiam inhærentem, ſeu ſolùm imputatiuam, dicit enim *datâ operâ, Patres abſtinuiſſe à nomine Habitus, ne de habitu aliquid definirent,*

Digitized by Google

finirent, ac proindè per Concilij definitiones declaratum ſolùm fuiſſe, juſtificari hominem non fauore & juſtitiâ alienâ, tanquam formâ; ſed juſtitiâ inhærente, huc enim conſtitutio Concilij ſpectabat, vt contra Hæreticos oſtenderet homines juſtificari non extrinſecâ juſtitiâ, vt illi dicebant: ſed intrinſecâ & inhærente. Hæc ille. Tàm cautè incedebant Patres, & quidem datâ operâ cauebant, ne *Vualdenſis* & aliorum Catholicorum Theologorum ſententiam, negãtem gratiam eſſe habitum inhærentem, damnaſſe viderentur. Verba Concilij ſunt. *Verùm quia quantùm ad effectum Baptiſmi in paruulis reperiuntur, Doctores quidam Theologi opiniones contrarias habuiſſe,* &c. Hinc Patres majorem ſolùm declarant probabilitatem in opinione affirmatiuâ, vt in ſequentibus patet. Et hinc *Vaſquez* 1. 2. diſp. 86. c. 2. Strenuè, & vt ſolet doctè & clarè laborat oſtendere etiam poſt *Trident.* non eſſe hæreſim negare omnes virtutes, ſeu habitus infuſos in nobis, licet vulgus Theologorum hoc inter Hæreſes numeret. Hinc etiam nuſpiam in aliquo Concilio definitum eſt, *ignem infernalem eſſe materialem*, licet longè major pars, tàm veterum, quàm recentiorum Doctorum illi opinioni, tanquam veriori & Sacris Scripturis conformiori adhæſerit. Eccleſia verò, nec in *Florentino*, nec *Tridentino*, (vbi opportuna licet non vrgens ſe offerebat occaſio) eius definitionem intentare voluit, nempè ex Neotericis *Cajetanus*, *Catherinus* & alij literã Scripturæ non de vero reali & materiali igne intelligendam publicè contenderunt. Ex veteribus *Bonauentura* l. 4. d. 44. Saltem de non neceſsitate Fidei ſic capiendum putauit. Sic etiam *Fuſca* tractatu de *Inferno* fusè. Et ideò Concilia, quæ in Hæreticorum dogmata conuellenda coguntur, horum Catholicorum opiniones facilè condemnare non voluerunt.

Roffenſis tamen ad ar. 4. dicit, Quòd *ex vniuerſâ diſputatorum turbâ nemo eſt,* &c. *Qui non teneat omnes in Inferno ab igne pati,* &c. Quamquam de modo diſcrepent, vt ibi oſtendit. *Auguſt.* quidem Epiſt. 120. c. 23. dicit. *Poſſunt tenebræ exteriores intelligi pœnæ Corporales.* Poſtea. *Corporis autem mala, quibus æternis in finem torquebitur, exteriores tenebræ, quas ſolas timent, qui ſeruili adhuc timore detinentur.* *Orig.* in περιαρχων omninò negat aliam, quam conſcientiæ

X punitionem.

punitionem. D. etiam *Petrus Chryſologus* ſerm. 122. agens de Diuite ad *Abraham* ex inferno, clamante, ſic loquitur. *Erras Diues, hæc flamma, non tàm linguæ, quàm Cordis eſt: & adhuc iſte Conſcientiæ Calor eſt, non illud extremum, quod te manet & expectat incendium.* Poſtea. *Niſi quia cùm pectus tuum anhelat, flamma ſui criminis eſt reatus, magis lingua vritur, ardet, æſtuat, quæ inſultauit pauperi,* &c. *Iohannes* tandem *Damaſcenus de Orthodoxâ Fide* l. 4. c. 28. ſic loquitur *Diabolus & ipſius dæmones, & ipſius homo, hoc eſt Antichriſtus, & impij ac flagitioſi homines, in ignem æternum, non materia inſtar huiuſce noſtri conſtantem; ſed qualem Deus nouit, conijcientur.* In Dialogo verò contra Manichæos, ſic loquitur. *Iuſti quidem Deum cupientes, eoq; ſemper fruentes, oblectantur: peccatores contra peccatum cupientes, nec peccati materias habentes, tanquam igne & verme corroſi, cruciantur omni prorſus conſolatione deſtituti. Quid enim aliud pœna eſt, quam rei expetitæ priuatio?* &c.

10. Illa etiam *Cajetani* licet opinio valdè ſingularis, & ſecundùm receptiſsimam ipſius *Cani* & totius Scholæ ſententiam, omninò falſa & periculoſa, de ſufficientiâ contritionis ſine præuiâ Confeſsione ad dignam Euchariſtiæ ſumptionem, de quâ agitur Canone 11. & poſtremo, tamen vt laborioſè oſtēdit *Canus* de authoritate Conciliorum l. 5. ſententia illa non fuit pro hæreticâ condemnata. Addit, *& nos teſtes ſumus, qui concilio interfuimus, & contextus ipſe demonſtrat,* &c. Nempè benè ſpeculanti, (aliàs certè inſpiciendo Concilium) ſecundùm vulgarem Theologorum ſtilum, difficulter eximetur hæc ejus opinio ab hæreſi.

Illa etiam altera *Catharini*, & (vt ille contendit) *D. Thom.* opinio, de intentione Miniſtri in Sacramentis conferendis, præſertim in Baptiſmo, voluit vtique ille nullam aliam intentionem requiri, quam externam, ſeu quæ comitatur actus externos, lotionis & debitæ formæ prolationis: quam ſententiam licet inter Scholaſticos prorſus rejectam, in facie Concilij ſuſtinuit, & publici iuris fecit, nec condemnare cenſuerunt Patres, vt ipſe & alij proteſtati ſunt.

Aliquibus videtur eſſe ſententia *Auguſt.* Epiſt. 23. vbi latè hoc ediſſerens dicit: *Nec illud te moueat, quod quidam non eâ Fide ad Baptiſmum percipiendum*

Digitized by Google

percipiendum paruulos ferunt, vt gratia ſpirituali ad vitam regenerẽtur æternam: ſed quod eos putant hoc remedio temporalem retinere vel recipere ſanitatem. Non enim propterea illi non regenerantur, quia non ab iſtis hâc intentione offeruntur. Celebrantur enim per eos neceſſaria *Miniſteria* Quòd verò de Miniſtris agat, putant patere his verbis. *Non rectè his dicitur: Nolite verba Sacramẽtorum, ſine quibus conſecrari paruulus non poteſt, recitare; Spiritus autem ille Sanctus, qui habitat in Sanctis*, &c. *agit quod agit, etiam per ſeruitutem, aliquando non ſolum ignorantium, verùm etiam damnabiliter indignorum.* Poſtea. *Totum hoc ergò mater Eccleſia, quæ in ſanctis eſt, facit: quia tota omnes, tota ſingulos parit.* Vbi & vt etiam verbis præcedentibus, intentionem ſolam Eccleſiæ requirere videtur, & in miniſtris verborum recitationem, &c. Sic in gratiam *Catharini*, *Auguſtinum* intelligũt. Imò quidam Doctor & Cancellarius Pariſienſis, cuius nomen iam non occurrit, non adeò pridem *Catharini* ſententiam ex profeſſo docuit, & libellum ea de re ſola edidit, & alij hodie ſubſequuntur.

Auguſtinus quidem in librum 7. de Bapt. c. 53. poſt multa diſputans de valore baptiſmi collati ludicrè, tàm ex parte conferentis, quàm ſuſcipientis (quòd plus eſt, quàm tetigit *Catharinus*) ſic loquitur. Vbi autem neque ſocietas vlla eſſet ita credentium, neque ille, qui ibi acciperet, ita crederet, ſed totum ludicrè & mimicè, & ioculariter ageretur: Vtrum approbandus eſſet baptiſmus, qui ſic daretur, diuinum iudicium, per alicuius reuelationis oraculum concordi oratione implorandum eſſe cenſerem.

Vbi benè noſter *Hauzeur* Tomo 2. in *B. Aug.* Cur dubitet *Auguſtinus* de nullitate Baptiſmi ludicrè tantùm, & mimicè ſuſcepti aut collati, abſque vllâ Fide ſuſcipientium, aut conferentium, vel intentione quicquam ſeriò agendi?

Reſpondet. Quia poteſt aliquid ludicrè & mimicè geri, & tamen ſine intentione contrariâ inſtitutioni. Porro ſicut cauſæ naturales, quamuis jocò tantùm applicatæ, habent tamen ſuos effectus connaturales, niſi impediantur oppoſitione alicuius contrarij: Ita & Sacramentum Baptiſmi videtur habere ſemper aliquem effectum ſuæ Inſtitutionis, niſi obſtet obex contrariæ voluntatis. Hæc ille.

Digitized by Google

11. Illa denique *Durandi*, *Cajetanis*, *Catharini*, & Græcorum opinio de ſolutione Matrimonij ob Adulterium in Scholis quidem meritiſſimè exploditur, Concilium tamen, vt multi contendunt, can. 7. de Matrim. ſolum condemnat illos Hæreſæos, ſeu Anathemate percutit, qui dixerint Eccleſiam *errare*, hoc eſt Eccleſiæ ſententiam eſſe *erroneam* (prout Theologi ſumunt erroneam) cum docet propter adulterium non ſolui Matrimonium. Et ipſa mutatio phraſis Concilij hoc ipſis inſinuare videtur, tàm ibi, canonibus ſcilicet 7. & 8. quà ſæpius alibi, vt Canone 2. Seſſ. 5. de Communione laïcorum & Sacerdotum non celebrantium, ſaltem ſi rectè ſeries rei ſpectetur, pari paſſu non procedit contra opinionem oppoſitam in ſe, ac contra illos qui eò dementiæ venerint, vt Eccleſiam rectè docentem erroris incuſare præſumpſerint. Quòd ſpectat ad intentum Saluatoris, quando dixerat vxorem non poſſe dimitti, niſi ob fornicationem, hoc eſt Adulterium, omiſſa *Auguſt.* interpretatione, quòd *niſi* non exceptiuè ſed negatiuè intelligendum ſit, hoc eſt, ne quidem pro adulterio, ſed dico (hoc pro nunc omiſſo) *Iuſtinus* Martyr in Defenſione ad *Antoninum Pium*, ſic loquitur. *Inter breues Chriſti & compendioſos ſermones, vnus eſt: Qui repudiatam à viro altero duxerit, adulterium commiſit.* Si igitur *Iuſtinus* rectè intellexerit verba Chriſti, nunquam fuit licita dimiſſio in ordine ad ſecundum Matrimonium, & fuit ſententia recepta Chriſtianorum: aliàs non hoc ſcripſiſſet Imperatori. *Cypr.* lib. de *Bono pudicitiæ* videtur paulò aliter illud expendere, ſcilicet quòd ideò ob adulterium poterat infringi Matrimonium, quia ſecundùm legem: *Non ſinetis viuere. Leu.* 20. 10. Sic igitur & non aliter dimitti poterat vxor, ſecundùm Doctrinam Saluatoris explicantis legem à Iudæis ad alios caſus ſed falsò extenſam; & quoad hoc erat præceptum maritis reuelare crimen vxoris, in ordine ſcilicet ad illam legalem dimiſsionem, vt ponderat *Hieron.* in c. 1. *Matth.* in cauſâ S. Ioſeph celantis grauitatem B. Virginis vxoris ſuæ. *Hieron.* verò Epiſt. 50. in Apologiâ ad *Pammachium* vbi deuenit ad examen iſtius, quod exceptâ cauſâ fornicationis non ſit repudianda vxor, dicit, Quòd repudiatæ, viuo marito, alteri non licet nubere. In nullo igitur caſu in eius iudicio, licet dimittere vxorem in

Digitized by Google

rem in ordine ad alteras nuptias, quia ne quidem pro fornicatione, quòd ſolum prætenditur. Celebriores etiam Proteſtantes Angli eiuſdem ſunt hâc in re iudicij nobiſcum.

Et certè, quò plus expendo diſcurſum Domini *Matth.* 19. vbi integrè narratur; eò fortiùs adhæreo ſenſui dato, & *Marc.* c. 10. *Luc.* c. 16. & *Paulus* ad Cor. 1. 7. validè confirmat. Quòd ſi liceret aliter dimittere vxorem, Euangeliſtæ eſſent contrarij; cùm reliqui Euangeliſtæ, cum *D. Paulo* narrant prohibitionem abſolutam dimiſsionis: *Matthæus* verò in aliquo caſu adſtruit ex ore Saluatoris ſecundum intellectum, ſed falſum prædictorũ. Eſt quidem *conſuetum Domino*, quæ alicubi ſtrictim præcepta ſunt, per alia alibi dicta clarè tradere, vt illud, *Theſaurizate vobis theſauros in cælo.* Quod ſimpliciter dictum, alibi declarat, dicens, *Vendite quæ poßidetis, & date Eleemoſynam: Facite vobis ſacculos qui non veteraſcunt, theſaurum non deficientem in cœlis,* vt grauiter ponderat *Baſilius* lib. de Baptiſmo, vt inferiùs in eodem lib. docet ipſe *Baſil.* qui poſtquam egerat de præcepto & modo ſequendi Chriſtum, addit. *Hoc autem ipſum & latiùs, & certiùs, ac ſignificantiùs in Euangelio, quod eſt ſecundùm Lucam tradit,* &c. Et hinc quidem conſtat aliquos Euangeliſtas explicatiùs referre verba vel facta Domini, quam alij, vt frequenter reperitur; ſed quod vel ipſe Dominus, vel eius fideles *Amanuenſes* contraria in eodem præcepto traderent, vel cogitare nefas eſt. Dimittere verò in aliquo caſu licitè, & ſimpliciter non dimittere debere, eſt perfecta contradictio in rigore Logicali in ipſam Veritatem retorta. Et ideò inter Græcos *Magnus Baſilius* ad Amphil. ca. 77. Solutionem Matrimonij in vllo caſu damnat. Deindè dictum illud Euangelicum, quod multorũ Veterum quæſtione exagitabatur, de Domino Iesv-Christo ignorante diem & horam conſummationis mundi, & hoc propter diuerſos eâ de re Euangeliſtarum contextus, hanc difficultatem noſtram elucidabit. *Matthæus* ſic ponit. *De die autem illâ, & illâ horâ nemo nouit, ne Angeli quidem Cœli, niſi Pater ſolus.* *Marcus* autem ſic. *De die illâ & horâ nemo nouit, neque Angeli qui ſunt in Cœlo, neq; Filius, niſi Pater.* De Filij ignoratione nihil prorſus *Matthæus* pronunciat, videtur autem per omnia cum *Marco* conſentire, eoquod apponat, *niſi Pater ſolus.*

Digitized by Google

Vndè *Baſil.* Epiſt. 391. *Arbitramur illud* ſolus *vſurpari ad diſtinguendum ab Angelis cæli, non autem quòd Filius eodem ambitu cum ſuis vnâ ſeruis concludatur,* &c. *Eſt enim verax qui dixit, omnia quæ Pater habet, mea ſunt: inter illa autem, quæ Pater poſſidet, omninò recenſetur illius diei & horæ intelligentia & cognitio. Suam igitur perſonam ſilens, veluti rem poſitam in confeſſo Dominus in illâ Matthæi locutione, Angelos dixit ignorare, Patrem tamen cognoſcere: ſcientiam illam Patris & ſuam eſſe ſtatuens per reticentiam, eòquòd & alibi vſurpauerit,*&c. *Marci ſententiam ita declaramus, quæ Filium videtur excludere. Sed neque Filius ipſe, niſi Pater, hoc eſt cauſa & principium à Patre eſt cur Filius cognoſcat. Et profectò hæc expoſitio nequaquam coacta eſſe, aut violenta candidè audienti videtur, cum non adijciantur hîc, vt apud Matthæum vox illa* ſolus, *hoc eſt, ſed ne Filius nouiſſet, niſi Pater eſſet nam à Patre proficiſcitur illius cognitio.* Hæc & plura *Baſil.* Vnus igitur locus per alium exponendus eſt, vt clarior fiat vtriuſque intelligentia. Hîc mos veterum. In re tam clarâ non diutiùs immoror.

Sexcentas enumerare poſſum opiniones, quæ poſt *Trident.* ab aliquibus Theologis, cenſuris impetuntur, quæ tamen Patres illi grauiſſimi & doctiſsimi in Anathematiſmos non adeò procliues, ad Scholas remittebant. Leuiculis verò iſtiuſmodi cenſuris quadrat illud *Ciceronis* de Diuinat. l. 2. *Multa iſtiuſmodi dicuntur in Scholis, ſed credere omnia, vide an non ſit neceſſe.* Secundùm illud Synodi *Alexandrinæ* in Ep. Synod. *Quamuis enim certi homines nonnulla, quaſi quæ deeſſent Nicæno,* (Tridentino) *Concilio aſcribere vellent, idq; acriter contenderent, Sancta tamen Synodus, quæ Sardis conuenit, indignè id tulit, decretoq; ſanciuit, ne quid vlterius de Fide ſcriberetur, & ſeſe contentos eſſe Nicena* (Tridentinâ) *Fide declarauerunt, vt cui nihil deeſſet, & in quâ, integra & ſolida pietas contineretur.*

Percurrat ingenuus Lector Doctorum Catholicorum, quæ ſuperſunt monumenta, ipſorum dico, qui *Trident.* adfuerunt, & illa quæ ex multis (quæ in litterâ *Tridentini* obſeruaui) pauca attuli, & longè plura inueniet.

12. Et ideò multi Doctores, & ipſe *Vigorius* in defenſione Reſponſionis Synodalis Concilij Baſilienſis, fatentur *Nihil ibi circa Fidem decretum eſſe,*

tum eſſe, quin firmiter ante Concilium crediderimus: itaut potiùs Concilium declarauerit nos rectè hactenus credidiſſe, quam aliquid noui ſtatuerit. Sic *Vigorius*; quo certè, vt nihil verius, ſic nihil glorioſius in Concilij honorem dici poteſt: nam vt rectè *D. Athanaſius* in epiſt de *Synodis*, in nomine Orthodoxorum Patrum dicit. *Nos non quia Fide indiguerimus, huc conuenimus, habemus enim ſanam Fidem, ſed vt eos qui veritati contradicunt, & noua moliuntur, confunderemus.* Et vt alibi in Epiſtolâ ad vbique Orthodoxos. *Non nupera, non nouitia res eſt, Canonum Eccleſiaſticorum inſtitutio; ſed primis vſque Patribus per manus tradita eſt, & fundata in Eccleſijs, neque nunc tandem Fides initium ſuum ſumpſit; ſed ab ipſo Domino, operâ Diſcipulorum in noſtram vſque ætatem propagata eſt.* Nec differt *Hieronymus* Epiſt. 65. ad *Pammach.* & Oceanum. *Cur poſt quadringentos annos docere nos niteris, quod ante neſciuimus? Cur profers in medium, quod Petrus & Paulus edere noluerunt & vſq; in hunc diem ſine iſtâ doctrinâ mundus Chriſtianus fuit? Illam ſenex tenebo Fidem in quâ puer natus ſum.* Secundùm illud *Tertuliani*, *Regula Fidei immobilis, irrefragabilis, ceteræ diſciplinæ admittunt nouitatem correctionis.* Appoſitè igitur *Baſil.* Hom. 27. contra Sabellianos. *Satis tibi ſit, vt dicas quemadmodum edoctus es.* Et proindè nihil noui, nec à Concilijs introducendum; Obligauit enim Dominus Eccleſiam, & impleuit ipſi dona, vt loquitur *Epiphanius* contra hæreſes, to. 1. l. 2. hæreſi 48. Videat etiam Lector, an non conſtans hæc fuerit Conciliorum conſuetudo: imò & grauiorum Theologorum vnanime judicium, licet in particulari applicatione ſubindè differant aliqui.

Hoc rectè aduertit *Grauina*, dùm Claſſe 5. ſic loquitur. *In Concilijs nihil decretum fuit huc vſq;, nec aliquid in poſterum decidetur, niſi quod ante exortam hæreſim publicè in Eccleſiâ docebatur, & prædicabatur*: ſubnectit. *Optimâ ergò ratione, ipſa Eccleſiæ doctrina & prædicatio, norma Fidei ſtatuitur.* Antecedens probatur ex *Athanaſio* dicente, ante Nicænum Concilium hæreſim Arrij omnibus abominabilem fuiſſe, à quo tempore *Artemas* fundamenta jaciebat. Verba *Athanaſij* de Synodis §. *Euſebiani* ſunt hæc. *Videtur mihi aut planè ignorare, aut ignorantiam callidè ſimulare, quaſi neſcirent etiam ante Concilium Nicænum hæreſim illam abominabilem fuiſſe,*

Digitized by Google

bilem fuiſſe, quo tempore Artemas eius fundamenta iaciebat, & ante Artemam, æquè abominabilem, ſub Caiphâ & Phariſeorum Concilio fuiſſe, & nullo non tempore, officinam Chriſto hoſtilem omnibus execrabilem videri, &c.

Sanctus *Hilarius* de ſeipſo ſcribit, ſe *Homouſion* credidiſſe, antequam Concilij Nicæni decreta vidiſſet. *Theodoretus* de eodem Concilio loquens dicit. *Multis ibi benè & rectè, nonnullis perperam ſentientibus, obtinuit illa quæ tùm per vniuerſum orbem vicerat, ac diuulgata fuerat Fidei Confeſſio*. Et *Vincentius Lerinenſis* ait exprſsè, Conciliorum decretis nihil aliud factum eſſe, niſi *quod anteà ſimpliciter credebatur, hoc idem poſtea inſtantius prædicaretur*. Et in acclamationibus Conciliorum legimus poſt decreta, Patres dicere ſolitos. *Hæc eſt Fides Apoſtolorum, hæc Fides Patrum.* Sic *Grauina*.

13. Tandem pro majori huius veritatis elucidacitione, eſt vnum valdè obſeruabile apud *Caſtillo*, in loco citato verſus finem Paragraphi, Tertia differentia. *Addo his omnibus, neque omnia decreta, quæ ſunt in Concilijs ad damnandas propoſitiones hæreticorum, continere Fidei veritatem, quia non ſolum in Concilijs damnantur hæreſes: ſed etiam propoſitiones temerariæ, ſcandaloſæ, malè ſonantes; vt in Concilio Conſtantienſi damnantur propoſitiones Ioannis Hus & Wicleffi, quædam vt erroneæ, aliæ vt ſcandaloſæ*, &c. Et profectò hæc *Caſtillo* doctrina eſt digniſsima obſeruatu à viris doctis, vt genuinum expiſcentur ſenſum Conciliorum quoad Fidem, quâ benè obſeruata non tot condentur, potiùs fingentur Fidei articuli ab aliquibus non ſatis inſpicientibus hanc Conciliorum graduationem. Aliud etiam in hunc finem obſeruandum eſt, quod docet doctiſsimus *Syluius* in 1. p. *D. Th.* q. 51. a. 1. agens de corporeitate Angelorum (nam rem alibi tetigi) ſic loquitur. *Patres Concilij Lateranenſis* ſub Innoc. 3. *Definierunt* Deum ab initio temporis veram de nihilo condidiſſe naturam corporalem & ſpiritualem, Angelicam ſcilicet & mundanam, quāquam *Dominicus Banneualentia* & alij exiſtiment hinc non efficaciter colligi, quod iſta res ſit Fidei: quoniam quod Angeli ſint ſpirituales & incorporei, non fuit ibi aſſertum à Patribus tanquam hoc *definientibus*; ſed potiùs tanquam hoc *ſupponentibus*. Eorum ſiquidem intentio erat definire, quòd

Digitized by Google

quòd Deus ſit author & creator omnium rerum, tàm earum quæ dicuntur corporales, quàm illarum quæ dicũtur ſpirituales. Non cenſetur autem hoc à Concilijs definitum, quod in ijs dicitur, non ex intentione definiendi: ſed magis, vel ſupponendo, vel obiter aſſerendo. Nihilominùs negari non poteſt, quin poſt iſtam Concilij ſententiam & poſt Scholaſticorum vnanimem conſenſum, valdè nunc foret *temerarium* aſſerere, quòd Angeli ſint corporei, vel quòd habeant corpora naturaliter ſibi vnita, &c. Quinimò optimè docet *Syluius* in 2. 2. q. 11. a. 1. non omnes propoſitiones repugnantes Fidei eſſe hæreticas, & ideò dicit: *Propoſitiones Fidei repugnantes diſtingui ſolent in hæreticas, erroneas ſuſpectas, malè ſonantes, ſcandaloſas, temerarias: quas omnes & ſingulas* ibi explicat. Videndum igitur eſt in Concilijs, quando propoſitiones condemnantur, quem gradum obtinent condemnationis.

Has Fidei graduationes in *Tridentino* obſeruatas videmus, & inſtat ſpecialiter *Canus*, de doctrinâ *Cajetani* in materiâ Contritionis, &c. & alij in alijs tàm cautè proceſſerunt Patres, vt fusè oſtendo ſupra in hoc capite, ne fieret commixtio Fidei & non Fidei: quarum prima eſt inuariabilis, altera ad diuerſos hominum ſenſus mutatur: *Non habuit*, fateor Eccleſia primitiua tot explicatos articulos Fidei, quot habentur hodie. Nimirùm, quia nondum Hæretici tot emerſerant. Poſtea propter *Macedonium*, *Neſtorium*, *Eutychen*, *Theodorum*, *Marcum* & alios ingenti numero, explicatior euaſit *articulorum numerus*. Vt *Roffenſis* ad art. 29.

Optimè igitur dicit *Cicero*, & propoſito noſtro inſerendum: *Cæteras opiniones fictas atq; vanas diuturnitate videmus extabuiſſe, nam opinionum commenta delet dies; naturæ judicia* (rectiùs Eccleſiæ) *confirmat.* Nempè quia de die in diem eluceſcit veritas.

Digitized by Google

CAPVT XV.

In quo ſenſu Eccleſia Vniuerſalis ſit infallibilis.

1. EX hactenus aſſertis & probatis ſatis fit perſpicuum, quòd antequam ad Definitiones accedatur, certum debeat eſſe, quæ ſunt vera ſcripta & Tradita Apoſtolorum. Nam ſecundùm *Irenæum* l. 2. c. 10. *Omnis quæſtio* non per aliud, quod quæritur, habebit reſolutionem, nec ambiguitas per ambiguitatem *ſoluetur*, &c. Dùm igitur ambigua quæruntur ex Scripturis vel traditis, illa debent eſſe certa. Nam, vt rectè *Smiſings* proem. q. 1. n. 22. *Eccleſia non ſic procedit definiendo, vt dicat hoc vel illud contineri in Scripturâ, (eſto aliquando adductis Scripturis oſtendat ſuas Definitiones eſſe illis conformes:) ſed abſolutè definit, hoc vel illud eſſe credendum,* &c. De his igitur primò conſtare oportet: Nam vt fuſè oſtendi, nihil poteſt definiri, niſi per neceſſariam conſequentiam & euidentem inferatur ex illis reſpectiuè. Regula verò *Waldenſis* & *Driedonis* eſt illa: Sola Scripta, vel Tradita eorum agnoſcenda eſſe, quæ in ſerie Patrum omnium ab Apoſtolis ſuccedentium, vt talia accepta fuerint; quòd ſi quis certiorem dederit regugulam, putem ipſos non ægrè laturos. Compendioſior ſanè, nec minùs certa erit hæc. *Vniuerſalis Eccleſiæ præſentis in ſingulis mundi partibus conſiſtentis vniforme teſtimonium.* Hic vtique tutò ſiſtendum ſemper docui, & ex Patribus docturus ſum.

2. Non tamen volo, quòd vniformitas illa, exigat ſingularum in Eccleſiâ perſonarum ſuffragium, nec vt alij volunt, qui adeò reſtringunt infallibilitatem Eccleſiæ, vt totam errare poſſe putent, vno aliquo ſingulari vago ſolo excepto, in quo integritas Fidei ſeruaretur, quod omninò aſſerit *Panormitanus* in Quæſtionibus *Senis* diſputatis q. 1. vbi ſic loquitur. *Fides poteſt remanere nedum in Papa ſolo, ſed etiam in vnâ vetulâ, & ſic Fides conſeruaretur: ſicut accidit poſt Paſſionem Chriſti, cùm remanſit apud B. Virginem; vt communiter dicunt Theologi, & cùm jam Chriſtus orauerat, vt non deficeret Fides ante paſſionem; ſed vt dixi non defuit, ex*

Digitized by Google

fuit, ex quo conſeruatur in vno quocumq. Eadem habet etiam verba *de Electione* in Cap. *ſignificaſti: & hâc fortè ratione dixit gloſſa in c. quamuis d. 21. per illum textum: quod vbicumq; ſunt boni, ibi eſt Romana Eccleſia, Romana enim Eccleſia nullam debet habere maculam, vel rugam.* Hactenus ille. Hæc ſanè ridicula æſtimo, quòd Chriſti promiſſum pro Indefectibilitate Eccleſiæ reduceretur ad vnam perſonam, & illam ſubinde vetulam. Apoſtoli quidem fluctuabant aliquantulùm fortè in Fide, & Petrus in facto abiurauerat Fidem: nullus tamen puto, quod Fidem re quidem verâ ex corde abiecerat. Multò valêtior fuit Chriſti Oratio, vt etiam declarat *Auguſt.* de Correp. & gratiá. *Paſſi quidem ſunt per infirmitatem humanam aliquid, nondum enim erant exercitati ad fortitudinem: non tamen mutauerunt ſuum de Chriſto judicium. Nam Petrus ſtatim poſt negationem, ſentiens, in quantum malum prolapſus ſit, egreſſus fleuit amarè, reliqui mœrore perculſi, vt qui etiam, tùm eum mirabantur, mox in Fide confirmati ſunt per ipſius apparitionem, firmius quam ante credentes eſſe Dei Filium.* Sic *Origenes* contra Celſum l. 2. f. 437. edit. Pariſ.

Nec ſcio vndè habuit illud, *Communiter dicunt Theologi*, præſertim cùm res in ſe videatur falſa. Demùm *Tertullianus* ipſo antiquior, in l. de fugâ in perſecutione, agens de tentationibus Diaboli addit. *Sic & in Apoſtolos facultatem tentationis poſtulauit, non habens eam, niſi ex permiſſu. Si quidem Dominus in Euangelio ad Petrum. Ecce inquit poſtulauit, vt cerneret vos ſicut frumētum, nec deficeret Fides tua, ne tantùm Diabolo permitteretur, vt fides periclitaretur*, &c. Fides igitur Apoſtolorū non periclitabatur in iudicio *Tertull.* in lib. etiam de carne Chriſti, de eorū firmitate agens dicit. *Diſcipuli autem noui intùs audientes, & cohærentes Chriſto, Eccleſiam delineabāt*, &c. Vbi videtur plus Apoſtolis tribuere hâc in re, quā B. Virgini, ſed quicquid ſit de hoc, nullo modo valet conſequētia ab ipſâ (ob multa diuina Priuilegia) ad aſſertionē Panor. *de vnâ vetulâ.*

Baſilius quidem Epiſt. 317. de verbis Simeonis agens, dicit, *Erit quidem in animâ tuâ fluctuatio.* Poſtea. *Dubitatio quædam, & mentis diuiſio attinget. Hic eſt ille gladius*, &c. Poſt illam in cruce Chriſti multorum offenſionem, & quidem diſcipulorum ipſius MARIAE, fluctuabant, non deſerebant Fidem.

Digitized by Google

3. Sic etiam tota fermè Eccleſia fluctuabat Hæreſi *Arriana*, non tamen defecit: imò omninò credo, quòd etiam tunc ſenſus vniuerſalis Eccleſiæ potuit verè diſcerni, (vt etiam ſatis luculenter teſtantur Patres in ſuperiori capite adducti, ſpecialiter *Aug.* c. 14. citandus, vbi ſtatum Eccleſiæ tùm deſcribit) licet valdè turbatus & obſcuratus fuerit, ſicut etiam hodiè fieri poteſt in quibuſcumque dubijs ſubortis, vel ſuborituris neceſſarijs.

Quòd verò tàm feruidè objectari ſolet ex Hieronymo. *Ingemiſcens orbis terrarum ſe Arrianum eſſe, miratus eſt.* Obſeruandum quòd re quidem verâ orbis, non ad Arcainiſmum deflexerat: ſed vt ibidem *Hieronymus*: *Valentis potiſſimùm & Vrſacij fraudibus damnatio Nicanæ Fidei conclamata fuit.* Hoc eſt, ex fraudibus eorum malè intelligebatur Fides Eccleſiæ in Nicæno declarata, & ideò damnabatur: & vt c. 2. notaui ex Illuſtriſſimo *Tuamenſi*, *Arriani* ſubdolè proponebant Catholicis, an ὁμȣσιον ſequi vellent, an Chriſtum? Illi ex nouitate nominis decepti reſpondebant ſe Chriſtum non ὁμȣσιον ſecuturos. Materialiter igitur non formaliter & verè fiebat Orbis *Arianus*, nec præualebat Hæreſis contra Eccleſiam, licet vt loco citato dicturus ſum ex *Auguſtino*, homines aliqui *parui ſenſus* eò inclinabant, nunquam tamen eò accreuerat. Quin vt notat *Baſil*. Ep. 63. Clericis Eccleſiæ Neocæſarienſis inſcripta, *Plurimos* habebant ſingulæ Eccleſiæ, qui veritati teſtimoniũ ferebant; & vt habet Ep. 293. *vos par erat* intelligere, quòd per Dei gratiam, quàm plurimi ſint, qui Fidem tuẽtur orthodoxam a Patribus Nicænis, ſecundùm pietatis Regulam: traditam neque vos per Orientem *ſoli ſitis relicti* &c. At verò *vniuerſus quidem Occidens*, vobiſcum vnanimiter, & nobiſcum conſpirat.

Indefectibilitas igitur Eccleſiæ, non eſt interpretanda, quòd ſaluari poſſit in vno aliquo indeterminato, & totũ reliquum Eccleſiæ corpus à Fide deuiare: de hoc nullum prorſùs eſt fundamentũ, ſed vice verſâ dicendum eſt, quoduis indiuiduum determinatè, vel indeterminatè ſumptum, hæreticare poteſt: ſed non ipſum Eccleſiæ Corpus, ſeu publica eius facies, de quâ dicitur in Canticis, quod eſt *ſine maculâ* & ſic dicunt omnes Patres, vt in hoc & ſequenti Capitibus oſtendam, & plus

cæteris

cæteris omnibus *Auguſtinus*, qui propter Donatiſtas & alios, exactiſſimè ſpeculatus eſt materiam de Eccleſiâ, & eius indefectibilate. De hâc ergò loquens *Petiliano* l. 1. c. 108. poſt multa addit. *Non eſt ergò in ſolâ Africâ, vel ſolis Afris, Epiſcopum Romam paucis Montenſibus, & in Hiſpaniam domui vnius mulieris* (Lucillæ) *ex Africâ mittentibus*, &c. Et loquitur expreſſè de indefectibilitate Eccleſiæ. *Illa quippe Eccleſia in Petrâ eſt*, &c. Infinitus eſſe poſſum in textibus, quos notaui apud *Aug.* Fortiſsimè etiam refellitur ex Euang. *Matth.* (vt etiam pondero alibi) vbi à Chriſto præmonemur cauere ab illis, qui clamaturi ſunt, *Ecce hîc eſt Chriſtus, Ecce illic*, &c. Nunquid enim hoc clamant contra Chriſti Euangelium, qui ſic eum reſtringunt ad indiuiduum, licet vagum. Vndè *Aug.* l. 3. c. 5. dicit. *Quiſquis vos trahere voluerit poſt ſeipſum*, &c. *mementote*, &c. Si tamen poſsibile eſſet veritatem Chriſti in aliquo vnico reſidere, quare non trahere poſſet? Friuolum etiam, quòd *d' Aliaco* in Veſperijs nonâ ponit concluſione, *Quòd tota multitudo non ſolùm clericorum, ſed generaliter omnium virorum poteſt ſic errare, & Fides Eccleſiæ in ſolis mulieribus conſeruari, quia ſic conſeruata fuit in ſolâ Mariâ Virgine*, &c. Quòd etiam habet concluſione decimâ, de conſeruatione Fidei in paruulis ſolis, quia omnes Chriſti promiſsiones adhuc ſaluari poſſunt. Quas licet ipſe non adeò ſeriò proponat, vt ibi fatetur, aſſerit tamen ſuas rationes aliquas apparentias habere. Non eſt verò tutum in tàm graui materiâ ludere contra omnes Patres, de quorum vnanimi ſenſu ſuo loco conſtabit. Reſpondendo etiam poſtea obiectioni cuiuſdam, dicit ſe id locutum *de poſsibili*, hoc eſt Chriſtum de potentiâ abſolutâ ſic conſtituere potuiſſe Eccleſiam, quod verum eſt, habetur hoc in quæſtione *de reſumptâ, aliquando ſic ſaluata fuit, vel abſolutè ſaluari poteſt*. Redeam.

Scripturis igitur & Traditionibus certò poſitis: ad Concluſiones *neceſſarius* ex illis *neceſſariò* eliciendas, deuenitur, & huiuſmodi ſunt, quas Eccleſiæ Definitiones communiter & rectè vocitamus, & in quibus Eccleſia errare non poteſt: aliàs, vt rectè *Stapletonus* in explicatione aſſertionis nonæ, libro ſuperiùs citato dicit. *In ijs quæſtionibus, quæ vel non neceſſariò ad Fidem pertinent, ſed ſaluâ Fidei compage variè à varijs intelligi poſſunt*, &c. Errari poteſt.

Digitized by Google

In concluſionibus verò illis neceſſarijs, vt dixi errare non poteſt Eccleſia: nempè, vt etiam dixi, quando ad *ſalutem neceſſariæ ſunt*, vt rectè & conſtanter declarat *Canus in locis*, ſpeciatim lib. 5. c. 5. q. 5. & alibi, & longè ante eum *Athanaſius* ſuperius & *Auguſtinus* ſæpè citatus. Imò Eccleſia tàm Orientalis, quàm Occidentalis in *Florentino* in ſuis Definitionibus vtrumque diligenter obſeruarunt, & obſeruandum eſſe docuerunt, vt patebit prope finem huius Capitis.

Illud verò ſolùm ad ſalutem neceſſarium dicitur: *Cuius ignoratio ſine pietatis, ſalutiſque jacturâ eſſe non poteſt*; vt rectiſsimè colligitur ex *Cano* in eâdem quæſtione §. *Atq; etiam*. Argumento enim à contrario concluditur, ex eius ibi poſitâ doctrinâ: diſtinguens vtique Theologicas quæſtiones, dicit, *Vna eſt cuius cognitio & explicatio ad ſalutem neceſſaria eſt, & altera cuius ignoratio ſine pietatis, ſalutiſque jactura eſſe poteſt*. Hæc duo quæſtionum genera, ponit, vt membra diuiſionis adæquata & immediata; ſi igitur ratio aſsignata ſufficienter explicet quæſtionem Theologicã non neceſſariam, oppoſita dabit neceſſariam, & ſic infertur intentum. Hoc etiam ipſum aſſerit *Auguſt*. lib. 2. de Gen. ad Lit. cap. 9. *Spiritus Dei qui per ipſos* (nempè Scripturæ Scriptores) *loquebatur, noluit iſta docere homines, nulli ad ſalutem profutura*. In rebus igitur, vbi nec pietas multum mouetur, & ſalus promouetur, ſi Eccleſia erraret, paruum vel nullum eſſet Fidei præjudicium; Spiritus enim Dei ad ſalutem non profutura, non vult docere homines, vt loquitur *Auguſtinus*, & ad eundem planè ſenſum. *Athanaſius* ſuperiùs. Et in hoc ſenſu dicit *Bernardus* in Canticis. Cæterùm *Angelica Corpora, vtrùm verè ipſis ſpiritibus naturalia ſint, ſicut Hominibus ſua, & ſint animalia ſicut homines, immortalia tamen, nolo vt à me inquiratis: videntur enim Patres diuerſa ſentire, nec mihi perſpicuum eſt, quid alterutrum doceam, & me neſcire fateor: ſed noſtris profectibus non multùm conferre arbitror harum rerum noticiam*. Ecce de quibus Patres, non conuenire poterant, vel quæ non multùm conferunt animarum profectui, non ſunt inquirenda, vt certò determinabilia, ſecundùm *Bernardum*: & licet non loquatur expreſſè de Eccleſiâ, certum tamen eſt hanc ejus doctrinam eò ſpectare.

Gerſonius

Digitized by Google

Gerſonius etiam l. De vitâ ſpirituali animæ, lectione ſecundâ, Corollario 4. ſic loquitur ad *D. Aliacenſem. Non Fidei aſcribimus* omnem veritatem, quæ ſequi poteſt ex veritatibus contentis in Sacrâ Scripturâ; ſed illis tantũmodo veritates Fidei damus, quæ ſpecialiter reuelatæ ſunt & datæ ad credendum pro beatitudinis fine conſequendo. Scimus inſuper, quòd non omnia, quæ per ſummos Pontifices, imò nec per Eccleſiam approbata ſunt, eſſe cenſentur de Fide: alioquin obligarent ad ſui credulitatem opuſcula Sanctorum omnium Doctorum, quæ per Eccleſiam approbantur, ſicut de multis expreſſum eſt in decretorum diſtinctionibus.

Ratio horum omnium eſt, quàm dat *Stapletonus*, vbi ſupra in Corpore. *Finis ipſe datæ infallibilitatis eſt propter publicam ſalutem Fidelium, non autem propter inutiles curioſitates explendas, aut ſubtilitates non neceſſarias inueſtigandas.* Poſtea. *Itaq; diuinæ promiſſionis prouidentiæ ſatisfit, ſi in his, quæ ad publicam ſalutem neceſſaria ſunt impleatur.*

6. Et conſequenter ad fundatiſsimam hanc eius doctrinam, olim docuerat Eminentiſsimus ille alter *Popularis* noſter & *Legatus*, vt vocant *à latere*, Cardinalis *Polus de Concilio, Quòd Concilia ſalutis omnium cauſâ coguntur*, vndè manifeſtè deducitur præcipuos hos actus Conciliares Fdei, ſcilicet Definitiones, ſalutẽ *omnium*, vel maximè ſpectare & reſpicere debere. Verum quidem eſt, quòd doctiſsimus *Abulenſis* in 2. parte ſui defenſorij à c. 27. de infallibilitate Conciliorum, fuſiùs ediſſerens aſſerit, cùm dixiſſet priuilegium illud fuiſſe datum, tàm Eccleſiæ diſperſæ, quàm conciliariter congregatæ, ſolùm in neceſſarijs, mox terminum illum explicans, iteratis vicibus declarat, hoc eſſe *in Fide & moribus*. Quod vt ſæpiùs dixi eſt veriſsimum, licet *circa Fidem* errare poſsit in eius judicio, & ideò cap. 54. per aliam occaſionem in eandem rem incidens, ſic mentem ſuam aperit. *Circa res autem magnas, quæ veniunt in contentionem, ſiue in actionibus, dimiſit Eccleſiam ſuam, quæ ordinaret, & quòd ipſa faceret, Deus approbaret, ac ipſe præſens in carne aſſumptâ faceret.* Poſtea. *Et ſic quandocumque Sancta Dei Eccleſia agit aliquid in nomine Chriſti, quantumcumque graue videatur, nunquam errat, quaſi Deus eſſet actualiter cooperando.* Plura ibi habet.

Ex qui-

Digitized by Google

Ex quibus eius verbis videtur, non obſcurè colligi poſſe, eum ſemper & ſolùm velle Eccleſiã eſſe inerraticam in rebus *magnis*, non verò inutilibus ad ſalutem & pietatem; quòd eò vehementiùs puto, quia c. 53. dicit. *In rebus autem minimis non fuit juſtũ, quòd in nouo Teſtamento daretur aliquis modus conſulendi Deum* &c. Et licet ibi det inſtantiam de rebus tãtùm temporalibus, ratio tamen militat in omni genere triuialium, ſeu ſuperfluorum: & ideò ipſe *Abulenſis* ſenſum ſuum vlteriùs aperiens c. 76 dicit. *Apparet ex fundamentis Euangelicis Chriſtum reliquiſſe in Eccleſiâ vnum Tribunal ſupremum, quod de omni homine habeat judicare, & iſtud eſt ſacrum Concilium Generale, Eccleſiam vniuerſalem matrem noſtram ſufficienter repreſentans, & conuenienter. Et iſtud Tribunal eſt impeccabile, nec vllatenùs errare poteſt in his, quæ de neceſſitate ſalutis ſunt.*

7. Quando igitur dicit, quòd huic Tribunali credendum eſt in omnibus, intelligendum in omnibus, *quæ de neceſſitate ſalutis ſunt.* Nam vt benè *Stapleton.* *In his ſatisfit diuinæ Prouidentiæ*; Si igitur aliquæ *diuinæ legis quæſtiunculæ* poſtularentur, habemus ſuperiùs *Lerinenſis* ſolutionem: Si *Argutiæ* examinentur, habemus *Arnobij*: tandem *ſi Fidei ſubtilitates* peterentur, *Cajetanus* repoſuit in ſuas ſedes: vel denique ſi aliquid peteretur, quòd non eſſet *purè* de Fide: ſed ſolùm pertinens ad Fidem habemus *Gerſonium.* Siſtendum igitur eſt, *in his quæ de neceſſitate ſalutis ſunt* ſecundùm *Abulenſem* & *Gerſonium*, nimirùm propter *Stapletoni* iam aſsignatam rationem, quæ meritò inculcanda eſt. *In his ſatisfit diuinæ Prouidentiæ. Minutiloquia verò & ſubtilitatem inferre Fidei, Ariſtotelicum eſt*, vt ſuperiùs *Irenæus.* Quòd hæretici ſolebant non Catholici, multò minùs Concilia generalia Catholicorum, vt ſequitur ex eius dictis.

Veritas verò hæc manifeſtè probatur ex promiſsis Chriſti; promiſit vtique ſe adfuturum Eccleſiæ *vſque ad ſæculi conſummationem Matth.* 28. Finis verò ſuæ diuiniſsimæ præſentiæ ibidem declaratur. *Docentes eos ſeruare omnia quæcumque mandaui vobis.* Adeſt igitur Chriſtus Eccleſiæ, ſpecialiter & diuinitùs dirigendo eam, dùm docet, non ſimpliciter *Quæcunque*, ſed *quæcunque mandaui vobis.* Chriſtus autem non docuit curioſa vel ſuperflua; ſed neceſſaria, & illa ſola mandauit

Apoſtolis

Apoſtolis docere ſuos: quod vel maximè confirmatur ex diuiniſſimo illo Chriſti promiſſo, *Portæ inferi non præualebunt aduersùs eam*, ſcilicet Eccleſiam. *Matth.* 16. Vtique non poſſent dici hac in parte præualere aduersùs Eccleſiam, niſi in neceſſarijs deficeret, vel proponendo, vel præcipiendo toti Eccleſiæ, quæ ſaluti fidelium aduerſarentur; nam propriè loquendo in his ſolum eſt periculum inferni, vt omnibus conſtat. Hæc ſacræ Scripturæ loca iterum perpendam.

Hæc ideò dicuntur, vt ſenſum ipſius Eccleſiæ & Doctorum Catholicorum hac in parte oſtendam. Dixi (ipſius Eccleſiæ) quòd hinc indè ex hactenus dictis ſatis oſtenſum eſt: non tamen omittam celebre illud Decretũ Patrum, tàm Græcorum, quàm Latinorum in Florentino, quòd refert *Turrecrematâ* ibidem, & habetur in nuperâ hiſtoriâ Florentini Concilij par. 2. coll. 22. n. 8. *Conditiones quas Sancti Patres conſtituerunt in rebus diffiniendis per Synodum ſunt, primò veritas, ſecundò neceſſitas, tertiò vtilitas, quartò Charitas, quia ſine offenſa cuiuſcumq;*, &c. Hæc omnia & ſingula ſi æquè aduerterit ingenuus lector, omnia à me hactenus dicta ſatis cõfirmata fatebitur. Sæpius vtique inculcaui cum *veritate neceſſitatem*, ſaltem *vtilitatem* requiri, ad Eccleſiæ determinationes in materiâ Fidei infallibiles, quibus in judicio huius grauiſsimæ Synodi adiungenda eſt *Charitas*, vt *ſine offenſa*, &c. Imò vt loquuntur Patres Latini apud *Beſſarionem* c. 3. 8. & 15. citati & citandi, *vrgens debet eſſe neceſſitas.* Facilè eſſet ad particularia deſcendere, ſed longior eſſem, quam par eſſet.

CAPVT XVI.

An ſine Hæreſis maculâ poſſit quis dubitare de Determinationibus Conciliorum, in leuioribus & ſuperfluis?

1. AD hoc ex dictis in priori capite reſpondendum videtur, quod ſi quis *non pertinaciter*, ſed *cum omni reuerentiâ, non leniter, ſed prahabito grauiſſimo examine & rationibus verè probabilibus ductus, & do-*

ctorum virorum Catholicæ Communionis concurrente judicio, cenſeret aliquod punctum à Concilio determinatum, ad leuiora pertinere, & non adeò neceſſarium ſaluti, ſeu non neceſſariò ex reuelatis Scriptis, vel Traditis illatum; & ex hoc fundamento, non tamen *ſine quâdam Chriſtianâ erubiſcentiâ*, vt loquitur *Waldenſis* inferiùs, non neceſſariò & firmiter ei adhærendum putaret, tanquam ſim pliciter de Fide, licet ei proximum: animo verò ſemper in Eccleſiam humili, in eius certas & claras definitiones ſubmiſſo, nec ſuis conceptibus, vt vt fundatis, tàm acriter adhæreſcat, vt proindè publicè reſiſtere, ſeu *impetere*, vt loquitur *S. Leo, ſcandala ſeminare, ſchiſma aſtruere*, vel *Eccleſiarum communionem abrumpere* moliretur, quòd præ omnibus cauendum ſemper inculcauit *Auguſtinus*, vt vbique in cauſâ Donatiſtarum deprædicat. Talis dico, haud dicendus eſſet Hæreticus, ſecundùm principia receptiſsima celebriorum Theologorum, præſertim *Grauina* in hoc opere aliàs citati, & aliorum de quibus inferiùs

2. Addo, quòd licet re quidem verâ erraret in ſuo judicio, haud hæreſeos accuſandus eſſet; nam in hoc caſu, ſi vſpiam illud verum eſt, quòd dicit *Holcot* l. 1. ſent. q. 1. litera &c. *Non omnis error in his, quæ Fidei ſunt, eſt peccatum infidelitatis vel hæreſis*, & quod dicit inferiùs. *Iſti errores non imputantur, quia non ex pertinaciâ, ſed ex ſimplicitate errant. Roffenſis* etiam in art. 25. agens de illis, qui non acquieſcunt Concilijs, dicit. *Nos pro cunctis vnam reſponſionem dabimus, aut enim ex malitiâ ſe ſubtrahunt, aut ex veniabili quâdam ignorantiâ, &c. Hoc ſi nullâ ingenij prauitate fecerint*, &c. *non facilè condemnarim.*

Hoc optimè & clarè pro more ſuo declarat *Syluius* in 2. 2. *D. Th.* q. 11. a. 1. *Reſp.* Diſtinguendam eſſe dubitationem: quædam enim oritur ex ignorantiâ, vt quando quis ideò dubitat, quia ignorat aliquod dogma eſſe ab Eccleſiâ definitum: quædam ex infirmitate per quam licet, non ignoret aliquid eſſe definitum, quia tamen videt argumentum contrarium, nonnihil fluctuat; ſed abſque perfecto conſenſu: quædam denique ex prauitate & pertinaciâ, vt quando quis poſtquam veritatis Catholicæ doctrina ſufficienter eſt ei propoſita, ſciens & prudens de illâ dubitat, qui primo vel ſecundo modo dubitat, neque

Digitized by Google

que eſt infidelis; neque hæreticus, imò ne quidem peccat mortaliter, ſi nec ignorantia eſt culpabilis, nec dubitatio voluntaria: ſed ſurreptitia, qualis eſt ea, quæ ſcrupuloſis euenire ſolet, ac perdurare; quamtumuis eorum voluntas repugnet. Si autem vel ſit culpabilis, vel manente voluntate credendi, non repellatur dubitatio; peccatum eſt, aut mortale, aut veniale ſecundùm quantitatem negligentiæ, non eſt tamen hæreſis. Qui autem dubitat tertio modo eſt infidelis, & iuxta communiorem ſententiam, hæreticus. Aduertenda ſunt hæc poſteriora verba.

3. Interpoſui multas, & illas neceſſarias cautelas ad hoc, vt ſine Hæreſi cenſeretur aliquod punctum à Concilio deciſum non eſſe neceſſarium, &c. Si etenim vnicuique pro libidine ſuâ liceret, indifferenter hæc vel illa inter viliora, vel minutiora numerare, inania prorſùs futura eſſent Concilia. Vtique ſic *Euſebius*, qui tacitùs ſemper adhæſerat *Arrio*, De controuerſiâ *Arij & Alexandri* ſcribens, non dubitabat dicere, parui momenti prorſùs eam fuiſſe, in verbis dumtaxat poſitam, licet *Nicænum* rem maximi fundamenti, & quâ nulla major eſſe poterat, illam controuerſiam fuiſſe rectè judicauerit.

Sic *Monophyſitæ* ſeu *Acephali*, vt loqui mauult *Damaſcenus* in tractatu de naturâ compoſitâ contra eos, ab Eccleſiâ proſcripti ſunt in Concilio Chalced. ob vnicam dumtaxat præpoſitiunculam, *In*. Quis non putaret hoc leuis momenti? Cum Orthodoxis Chriſtum *ex* duabus naturis dicebant; ſed *in* duabus naturis eſſe minimè concedebant, quòd re quidem verâ, maximi momenti erat; licet primâ facie aliud appareat. Sicut etiam quidam *Maſſilienſium* apud *S. Proſperum* in Ep. de reliquijs Pelagianæ hæreſeos ad *Auguſt.* non putabant Chriſtianam Fidem diſſenſione violari, ſcilicet dum ipſi naturam, ſeu liberum arbitrium, gratiæ; & præſcientiam meritorum noſtrorum electioni diuinæ præponebant, contra quos tàm fortiter agebant *S. Aug.* Pontifices Romani & Concilia Eccleſiaſtica, tanquam contra inimicos gratiæ & deſtructores Paulinæ doctrinæ. Vt videre eſt in loco citato *Proſperi* & infinitis apud *Auguſt.* textibus, ſicut etiam in Conc. Mileuit, &c. De totâ iſtâ doctrinâ concludit *Aug.* libro de *bono Perſeuer.*

Digitized by Google

c. 18. *Hoc ſcio neminem contra iſtam prædeſtinationem, quam ſecundùm ſcripturas ſanctas defendimus, niſi errando diſputare poſſe*, &c. In reſponſione etiam ad Articulos ſibi falsò impoſitos, dicit ſe Fidem ſuam in prædictis articulis contra Pelagianos, ex *Apoſtolicæ Sedis authoritate* defendiſſe.

Dixi igitur quod ſine *pertinaciâ reuerentialiter & humiliter & interpoſito Catholicorum Doctorum judicio*, &c. *maturè expendi debet, quod quæritur*, &c. Vtique non dicimus de Conciliaribus actibus, quod dicunt Hæbræi de & pro Thalmudicis rapſodijs; vt videre eſt in R. Meir. *Noluit Deus, vt quicquam ad rationale expenderetur arbitrium.* Sed longè aliter hìc agitur, non enim truncis, ſed hominibus proponuntur decreta, vt & falsò nobis imponunt Aduerſarij, dum noſtram, vt vocant cæcam derident obedientiam: quaſi in Orthodoxorum iudicio piaculum eſſet, Eccleſiaſticas Sanctiones vllo prorſus modo expendere; ſed irriſorium eſt; nam re quidem verâ, Eccleſia dum hoc vel illud proponit etiam ſtrictè & vniuerſaliter credendum, vult non ſolum, quod credatur ei, ſed in hoc ſaltem virtualiter præcipit Paſtoribus inferioribus, vt *rationem* eius exponant populo ipſis commiſſo, vt etiam docet *Petrus* 1. Pet. 3.

4. Tantùm igitur abeſt ab illicito, pia & ſancta inquiſitio veritatum conciliariter declaratarum; quòd noua exoritur indè inquirendi obligatio, ſaltem reſpectu Paſtorum & Superiorum, nempè vt Fidei rationem reddere poſsint. Nec hoc præjudicat Eccleſiæ authoritati, ſed confirmat ſi rectè expendatur. Imo vt rectè *Iulius Papa* in Epiſtolâ apud *Athanaſium* in Apol. 2. contra Arrianos. *Qui benè ſentiunt de ijs, quæ egerunt & in quibus ipſi* (vt aiunt) *judices fuere, non indignanter ferre ſolent, ſi quod ab ipſis judicatum eſt, ab alijs excutiatur: quippe qui ſecuri ſint, ea quæ ipſi juſta judicauerant, iniuſta nunquam fieri poſſe.*

Vndè *Auguſtinus* l. contra Epiſt. Manich. quæ dicitur Fundamenti, c. 4. *In Catholicâ Eccleſiâ, vt omittam ſinceriſsimam Sapientiam, ad cuius cognitionem pauci Spirituales in hâc vitâ perueniunt*, &c. Vbi Sapientiam Paſtorum requirit & laudat in rebus Fidei examinandis, vt ibi patet: ſubiungit: *Cæteram verò turbam non intelligendi viuacitas; ſed credendi ſimplicitas, tutiſsimam facit.*

Digitized by Google

Tutiſsimum igitur eſt inferiori plebi, ſeu cæteræ turbæ, vt loquitur ſanctus Doctor, cæcam illam ſequi obedientiam, ſeu Chriſtianam ſimplicitatem, quam adeò derident illuſores: vt etiam tùm faciebāt Manichæi, vt patet de Vtilit. credend. & in hoc libro citato. Antitheſis verò illa, quam ponit inter Sapientes & cæteram turbam in modo credēdi, oſtendit quod dixi; nec immeritò: nam Apoſtolus ipſe *Corinthijs* ſcribens, oſtendit longè diuerſo modo prædicandum communi plebi, atque perfectis. Reſpectu priorum: *Prædicatio mea non fuit in perſuaſorijs humanæ Sapientiæ verbis*, &c. *Vt Fides veſtra non ſit in Sapientiâ hominum*, &c. reſpectu verò cæterorum dicit, *Sapientiam autem loquimur inter perfectos*, &c. Et ideò rectè notat *Baſilius* in Pſalm. 28. *Facta eſt vox ad Abraham, quoniam aures habebat, quibus præcepta Dei audire poterat, arcano modo inſonante illi voluntate diuinâ; vox verò illa, quæ ad populum fiebat viſibilis, hoc eſt cognita facilis erat.* Sic etiam *Auguſt.* in fine Epiſt. 23. *Bonifacio* Epiſcopo ſcribens, dicit, *Non tibi objeci firmiſſimam conſuetudinem, ſed ſaluberrimæ conſuetudinis reddidi, quam potui rationem.* Simplicibus *conſuetudinem ipſam ſolùm* obieciſſet, *ſed viro Docto rationem conſuetudinis expoſuit.* Tandem de ſanctâ illâ credendi ſimplicitate multus eſt *Auguſtinus* de Vtilitate credendi c. 9. 10. 11. 12. & deinceps. Rideant ergò ipſum non nos Aduerſarij. *Sed hoc facere coguntur, vt dixi, qui jam jacere ſe abjectiſſimè ſentiunt, ſi eorum authoritas cum authoritate Catholicâ conferatur. Conantur ergò authoritatem ſtabiliſſimam fundatiſſimæ Eccleſiæ, quaſi rationis nomine & pollicitatione ſuperare. Omnium enim hæreticorum, quaſi regularis eſt iſta Temeritas*, &c. *Auguſt.* ſub finem Epiſt. 56. *Quod ſi fidelis rationem poſcat; vt quid credit intelligat capacitas eius intuenda eſt, vt ſecundùm rationem redditam ſumat Fidei ſuæ quantum poteſt intelligentiam, maiorem ſi plus capit, minorem ſi minus.* Vt ipſe Epiſt. 222.

Alibi etiam l. 2. de Ordine c. 9. dicit quod *authoritas imperitæ multitudini eſt ſalubrior, ratio verò aptior eruditis.* Poſtea. *Euenit vt omnibus bona, magna, & occulta diſcere cupientibus, non aperiat niſi authoritas januam.* Poſtea. *Cùm docilis factus fuerit, tam demum diſcet, & quantâ ratione prædita ſint, ea ipſa quæ ſecutus eſt ante rationem, & quid ſit ipſa ratio,*

Digitized by Google

quam poſt authoritatis Cunabula, firmus & idoneus, jam ſequitur & comprehendit. *Tertullianus* etiam de Præſcr. contra curioſitatem Hæreticorum fusè & aſperè agens, tandem concludit, *Nihil ſcire, omnia ſcire eſt.* Paulò antea dixerat. *Fides inquit tua te ſaluum fecit, non exercitatio ſcripturarum.*

5. Denique *Ruffinus* in Symbolum dicit, quòd *Pagani nobis objicere ſolent, quod Religio noſtra, quæ quaſi Rationibus deficit, in ſolâ credendi perſuaſione conſiſtat.* Glorientur ergò Hæretici, ſe cum Paganis his conuenire, & nihil credere quod non *Vis rationis* coegerit, apud veteres & veros Chriſtianos aliud eſt in more. Vndè *Baſilius* Hom. 27. contra *Sabellianos* ſic eos alloquitur: *Quoniam verò nos circumſiſtitis judices magis, quam diſcipuli; vt experimentum de nobis capiatis, non vt aliquid à nobis diſcatis: neceſſarium eſt, vt objectionibus quidem velut in jus vocati reſpondeamus, & perpetuò interrogemur, itemq; vt eadem perpetuò inculcemus, quæ accepimus.* Cùm Hæretici ſemper ſuis iiſdem interrogationibus infinities repetitis & toties plenè ſolutis ſunt moleſti, rationes Fidei quærunt, nec oblatas capere volunt: circũſiſtunt vt judices, nempè vt doceant Fidei Doctores, vt rectè *Baſilius.* Sed vt ipſe paulò inferiùs ibidem. *Dæmoniaca hæc jactantia eſt,*&c. *Si verò multa ignoras, & quæ ignoras, cognita innumeris modis ſuperant, quânam ratione non cum omnibus & eam ignorantiam,* &c. *qua periculo caret abſq; vllo pudore fateris.* Ignorantiam illarum rerum, quam omnes habent, ſine periculo eſſe putat. Quam longè hoc differat à Principijs Hæreticorum, omnes norunt.

Non quidem expectandum eſt, quod in ſingulis ab Eccleſiâ definitis adeò pateat veritas, vt nullæ apparentiæ, vel ſubinde elenchorum argutiæ in oppoſitum adferri poſſint: nam oppoſitum experimur in ipſis veritatibus, in ſacris Scripturis traditis: vndè *Gregorius Niſſenus* de Opificio hominis c. 23. *Nam & in doctrinâ de ortu rerum contentioſis ingenijs non nihil eſſet, quo eis ſubuertere de collectione veriſimilium, perſuaſionem noſtram liceret; vt non planè verum eſſe crederemus, id quod eſt de creatione rerum ex materie conſtantium diuini authoritate verbi traditum, originem omnium ad Deum referentis.* Non nimis igitur argutiolis, vel ratiunculis noſtris adhærendum eſt, licet ſpeciem quandam prætendant

tendant veritatis, vbi vel tradita, vel definita obſiſtunt. Et ideò inferiùs ſic ſubnectit. *Enimuerò nos quod ſacras literas affirmantes audimus, eſſe nimirùm ex Deo vniuerſa credimus; quomodò autem in Deo fuerint, cùm rationis noſtræ intelligentiam excedat, inquirendum eſſe non putamus, perſuaſi Deum omnia poſſe; & condere aliquid de nihilo, & condito qualitates tales indere, quales ſit ipſi viſum*: Vtinam in materiâ Euchariſtiæ huc reſpicerent Aduerſarij. Sed his miſsis procedamus.

6. Si quis in rebus grauioribus, ſeu quas Patres iudicarunt neceſſarias, Concilia falli, ſeu poſſe fallere *putet*, Dei prouidentiam & quidem promiſſam negat. Ei etiàm reſpõderi poteſt cum *Auguſtino* Ep. 7. ad Marcellinum: *Si manifeſtæ certæq; rationi, velut ſanctarum Literarum obijcitur authoritas, non intelligit qui hoc facit: & non Scripturæ ſenſum (ad quem penetrare non potuit) ſed ſuum potiùs obijcit veritati, nec id quod in ea, ſed quod in ſeipſo velut pro eâ inuenit, opponit.* Et de huiuſmodi egregiè dicit *S. Leo* Epiſt. 84. *Quæ patefacta ſunt quærere, quæ perfecta ſunt retractare, & quæ ſunt definita conuellere, quid aliud eſt quam de adeptis gratiam non referre, & ad interdictæ arboris cibum improbos appetitus mortiferæ cupiditatis extendere?* Vndè ipſe *Leo* Epiſt. 81. ad Leonem Imperatorem, ſic loquitur. *Quid religioſius poterit pietas veſtra decernere, quam vt, quæ non tàm humanis, quàm Diuinis ſunt ſtatuta decretis, nullus vltra ſinatur impetere: ne verè digni ſint tantùm Dei munus amittere, qui de veritate ipſius auſi fuerint dubitare?* Hoc eſt, vel mentaliter fluctuare, ſeu in dubium vocare, licet ſolùm opinatiuè. Ratio etiam diuiniſsimi huius dicti eſt illa quam attingit *Facundus* lib. 5. *Nam ſi poſt decretum diſceptare licuerit*, &c. *Non eſt quare jam Concilia congregentur, nec terminatæ; imò nec terminabiles dicuntur quæſtiones, quarum probatio ſemper exigitur.* Poſtea. *Atque ita quæſtionibus vniuerſis in antiquo ſtatu manentibus, non ſolùm nihil ſynodorum conſtitutionibus abſolutum eſſe videbitur; ſed etiam ad perpetuandas lites quæſtionum in eis memoria reſeruata.* Hæc ille per omnia rectiſsimè & longè grauiſsimè. *Baſil.* etiam Ep. 325. *Illud vtiq; ſcimus, quod cùm ſemel Fidei ſimplicitatem loco motam admittimus, diſputandi nullos limites circumſcribemus, vlteriùs abrepti contradictionis aſtu; atque animus inſuper ſimpliciorum conturbabimus nouorum Dogmatum ſuper inducta inuentione.*

Digitized by Google

7. Grauiſsima hæc ſunt, & omnes Chriſtianos docent, quâ reuerentiâ amplexanda ſint Conciliorum decreta, & quidem *ſine delectu*, licet non putem, quòd perfectè attingant caſum ſub initium huius capitis explicatum. Et ideò *Canus* hominem ibi indigitatum ab hæreſi liberaret, nempè vt loquitur ille, *Si conſequentiam rerum aliàs perſpicuam, ignoraret: vt ſi homo indoctus, licet crederet Chriſtum eſſe hominem, tamen non videret neceſſitatem conſequentiæ, vt ex illo Antecedente ſequeretur Chriſtum eſſe riſiuum, vel poſſe ridere, non eſſet infidelis.* Sic *Canus* lib. 12. cap. 6. & nullo negotio ex his eius verbis, ad multa alia ineuitabili cõſequentiâ deuenitur, nempè quoties *conſequentiam rerum aliàs perſpicuam quis ignoraret*, & ob ignorantiam, licet antecedens agnoſcat, conſequens tamen aliàs neceſſarium haud crederet. Vbi dignum eſt notatu, quod eadem media, quæ ſufficientia ſunt ad obligandum vnum hominem ad explicitè credendum, haud ſufficiunt alteri, nimirùm ratione diuerſorum captuum: citiùs vtique fit ſatis huic animæ, quam alteri, & per conſequens citiùs obligatur ad credendum. Et in hoc rectè docet *Gerſonius* lib. de ſpirituali vitâ animæ, Corollario quinto, *patet quod apud aliquos excellentis ingenij & multarum literarum, poteſt vna propoſitio dici Fides propriè, quæ non ſpectaret ad Fidem explicitam exemplificatam alterius.* Et ex hoc titulo *Auguſtinus* excuſabat *Cyprianum*, quia *defenſiones ipſius Conſuetudinis non tales afferebantur, quibus illa talis anima moueretur*, &c. vt fusè oſtendi ſuperiùs.

Talietas igitur animarum, hîc vel maximè attendenda eſt, & propterea non leuiter quis Hæreticus cenſeri debet; licet forſan non adeò citò, ſicut alia inferior anima veritati acquieſcat.

Denique *Waldenſis* in quàm plurimis libri 2. locis eum excuſat, in vno verò loco habet hæc verba. *Obediatur dico ſine ſcrupulis quæſtionum cum omni modeſtiâ mentis & reuerentiâ Corporis, cum acceptatione & fiduciâ in verbis docentis: niſi quatenus aliquid doceat is qui docet, quod jam juſtè proſcripſit ſuperioris authoritas: cui tamen tunc pius Eccleſiæ Filius non perperam inſilit; ſed ab eo reuerentiali quodam pudore percuſſus abſcedit*, &c. Sic ille c. 27. vbi loquitur de authoritate Cõcilij Generalis. Requiritur

equidem

Digitized by Google

equidem reuerentia filialis, in quibuſlibet perſonis Eccleſiæ ſubditis, eo ſaltem vſque, vt non reſiſtant Eccleſiæ decretis, in ſuis œcumenicis Concilijs, etiam in ijs in quibus errare poſſe putantur. Hoc eſt, quod rectè docet *Celotius* l. 4. cap. 10. *Quamobrem priuato cuilibet impoſita neceſſitas eſt admittendi, quicquid eo modo vel proponit* (ſcilicet Concilium Generale) *vel propoſitum communi conſenſione amplectitur*, ſcilicet Eccleſia.

8. Concilium enim plenarium poſterius ſolùm emendare poteſt, quod in priori erratum eſt ſecundùm *Auguſt.* Non verò hæc vel illa perſona. Sic rectè *Auguſtinum* intellexit *Petrus à Soto* in aſſertione Catholicâ tit. de Concilijs. Nempè vniuerſalia non poſſe ab aliquo priuato vel inferiori Concilio emendari, ſeu judice quocumque. Nulli igitur *priuato licet de illis quicquam conuellere*, vt rectè ipſe loco citando. Stat igitur *Marciani* Catholici Imperatoris lex *de ſummâ Trinitate & Fide Cath.* quæ ſic à *Soto* recitatur. *Iniuriam facit judicio Reuerendiſſimæ Synodi, ſi quis ſemel judicata ac rectè diſpoſita reuoluere & publicè diſputare contenderit.* Nam aliàs, vt rectè à *Soto*, *Quando erit finis acquirendi veritates, aut quæ ratio ſeruandæ vnitatis Fidei, ſi poſt definitiones Conciliorum non ſit quieſcendum? Certè vt diximus, ſi aliquid reijciendum ex Concilijs vniuerſalibus fuerit, quod non niſi ex defectu aliquo eorum, quæ ad legitimam Concilij Concluſionem neceſſaria ſunt, contingit, vt dictum eſt: illud ab alio Concilio judicabitur curante hoc Spiritu Sancto.* Hæc ille ſecundùm illud *Iulij Papæ* in Epiſt. in Concilio Romano pro cauſâ *Athanaſij* contra aliquos *Arianos* ſcriptâ, vbi ſic habet: *Epiſcopi in magnâ Synodo Nicena congregati, non ſine Dei Conſilio permiſerunt Prioris Synodi, id eſt Nicenæ acta, in aliâ Synodo ſcilicet Sardicenſi examinari, vt & illi qui Iudices erant præ oculis habentes ſecundùm de eâ ipſâ re judicium futurum, cum omni diligentiâ cauſam expenderent*, &c.

9. Certè quoad obligationem non reſiſtendi, ſeu exteriùs reluctandi, in omni vt opinor ſententiâ, eadem prorſus eſt ratio propoſitionum Apoſtolicarum, & Conciliarium definitionum, etiam in rebus leuioribus ſeu non neceſſarijs: nam vt ſemper doceo, licet talia non cenſeantur ſtrictè loquendo à Patribus in Cōcilijs definiri (licet prudenter

Digitized by Google

denter determinari poſsint) tamen nũquam licet vel in minimis *reluctari*, ſi quis Eccleſiæ Filius cenſeri voluerit: quoad actum verò internum credendi, ſimpliciter etiam ijs adhærendum eſt, quæ ſimpliciter definiuntur, modo quo ſæpius declaraui: licet ſciam aliquos Catholicos viros, magnam hàc in parte ponere differentiam; inter Apoſtolorum Oracula & præſentis Eccleſiæ Teſtimonia, in ordine ad obligationem actuum internorum. Verba vtique Apoſtolorum, ſunt ipſum Dei verbum per ipſos, vt Inſtrumenta immediata prolatum, & ideò nemini mirum, quod corda penetret, & in mentem audientium jus habeat.

10. Licet *Dominicus Lopez* in tractatu aliàs citato fol. 65. non admittat omnia Apoſtolorum *propria* ſcripta, ad hanc obligandi poteſtatem: *Nec quæ ipſi dicunt*, IESV *verba explicantes, aut ex ſuâ ipſorum perſonâ ex vetere Teſtamento afferunt (niſi fortaſſè minimâ ex parte, vt poſtea dicetur) ad doctrinam reuera pertinent*, &c. Et quæ talia ſunt, non neceſſariò recipi debere, aſſerit tàm ibi, quàm deinceps folijs ſequentibus. *Irenæus* l. 2. c. 22. de Hæreticis agens, dicit: *Imputant nobis*, &c. *quaſi non attollentes in altum mentem, neq; quæ ſurſum ſunt ſentientes: quoniam portentiloquium ipſorũ non recepimus*. Certè hoc eſt in altùm attollere mentem, in ijs quæ ſupra nos ſunt ambulare: nempè redarguere ſcripturas. Sed Portentiloquia hæc non recipimus. Quam longiſſimè hoc eius dogma differat ab *Aug*. patet. 8. ad *Hieronymum* de Paulinâ inſimulatione *Petri*: vbi grauiſſimè oſtendit ex admiſſione, vel minimi erroris in proprijs Apoſtolorum ſcriptis ruinam totius ſcripturæ ſequi. Inter alia multa hæc habet verba. *Admiſſo ſemel in tantum authoritatis faſtigium officioſo aliquo mendacio, nulla illorum librorum particula remanebit, quæ non vtcumq; videbitur vel ad mores difficilis, vel ad Fidem incredibilis, eâdem pernicioſiſſimâ regulâ ad mentientis Authoris conſilium, officiumq; referatur. Dominico Lopez* igitur miſſo.

11. Prædicti Doctores dicunt, quod verba Eccleſiæ qua talia (vti ſunt ſuo modo, & in ſuo genere infallibilia) propriè loquendo non ſunt verbum Dei, ſecundùm *Auguſtinum* & receptiorem Theologorum ſententiam; quum præuio diſcurſu, & ratiocinatione humanâ

inſerantur,

inferantur, & ideò dicunt non ea tranſgredi terminos Poteſtatis Eccleſiaſticæ: quo ſuppoſito, vlteriùs inferre volunt, non ſolùm pœnas, ſeu cenſuras Definitionibus de more annexas, non incurri ab homine interiùs dubitante, vel negante earum veritatem; ſed volunt etiam ipſas Fidei atteſtationes, ſeu declarationes ab Eccleſiâ factas, in quantum tales, non obligare ipſum judicium Fidelium, ſed ſolùm eos aſtringere ad non *reſiſtendum* ſeu *reluctandum* exteriùs. Et fortaſſe aliquibus videri poteſt, hoc ſequi ex opinione *Molinæ* in primo capite, & iterùm ſuperiùs explicatæ. Sed hanc opinionem (ſi opinio dici debet) alijs diſcutiēdam remitto. Quod ſenſi, dixi, nec aliter ſentire poſſum propter illam rationem, licet à poſteriori deductam (omiſſis alijs per quam multis hinc indè in curſu libri tactis, quæ etiam ſatis me mouent) quam ex doctrinâ traditâ à *Doctore Subtili* 3. d. 23. q. vnicâ, adduco & pondero alibi: nimirùm ſi non teneamur *credere* Eccleſiæ, tandem penitùs peribit Fides etiam reſpectu Principiorum, quæ per Eccleſiam deuenerunt in noſtram noticiam. Et ideò *Auguſtinus* citandus, dicit, *Nullo modo dubitare debemus, ſi Eccleſia hoc vel illud dixerit. Dubitatio* verò eſt actus mentalis. Deindè quicquid ſit de Antecedēte, quod alibi fortè fuſiùs diſcuſſurus ſum, non valet conſequentia: nam licet declaratio Eccleſiæ reduplicatiuè ſumptæ, non ſit ratio formalis credendi, vt alibi docui, tamen benè poteſt eſſe, & eſt conditio, ad cuius poſitionem, Deus nos obligat *credere*; ſecūdùm illud, *Fides ex auditu*, & illud ſi *Eccleſiam non audierit*. Nec contra hoc valet ratio eorum, vt eruditus lector facilè judicabit: obiter ſolùm tango.

Non tamen nego, quin hæc ſententia militare poſſit contra feruentiores quoſdam ſectarios, qui pertinaces in Eccleſiæ contemptum dicto & facto ſe exhibent, & adeò ſuis opinationibus ſunt conſecrati, vt mallent pacem Chriſti in ſuâ Eccleſiâ diſrumpere (quod præ omnibus Criminibus cauere debent Chriſtiani, propter *væ* illud Chriſti, ore Apoſtolico probatum) quàm ſuas accuſationes, potiùs diffamationes contra Eccleſiæ definitiones, non probatas, deſerere.

Digitized by Google

CAPVT XVII.

De libertate credendi.

QVòd adeò feruidè obiectant aliqui, eſſe magnam tyrannidem imperare fidelibus, huic vel illi concluſioni conciliariter definitæ credere, non ſimul proponendo motiua credibilitatis: cùm ſine eis non ſit in poteſtate, ſeu ſub imperio noſtræ voluntatis intellectui proprio mandare, huic vel illi parti aſſentire, vel diſſentire ſpecificè: cùm illi ſint actus naturales. Nec ideò aſſentimus, vel diſſentimus ſimpliciter, quia volumus, vt rectè *Ariſtoteles* 2. de animâ com. 253. vbi in hoc ponit differentiam inter *imaginationem* & *opinionem*, multò magis aſſenſum firmiſsimum, prout eſt Fides, ſeu actus Fidei. Et ideò Apoſtolus 2. *Cor.* 1. v. 24. *Non dominamur ſupra veſtram Fidem:* Græcè κατακυριευων hoc eſt quaſi diceret non *tyrannizamus*, &c. quod tamen ſimplex & abſolutè credendi præceptum videtur ſapere. Et hoc eſt quod dicit *Auguſt.* l. de vtilit. credendi c. 9. *Omnes Hæretici eò Catholicam maximè criminantur, quòd illis qui ad eam veniunt, præcipitur vt credant: ſe autem non jugum credendi imponere, ſed docendi fontem aperire glorìantur.* Ad hæc.

2. Dico primò, veriſsimùm eſſe, quod adfertur ex Ariſtotele, & quòd indè infertur, in quantùm ſcilicet dicit actum Fidei non eſſe ſic ſub noſtro imperio, quaſi ſine motiuis rationabilibus pro placito, poſsimus adhærere huic vel illi veritati, prout concordant omnes tàm Theologi, quàm Philoſophi, quos hactenus vidi, & ratio omninò euincit. Nam ſine dubio eſt magna differentia, quoad imperium voluntatis, in ordine ad diuerſos actus intellectus: vndè *Auguſt. Non eſt in poteſtate noſtrâ quibus viſis tangamur*, ſeu vt ipſe loquitur de libero arbitrio l. 3. c. 25. *Quid aut quiſq; ſumat vel reſpuat, eſt in poteſtate: ſed quo viſo tangatur, nulla poteſtas eſt.* Voluntas cum ſit cæca non poteſt imperare intellectui, vt de hoc vel illo objecto cogitet, niſi ſit priùs præſentatum. *Nam nihil volitum, niſi priùs cognitum, qui enim vult, profectò ali-*

quid

—cult: quod niſi aut extrinſecùs per ſenſum Corporis admoneatur, aut occultis modis in mentem veniat, velle non poteſt. Vt ibidem *Auguſtinus.*

Quando etiam eſt actu præſentatum, non poſſumus non tangi: ſed tunc voluntas benè imperat reflexionem: aſſenſus verò vel diſſenſus, non eſt à voluntate imperante; ſed ab euidentiâ objecti, vel in ſe, vel in præſentante, quâ euidentiâ perſpectâ intellectus aſſentit. Dicitur tamen eſſe à voluntate per accidens, in quantum ſcilicet imperat intellectui reflectere, ſeu vlteriùs ibi ſiſtere, & examinare, & ex illâ examinatione apparet veritas: Vel in ſe, cui aſſentit aliquãdo ſimpliciter & neceſſariò, vt in demõſtratiuis: & ſic ſuo modo, eſt in definitionibus Eccleſiæ reſpectu eorum, qui poſſunt expendere terminos; nam requiritur & eſt euidentia identitatis, vel vnitatis cõceptus objectiui in definitione definitâ, cum veritate ſcriptâ, vel traditâ cui nititur, vt fusè declaraui ſuperiùs, & ideò benè imperari poteſt eis adhærere firmiter.

Vel in præſentante, vt ſi Deus hanc vel illam veritatem proponeret, &c. quæ tamen ex terminis eſſet obſcura; aliquando autem cum formidine, vt in probabilibus & in multis Theologicis concluſionibus.

Dico ſecundò, quòd objectum Fidei præſentatum intellectui noſtro per Eccleſiam, proprer authoritatem præſentantis (quam omnes ſupponimus eſſe infallibilem) eſt rationabiliter credibile: & ideò ob argumentum extrinſecum, ab illâ ſcilicet grauiſsimâ authoritate deductum (quod genus argumentandi etiam maximè valet apud Ariſtotelem in Topicis) voluntas poteſt imperare intellectui (modo prætacto) ponderare ſcilicet infallibilitatem proponentis, & indè elicere actum ſpecificum credendi, &c. Vndè *Aug.* de vtil. credendi c. 6. de hâc authoritate agens dicit, *non eſſe deſperandum ab eodem ipſo Deo authoritatem aliquam conſtitutam, quâ velut gradu certo innitentes, attollamur in Deum,* &c. Negari tamen non debet, quin ſuam inuoluat difficultatem, ſimpliciter credere propter authoritatem. Et ideò *Proſper* L. 2. c. 2. de vocatione Gentium dicit, *Magna fortitudo eſt conſenſionis, cui ad ſequendam veritatem authoritas ſufficit, etiam latente ratione: fortitudo verò illa auget meritum ex difficultate operis*; & per conſequens ſine Tyrannide imperari poteſt à voluntare ſuperioris, ſcilicet ipſius

Eccleſiæ, cui voluntas noſtra ſubditur. Hoc dico reſpectu fidelium. In eis namque *Fides habet oculos* ſuos, quibus quodammodo videt verum eſſe, quod nondum videt; & quibus certiſsimè videt, nondum ſe videre *quod credit*, vt loquitur *Aug.* 222.

Reſpectu verò Infidelium aliter agitur, quia Eccleſiam eſſe infallibilem ipſis primò debet efficaciter probari: authoritas enim fallibilis quantacumque fuerit, non poteſt mouere ad actum vltra opinatiuum; non verò ad actum credendi, hoc eſt ſine omni formidine de oppoſito; nam produceret effectum nobiliorem ſe.

Quod verò replicant alij, Conciliorum ſaltem infallibilitatem non eſſe ejuſdem certitudinis cum ipſâ Eccleſiâ, & ideò authoritatem illorum, non eſſe ſufficienter præſentatiuam obiecti credibilis, ad hoc vt voluntas imperet. &c.

Reſpondeo me poſtea cap. 22. oſtenſurum, eiuſdem omninò eſſe rationis, tàm vnius, quàm alterius infallibilitatem: nec tamen ſemper Concilia definiunt ſine rationibus annexis, quinimò ſæpè ſæpiùs adferunt, & exponunt authoritates Sanctorum Patrum, quibus nituntur, &c. vt etiam in hoc capite oſtendo.

Dico vlteriùs, vt antea tetigi, quòd Concilia non ſolùm præcipiunt credere; ſed implicitè præcipiunt conſiderare credenda, & diſcutere fundamenta, quibus nititur Fides, reſpectu ſaltem ſuperiorum; vt etiam indè appareat euidentia rei credendæ: igitur ipſi peccabunt ex negligentiâ, ſi non ſtudeant rationem poſſe reddere credendorum.

Vnde *Auguſtinus* loco citato duo conſtituit genera fidelium, vnum *Sapientum*, alterum *ſtultorum*: reſpectu horum, *ſepoſitâ ratione, quam ſinceram intelligere, vt ſæpiùs diximus, difficillimum ſtultis eſt*, alijs modis agitur: poſtea. *Homini ergò non valenti verum intueri, vt ad id fiat idoneus purgariq; ſe ſinat, authoritas præſtò eſt.* Multa ad idem planè propoſitum habet lib. 1. Retract. c. 17. & 18. reſpectu verò aliorum, ſcilicet Sapientum, *qui verum intueri valent*, alio modo agendum docet: Nam nihil *horum eſſe neceſſarium, ſapienti, quis negat?* vt ibidem ipſe, cuius tamen oppoſitum, jamjam dixerat de ſtultis.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XVIII.

An omnia quomodocumque determinata in Concilijs ſint de Fide?

1. PRo parte affirmatiuâ dici poteſt, quod eo ipſo, quòd quidpiam à Concilijs determinatur, conſequitur eſſe ſaluti neceſſarium, & ex traditis neceſſariò deductum: quia Spiritus Sanctus ſemper adeſt Eccleſiæ in ſuis Concilijs; & ideò nullo modo de determinatis, quamuis minutioribus vel ſuperfluis dubitare licet, ſine hæreſeos macula.

Reſpondeo quod ſupponendum eſt, Concilia huiuſmodi non neceſſaria nunquam ſimpliciter *definire*, licet ſubindè prudenter *determinent*. Nam vt rectè *Cajetanus* to. 1. Opuſc. tract. 15. c. 8. *Non pertinentia* (nempe ſubſtantialiter) *ad Fidem, non intelliguntur affirmari & prædicari, niſi cum grano ſalis, hoc eſt ſtantibus communiter præſumptis:* & inſtat de Canonizatione Sanctorum, quæ tamen videtur materia, vtcumque grauis, nam ſi in illo erraret Concilium, vel Summus Pontifex, quanta eſſet futura confuſio in ſolemni & generali veneratione, non Sancti pro Sancto, ſeu inimici Dei pro amico? vt grauiſſimè ponderat *Gerſonius* in ſuo tractatu de *Probatione Spirituum*: cum quo tamen ſtat (vti ſemper doceo) Eccleſiam in ſuis Concilijs vniuerſalibus ſimpliciter eſſe infallibilem, licet in ſuperfluis errabilis aſſeratur. Et hanc doctrinam video à pleriſque amplexatam, & ſpecialiter in *Reſolutionibus* Doctoris Pariſienſis ſuperiùs citatis: imò cenſeo eſſe communem, & ideò ipſe *Gerſonius* inferiùs citandus habet verba. *Non omnia illa quæ tradit Eccleſia ſub definitione iudiciali, ſunt de neceſſitate ſalutis credẽda*, &c. Huc etiam accedit quòd ſuperiùs notaui ex *Caſtillo*, quod Eccleſia in Concilijs ſubindè agit contra propoſitiones temerarias, &c. & illas condemnat: ſi igitur declararet, ſeu determinaret propoſitiones illis oppoſitas, non numerandæ ſunt inter decreta Fidei ſtrictè loquendo, vt per ſe patet: eo tamen ipſo, quod alteras condẽnat, has ponit: non igitur omnia determinata cenſenda ſunt de Fide.

2. Dices

Digitized by Google

2. Dices hoc modo omnia Fidei myſteria in dubium vocari poſſe, etiam Apoſtolorum ſcripta & tradita, cùm æquè præſenti Eccleſiæ, ac ipſis Chriſtus promiſerit ſe adfuturum.

Reſpondebitur Chriſtum aliò & longè efficaciori modo Apoſtolis adfuiſſe, nempè per immediatas reuelationes: nunc verò dirigendo diſcurſus, aut concurrendo cum Eccleſiâ ex priùs reuelatis diſcurrente, quod inferioris eſt naturæ. Hoc etiam tunc temporis ſummè erat neceſſarium, nempè ad ponenda Fidei & Eccleſiæ fundamenta, quibus poſitis, in ſuperſtructuris perficiendis res non eſt tantæ difficultatis. Et ideò *Auguſtinus*, apertè dicit multa innotuiſſe diuinæ Scripturæ Scriptoribus, quæ tamen non voluerunt nobis communicare, quia non neceſſaria, vt etiam ſuperiùs citaui ex lib. 2. de Gen. ad lit. c. 9. & 10. Si igitur Concilia definire vellent, quæ *à Diuinæ Scripturæ Scriptoribus* non fuerunt communicata, quia Eccleſiæ non neceſſaria; haud mirum eſt, ſi in huiuſmodi non pari certitudinis gradu procedere non cenſerentur: licet ego judicem, vt dixi, hujuſmodi puncta, ſi fortè occurrerent in Concilijs determinata, non cenſeri in ſenſu Concilij, eſſe de ſubſtantiâ Fidei, ſed benè eò ſpectare, vt alibi cito *Cajetanum* ſic reſpondentem, & à Doctoribus inſtantiæ adferri ſolent, in ſcholis ſatis obuiæ. Et ad hoc propoſitum, rectè dicit *Molina* 1. q. 1. art. 2. diſp. 1. *Quod concurſus quo Spiritus Sanctus præſto adeſt Eccleſiæ, non eſt ad conſtituendum aliquid eſſe de Fide, quod autem non erat de Fide; ſed ſolùm aſſiſtit ad declarandum ea, quæ mediatè vel immediatè ſpectant ad Fidem*, &c. Concilia ergò declarant aliquando ea, quæ *mediatè* ſolùm ſpectant ad Fidem ſecundùm *Molinam*, quæ ſine dubio ſtrictè non ſunt Fides, nec in illo gradu nos obligant.

3. Quæ ab initio libri vſque ad Caput penultimum, & in hoc ipſo capite hactenus diſputata ſunt de errabilitate Conciliorum in *ſuperfluis*, vt loquitur *Canus*, vel *triuialibus* vt *Abulenſis*, ſpeculationem ſolum ſpectant, & proindè vſus ſum termino *poſſe* non *actu* errare. Si verò diſputatio hæc in ordine ad praxim tractari deberet, hoc eſt, ad *hîc* & *nunc*, ſeu ad hanc vel illam Eccleſiæ determinationem in particulari, longè aliter philoſopandum eſſet: nam ſi de legibus humanis

agerετur,

Digitized by Google

agerentur, in quibus condendis certum eſt Principes errare poſſe: Si tamen aliquis ſubditus pronunciaret hanc vel illam legẽ iniuſtam, &c. temeritatis argueretur, & meritò pœnas lueret: quantò magis de Conciliaribus actibus Fidem declarantibus, hoc dicendum foret? Dum ergò practicè diſcurrimus, procedendum erit ſecundum regulas tàm in penultimo capite traditas, quàm in ſequenti & deinceps.

Si ergo aliquis vir ſapiens, vellet huiuſmodi materias particulares in Concilijs ſecernere, oporteret quod non procederetur ſecundum regulas à quouis leuiuſculo cerebro confictas, vel confingendas; ſed vel à Concilijs præſertim *Florentino* ſuperiùs citato, etiam *Nicæno*, vt notat *Oroſius* inferiùs citandus, adhibitas: vel à Doctoribus Catholicis & probabilibus, præſertim ab *Athanaſio, Auguſtino, Lerinenſi, Bernardo, Cano, Cardinali Polo, Roffenſi, Cajetano, Stapletono, Grauina*, citatis, & alijs paſsim admiſſas, quorum ad amuſsim poteſt vir doctus omnia perpendere, vt *Nicolaus Papa* docuit, & cum filiali reuerentiâ comprobare. Nec indè decreta Conciliorum præſertim neceſſaria in dubium vocari poſſunt, nempè ſi non excedantur termini ſeu regulæ à Concilijs, Patribus & Doctoribus, vti dixi, admiſſæ in diſtinctione neceſſariorum, ſeu fundamentalium à non fundamentalibus, ſeu non neceſſarijs. Regulæ verò à Catholicis Doctoribus in hâc materiâ applicatæ, partim ſuperiùs explicatæ ſunt, & pro re natâ in curſu operis explicabuntur.

4. Obſeruandum tamen vel maximè, quòd nullâ ratione licet alicui particulari perſonæ, Cõciliorum decretis, etiam in rebus minutioribus ſeu ſuperfluis, ex ſuo priuato Iudicio *reluctari*, ne ipſi Saluatori contra ſalutem ſuam perniciosiſſimè reluctetur, qui teſtimonium perhibuit Eccleſiæ ſuæ, vt loquitur *Auguſt.* in cauſâ *Cypriani* Tract. de Eccleſ. vnit. c. 19. Et in hoc caſu optimè decernitur à pijſſimo Imperatore in Chalcedonenſi. *Si quis Idiota, vel Militaris, vel Clericus publicè de Fide turbam congregans ſub obtentu diſputationis tumultum fecerit, ſciat, quia ſi quidem Idiota ſit, ab vrbe Regiâ expelletur, militaris verò & Clericus gradus ſui periculum ſuſtinebunt & pœnis alijs ſubjacebunt*, &c.

Vndè *Athanaſius* ad *Epictetum. Quâ audaciâ ſit, vt poſt tanti Concilij*

 (de Nicæ-

(de Nicæno agit) *authoritatem, diſceptationes aut quæſtiones inſtituant? Quòd ſi ex genere Arrianorum ſunt, nihil mirum, ſi quæ contra ipſos promulgata & ſcripta ſint, calumnijs oppugnent,* &c. Poſtea. *Sin ex eorum numero ſunt, qui quum Orthodoxorum ſpeciem habeant, & amplecti videantur, quæ à Patribus ſunt edita, diſputando tamen ea ſubuertere moliantur; nihil aliud faciunt, quàm Proximũ ſuum portant ſubuerſione Lutulentâ, verborum pugnis digladiantes, non ad alicuius vtilitatem, ſed ad ruinam hominum ſimplicium.* Grauiſsima ſunt hæc & notatu digna. Tandem ipſum Concilium Chalced. Act. 1. *Sic ſanciuit Sancta Synodus dixit, ſic: Si quis innouat, Anathema ſit: Si quis diſcutit, Anathema ſit, Sanctorum Patrum Fidem ſeruemus.* Nullo igitur modo licet in dubium vocare quæ Synodicè definita ſunt.

Magis ſanè decet modeſtiam Chriſtianam ſimpliciter acquieſcere decretis Conciliorum indifferenter, tàm in materijs grauioribus, quàm leuiuſculis. Vtique ſententiæ Sapientum, licet non adeò multorum, ſecundùm Philoſophum in Topicis, reddunt rem controuerſam probabilem, quantò magis argumentum deductum ab authoritate, tàm celebris Conſeſſus Sapientum quietare poteſt animum humilem? vndè *Aug.* Serm. 14. de verb. Apoſt. c. 12. *Fundata res eſt in alijs quæſtionibus non diligenter digeſtis, nondum plenâ Eccleſiæ authoritate firmatis, ferendus eſt Diſputator errans, ibi ferendus eſt error; non tantùm progredi debet, vt etiam fundamentum ipſum Eccleſiæ quatere moliatur.* Rectiſsimè certè *Diſputator*, hoc eſt, vt ſuperiùs locutus eſt, *Reluctator* hîc non *ferendus eſt*, fundamentum vtique *Eccleſiæ*, hoc eſt Charitatem & pacem Fidelium *quatere molitur.*

Conſultiſsimum verò eſſet iſtiuſmodi hominibus, qui ſuis ſenſibus & opinationibus tàm pertinaciter adhæreſcere ſolent, grauiter expendere, quod de Antiocho licet Sapientiſsimo ſic commemorat *Cicero* l. 4. de *Academ. quæſt.* Antiochus *hæc ipſa quæ à me defenduntur, & didicit apud Philonem tamdiu, vt conſtaret diutiùs didiciſſe neminem, & ſcripſit de his rebus acutiſsimè, & idem hæc non acrius accuſauit in ſenectute, quam antea defenſitauerat*: vtique ſæpè ſæpius mutant ſententias, qui ardent ſtudio veri reperiendi, & non vt quidam ſcioli ſolent, in minimis etiam

Digitized by Google

mis etiam rebus pugnaciter certare, quaſi tales eſſent, qui nihil vnquam falſi approbent, qui nunquam *aſſentiantur*, qui nihil *opinentur*, hoc eſt pro veris falſa probent, vt loquitur & intelligit *Cicero* vbi ſupra, & eò fit, vt errent, & vagentur latiùs. Sumus vtique omnes magni *opinatores*, ſapientes paucifsimi, quorum hanc cenſuit *Arceſilus* vim eſſe maximam (*Zenoni* aſſentiens) *cauere ne capiantur, ne fallantur videre*: quod ſi cauere volumus, Eccleſiæ determinationibus omninò adhærebimus.

5. Optima verò incedendi via in definitionibus ſanciendis eſſet illa Concilij *Epheſini*, vbi vt *futuris exempla præberent*, vt notat *Lerinenſis* cap. penult. *Cum de ſanciendis Fidei regulis diſceptaretur, ne qua illis forſitan prophana nouitas in modum perfidiæ Ariminenſis obreperet, vniuerſis Sacerdotibus, qui illò ducenti ferè numero conuenerant, hoc Catholiciſsimum fæliciſsimum atq; optimum factu viſum eſt, vt in medium Sanctorum Patrum ſentētiæ proferrentur.* Poſtea ſcilicet. *Ritè atq; ſolemniter ex eorum conſenſu, atq; decreto antiqui dogmatis religio confirmaretur, & prophanæ nouitatis blaſphemia condemnaretur.* Hæc ille.

Quem etiam agendi modum obſeruabant Patres *Nicæni*, vt teſtatur *Athanaſius* Epiſt. de Decret. Nicæn. Synod. *Ecce nos*, inquit, *demonſtramus iſtiuſmodi ſententiam, à Patribus ad Patres, quaſi per manus traditam eſſe.* Non ſolùm igitur dixerunt, ſeu pronunciarunt eſſe à Patribus traditum, ſed *demonſtrarunt*, ſic *Athanaſius*, quod vel maximè notandum eſt. Idem etiam factum legimus in Chalcedonenſi, vt manifeſtè habetur in actis Conc. Chalcedon. parte tertiâ, vbi adducunt Teſtimonia, tàm Orientalium, quàm Occidentalium Patrum pro veritate defenſionis Fidei, quam *Martiano* Imperatori explanarunt Patres adhuc conciliariter congregati. Hoc etiam in 6. General. Conſtant. contra *Macarium* & ſuos patet Act. 7. & ſequentibus; omnes hæc norunt, qui concilia legunt. Hic eſt mos, vt antiquiſſimus, ſic vſitatiſsimus in ſingulis pænè Concilijs; & certè in recentioribus Concilijs, ſcilicet *Florentino* & *Tridentino* idem factum eſt, vt patet in nuperâ Hiſtoriâ prioris, etiam in putatitiâ illâ *hiſtoriâ* poſterioris. In ipſo quidem Corpore horum Conciliorum non texuntur ſingulæ rerum

Digitized by Google

diſcuſsiones, vt fecerunt illa priùs citata Concilia, quæ tamen tàm in Hiſtorijs, quàm ſcriptis Doctorum Conciliarium celebrantur, & exhibentur. Quis autem eſt, quem non moueat clariſsimis monumentis teſtata, conſignataq; antiquitas? vt rectè *Cicero* de Diuinatione l. 1.

CAPVT XIX.

An, & quomodo Concilia poſſunt declarare obſcura?

1. SI quæſtio ſuboriatur de re valdè obſcurâ, & ad eius dilucidationem cogatur Concilium, quòd facilè contingere poteſt, quandoquidem Scripturas non ſolùm indeterminatè, ſeu confusè aliquando; ſed obſcurè ſupra captum noſtrum eloqui teſtatur *Irenæus* l. 2. c. 47. *Quid mali eſt ſi & eorum, quæ in Scripturis requiruntur*, &c. *quædam quidem abſoluamus ſecundùm gratiam Dei, quædam autem commendemus Deo, & non ſolum in hoc ſæculo; ſed & in futuro vt ſemper quidem Deus doceat?* &c.

Procedendum eſt conſequenter ad priora, ex Patribus & Concilijs deſumpta fundamenta; Eccleſiam vel Concilia non cenſeri velle alias dare reſponſiones, quam ex Sacris Scripturis haberi poſſunt, vbi clara eſt, vel ſeipſam interpretatur. Secundùm illud *Auguſtini* in Epiſt. 48. non tàm fuſiori, quàm doctiori. *Quis non impudentiſſimè nitatur aliquid in Allegoriâ poſitum pro ſe interpretari, niſi habeat & manifeſta teſtimonia, quorum lumine illuſtrentur obſcura?* Et vt etiam habet *de vnitate Eccleſiæ* c. 5. agens de Sacris Scripturis. *Multa etiam ſunt propter exercendas rationales mentes figuratè atq; obſcurè poſita per ænigmatis imagines, vel ambiguitatis ancipitem ſenſum, fallaci aliquando interpretationi conſonare, & conuenire creduntur: hoc etiam prædico atq; propono, vt quæ aperta & manifeſta, diligamus*. Poſtea. *Prorſus quæ alicuius, vel talis interpretationis indigẽt, interim ſeponamus: non quia falſa ſunt, quæq; hoc modo de talibus tanquam inuolucris interpretando ſoluuntur: ſed quia vel interpretem quærunt*, &c. Sed aperta veritas clamet & luceat, in obturatas *aures irrumpet*, &c. Notandum tamen quod aliquid poteſt eſſe obſcurum huic vel illi,

Digitized by Google

vel illi, quod erit clarum Eccleſiæ & eius Doctoribus ac Magiſtris, & ſic ſemper intelligendus eſt ſenſus quæſtionis.

Hoc dico quando ad terminandas Fidei controuerſias agitur: aliàs, vt *Auguſt.* c. 6. notat, aliter agi poteſt, dum inter Eccleſiæ parietes aliquid agitatur. *Non à vobis quærimus, quid lapis ille ſignificet*, &c. *Requirant iſta prudentiores atq; doctiores, & in populo placato eloquantur, vbi non obſtrepat improba contradictio de obſcuritate*, &c. In materiâ Fidei declarandâ, non niſi textibus apertis hærendum in ejus judicio; vt etiam ibi fuſè declarat, nam reliqua ad exercendas mentes obſcurè poſita ſunt. Secundùm illud *Iren.* l. 2. c. 48. *Quæ non apertè dicta ſunt, neq; ante oculos poſita, copulare abſolutionibus Parabolarum, quas vnuſquiſq;, prout vult admiſerit, ſic enim apud nullum erit regula veritatis; ſed quanti fuerint, qui abſoluent parabolas, tantæ videbuntur, & veritates oppugnantes ſe inuicem*, &c.

2. Quòd ſi in Scripturis non habeatur, quod controuertitur: reſtat, vt ex certæ antiquitatis conſtanti teſtimonio certiſsimè erui poſſit, adeò vt ad exponendos huiuſmodi obſcuros textus, niſi per manus vel ſcripta veterum extiterint Apoſtolorum, nihil videatur infallibiliter certi ſtatui, & propterea aliud Patres non velle, cenſendi ſunt. Secundùm illud *Cæleſtini Papæ* in Epiſt. ad Gallos c. vlt. *Profundiores verò & difficiliores partes incurrentium quæſtionum, quas latiùs pertractarunt, qui Hæreticis reſtiterunt, ſicut non audemus contemnere, ita non neceſſe habemus aſtruere.*

Optimè etiam *Cæcilius* apud *Minutium Fælicem. Meâ quoque opinione, quæ ſunt dubia, vt ſunt, relinquenda ſunt: nec tot à tantis viris deliberantibus temerè & audaciter in alteram partem ferenda ſententia eſt, ne aut anilis inducatur ſuperſtitio, aut omnis religio deſtruatur.* Hũc verò noſtrũ ſenſum omnes fermè Doctores, vt credo (niſi qui tertiam amplectantur opinionem præter veterum ſententiam de quibus egi fuſè c. 4.) amplexuri ſunt. Nam vt optimè *Aug.* Epiſt. 49. in fine. *Quod in eis* (nempè Scripturis) *eluxerit ſine Tipho arrogantiæ communicandum, quod autem latuerit ſine ſalutis diſpendio tolerandum.*

Et vt alibi *Auguſtinus* l. 2. de peccat. meritis & remiſſ. c. 36. *Vbi*

Digitized by Google

de re obſcuriſſimâ diſputatur, cohibere ſe debet humana præſumptio, &c. *nihil faciens in partem alteram declinando*, &c. *Vani quidem homines, quibus non eſt ſciētia Dei*; vt Sap. 13. ſcribitur, *nihil ſic amāt*, vt inquit Gloſſa, *quam ſcientiam promittere, & ſcientiam rerum verarum*, quas credere paruuli præcipiuntur, vt rectè *Ægidius* alibi citatus in c. ſuo vltimo, quod optimè quadrat Hæreticis.

Sed aliter *Auguſtinus* Epiſt. 29. ad *Hieron. Aduerſus eos qui ſibi videntur ſcire, quòd neſciunt in hoc tutiores ſumus, quòd hanc ignorantiam noſtram non ignoramus*, &c. Subjungit. *Aliud eſt enim, quod neſcire malum eſt, aliud quod ſciri, vel non poteſt, vel non opus eſt, vel ad veritatem quam quærimus indifferens eſt*, &c. Et de his poſterioribus intelligendi ſunt omnes textus, obſcuritatibus tantis inuoluti. De quibus agens iterum *Auguſt*. Epiſt. 59. ſub finem dicit: *Vtile eſt autem, vt de obſcuritatibus Diuinarum Scripturarum, quas exercitationis noſtræ cauſa Deus eſſe voluit, multæ inueniantur ſententiæ, cùm aliud alij videtur, quæ tamen omnes ſanæ Fidei doctrinæq; concordent*. Expoſitiones talium locorum non ſunt Fidei; ſed debent eſſe *ſanæ Fidei* concordes, ſecundùm *Auguſtinum*. Et ideò ipſe in fine Epiſt. 78. poſt diſſertationem de Hebdomadibus Danielis concludit, *Magis eligo cautam ignorantiam confiteri, quam falſam ſcientiam profiteri.*

Hîc etiam valet illud *Proſperi* de *Vocatione Gentium*. lib. 1. cap. 15. *Laudemus & veneremur quod agitur, quia tutum eſt neſcire, quod tegitur.*

Et cap. 21. ſic loquitur: *Quæ Deus occulta eſſe voluit, non ſunt ſcrutanda: quæ tamen manifeſta fecit, non ſunt neganda, ne & in illis illicitè curioſi, & in iſtis damnabiliter inueniamur ingrati. Non autem ignoramus eſſe quoſdam tàm inconſideratæ præſumptionis, & tàm ſuperbæ arrogantiæ, vt quod præcipuus Magiſter gentium, non ab hominibus, neq; per hominem, ſed diuinitùs eruditus ſupra menſuram ſcientiæ ſuæ, longè & altè remotum eſſe confeſſus eſt, audeant falſi nominis temerare doctrina, & nihil illic occultum nihil velint eſſe ſecretum, vbi Apoſtolus non quid ſentiendum eſſet aperuit, ſed quid non ſcrutandum eſſet oſtendit*, &c.

Optimè igitur *Damaſcenus* de *Orthodoxa Fide*. cap. 1. *Proindè diuina natura, vt cuncta perſpecta & explorata habens, & quod cuiq; conducebat procu-*

Digitized by Google

bat procurans, id quod noſtra ſcire intererat, aperuit: quod autem eiuſmodi erat, vt vires noſtras & captum excederet, reticuit. His itaq; contenti ſimus, in his hæreamus, nec committamus, vt æternos metas dimoueamus, traditionemq; diuinam tranſgrediamur.

3. Quòd ſi ponatur per poſsibile vel impoſsible, verba Conciliorum aliud ſonare, dicendum eſt cum *Cajetano* vbi priùs, illa intelligi debere cum *grano ſalis*, hoc eſt *ſtantibus communiter præſumptis.* Vt etiam ille. Obligabuntur tamen fideles reuerenter tractare ſententiam Conciliorum etiam in iſtis, quæ ſtrictè loquẽdo non ſunt Fides, prout omnia huius generis æſtimanda ſunt. In hoc etiam Catholici Doctores conuenire debent. Fides verò non poteſt eſſe, quòd à Patribus in ſe vel neceſſariâ conſequentiâ non deſcenderit. Hîc nempè valet illud *Hieronymi* ad Pammach. ſuperiùs cap. 9. *Cur profers in medium, quod Petrus & Paulus edere noluerunt*, &c. Sermo vtique Diuinus Apoſtolis immediatè, & primo creditus eſt, Eccleſia ſolum ab ipſis accepit, addere igitur nec poſſunt, nec debent, v. g. *Iohannes* dicit c. 6. 19. cùm remigaſſent quaſi ſtadia 25. aut 30. Quod *Ioanni* non fuerit clarè reuelatum à Spiritu Sancto, quæ Conciliaris poteſtas jam determinabit, certò ſcilicet, quot ſtadia remigaſſent?

Sanctus Hieronymus Ep. 2. ad *Nepotianum* teſtatur quòd dum ſtuderet Conſtantinopoli ſub *Gregorio Nazianzeno*, petijt ab illo Quodnam Sabbathum intelligebat in prædicatione ſuâ *Lucæ*. 6. quod ibi vocat Sabbathum *ſecundum, primum:* & reſpondebat magnus ille diuinarum Scripturarum Magiſter, ſe neſcire, licet aliqui poſteriores non tantam inueniant difficultatem, nam græcè dicitur δευτερόπρωτον σάββατον ſingula ſcilicet Sabbatha poſt δεύτερον hoc eſt poſt craſtinum Paſchæ nominabantur, vndè videtur patere, quod hîc intelligatur primum Sabbathum poſt illam diem. Sed vt dixi Patres non voluerunt definire, quia videbatur textus obſcurus.

Sic tùm alibi, tùm Actuum c. 11. v. 24. dicitur magnam multitudinem Deo fuiſſe annumeratam, nempè ex prædicatione Barnabæ, ſic etiam v. 21. ejuſdem Capitis magnum numerum Fidelium Domino fuiſſe conuerſum, &c. Frequens in Actibus Apoſtolorum, eſt hîc indetermi-

indeterminatus loquendi ſtylus; & quis exactè determinabit numerum conuerſorum, quem Spiritus Dei in illis terminis ſub obſcuris ponere voluit? imò *Diuus Auguſtinus* l. de vtilitate credendi ad *Honoratum* c. 4. dicit hoc eſſe proprium Hæreticorum, & in hoc ipſos diſtinguit à Catholicis, eo quod eis, quos illectant rationem ſe de obſcuriſſimis rebus polliceantur reddituros.

4. Perplexum denique exemplum eſt illud de *Antichriſto*, ſcilicet de nomine ejus, quod ſecundùm *Iohannem Apocalypſeos*. 13. in fine cōplebit numerum 666. Doctores poſt *Irenæum* l. 5. in fine, mirum in modum ſe & alios torſerunt. *Irenæus* reperit numerum dictum in nomine *Euan* & *Latinos*, quod ineptè & etiam contra Textum *Irenæi* applicuerunt Papæ, *Irenæus* verò ad Imperatorem Romanum. *Irenæus* etiam computauit ad nomen *Teitan*. Pulchrè verò præmiſerat *Irenæus* ibi cap. 25. *Certius ergo & ſine periculo eſt ſuſtinere adimpletionem Prophetiæ, quam ſuſpicari & diuinare nomina qualibet, quando multa nomina inueniri poſſunt habentia prædictum numerum*. Aretas ad *Lampetis*: alij alia nomina inuenerunt, vt *Luderus*, quod erat nomen Germanicum Lutheri. *D. Hubertus* Anglus Proteſtans, dicit: *Mahomet Arabicè* reſpondere numero 666. Ciuitas etiam Conſtantinopol. iſta ſepticollis. Sed omnia hæc ſunt voluntariè dicta, nam certum eſt ſine reuelatione non poſſe ſciri. Quod verò fuerit aliqua determinata perſona, & non ſeries Perſonarum, Apoſtolus. 2. *Theſſ*. 2. apertiſsimè declarat, cùm vocet ipſum *Ille homo peccati*. Hoc etiam diſcurſus *Iohannis* in Apocal. conuincit; nam de ſingulari perſonâ ſemper agit.

5. Quæ igitur indeterminatè vel obſcurè poſita ſunt, nec ab Apoſtolis verbo vel ſcripto formaliter, vel virtualiter explicata, ſic manere debent. Nam vt benè dicit *Rabbi Aben Ezra* in opere ſuo Rythmico contra curioſos Sacræ Scripturæ interpretes, vbi *in lege Ritus anni, non explicantur, quomodo menſes ſupputabimus?* Vndè *Auguſtinus* lib. de vnit. Eccleſiæ c. 5. *Hoc etiam prædico atq; propono, vt quaeque aperta & manifeſta deligamus.* Infra. *Illa interim ſupponenda ſunt, quæ obſcurè ſunt poſita, & figurarum velaminibus inuoluta, & ſecundùm nos, & ſecundùm illos poſſunt interpretari. Et quidem acutorū hominum dijudicare atque diſcernere,*

quis ea-

quis ea probabiliùs interpretetur: ſed nolumus in has ingeniorum contentiones, in eâ cauſâ quam populus tenet, noſtram diſputationem cōmittere, &c. Inter acutos homines aliter agendum; atque aliter in cauſa, quam Populus tenet.

Ipſe Deus in Scripturis, *Anthropopathijs* ſæpè vtitur, ad captum hominum loquitur. Vndè Regula illa Generalis Rabbinorum, *Loquitur lex ſecundum linguam Filiorum Hominum.* Imò qui Rabbinicè Scripturas tractant, dicunt Deum *Homonymis* vti, vt vulgus vno; perfectiores alio ſenſu dicta intelligerent.

Quicquid ſit, Patres Chriſtiani hæreſes declarabant, & Hæreticos conuincebant, non per figurarum velamina, vel textus velaminibus inuolutos, non per Ingeniorum contentiones: ſed per ſcripturas vel rationes euidentes: ſic vtique teſtatur Fidei Magiſter *Auguſtinus.* Conſultum igitur eſt, quòd *Baſil.* hom. 29. contra Calumniatores S. Trinitatis de huiuſmodi obſcuris agens: *Ne quæras, quæ inueniri non poſſunt; non enim inuenies.* Hoc certè hic meritò dici poteſt. Hoc pro Eccleſiaſticâ Fidei regula poſuerunt Patres: nempè vt in hæreſibus enunciandis & damnandis, hoc modo ſemper incederent. Quòd ſi occurrere poſſet aliquis caſus in re obſcurâ neceſſarius toti Eccleſiæ, & hîc, & nunc propter imminentes ſeditiones neceſſariò declarandus, optimè conſulit *Auguſtinus* in libro 7. de Baptiſmo. c. 53. agens de re quæ ipſi videbatur valdè obſcura, nempè, de valore Baptiſmi mimici & iocularis dicit: *Diuinum iudicium per alicuius reuelationis oraculum concordi oratione implorandum eſſe cenſerem.* Sed credò, quòd Eccleſia ad has perplexitates non facilè reduceretur; ſi tamen ſic Deus permitteret, non aliud ſanctius vel ſalubrius ſupereſſet conſilium.

Petes, quid ſi in Patrum ſcriptis, res quæſita haud tacta fuerit, vt poſsibile eſſe ſuo loco oſtendam ex *Auguſtino.*

In hoc caſu dico, quòd Traditio Apoſtolicâ voce non ſcripta conſeruata, ex conſenſu Eccleſiarum depromenda eſt, vt *cognoſcatur vera de ortâ aliquâ quæſtione,* quæ ſit totius Eccleſiæ ſententia, & quam traditionem ſeruent Eccleſiæ Chriſti, ad hoc autem non eſt alia melior ratio, quam ſi in vnum conueniant Epiſcopi ex omnibus Pro-

bus Prouincijs, & quiſque referat Eccleſiæ ſuæ conſuetudinem, vt rectè *Bellarminus* de Rom. Pont. l. 4. c. 7. Ad hoc etiam propoſitum benè dicit *Catherinus* l. 4. contra *Cajetanum*: *Emergunt aliquando in Eccleſiâ aliæ quæſtiones etiam inter Catholicos, quæ aut non habent Scripturarum teſtimonium, pro quauis parte: aut licet habeant, propter variè opinantes, & rem non valdè apertam, non ſatis tamen apparet, & nihilominus imminet decidendi neceſſitas ad ſedanda ſchiſmata & ſcandala. Cùm ergò id accidat, non dubito, quòd præter ea quæ de ſcripturis accipi poſſent in argumentum, Pontifex poſſet ad determinandum alijs momentis impelli, puta à diuturno more Eccleſiæ*, &c.

Quod ſi Catholica Eccleſia in ſuis Epiſcopis vniuerſaliter & conciliariter cõgregatis, videatur aliquod punctum vniuerſaliter recepiſſe, & tamen apud aliquos veteres & celebres Patres inueniatur eadem res, ſolùm problematica, vel planè extra limites Diuinæ Traditionis poſita; præſens Eccleſiæ ſenſus, illorum Patrum teſtimonia ſcripta vincere debet, ſecundùm ea quæ ſæpius dicturus ſum alibi pro re naſcente in curſu operis. Et hoc expreſſiùs & illimitatiùs tenet Dialogiſta in tertio Dialogo, vbi diſertè aſſerit, quod plurium Patrum teſtimonia pro oppoſito, ſiue in vno vel diuerſis vixerint ſæculis, non conuincunt rem non fuiſſe ab initio traditam.

7. Fundamentum eius eſt, Quod non tàm per Patrum ſcripta, quàm fidelium manus, omnes veritates de neceſsitate ſalutis credendæ, ad hæc & futura ſæcula tranſmiſſæ ſunt, adeò vt Filius à Patre, Pater ab Auo, Auus ab Atauo, Atauus à Proauo, &c. vſque ad ipſos Apoſtolos fidem inquirere debet, & vult non eſſe opus, ſcripta Patrum voluere ad hunc effectum, vt ſæpius in duobus ſuis opuſculis, nempè Cathecheſi & citato Dialogo oſtendit. Sed hoc patietur infinitas difficultates ob ſenſum totius Eccleſiæ, & Praxim Conciliorum, quæ ſemper Patrum ſcripta conſuluerunt, vt ſæpius oſtendo, caſu vero, quo Patres non attigerint ſcripto, ad voce tradita per Eccleſias recurrunt.

Addendum igitur licet caſus ſit impoſſibilis, quod ſi Antitheſis interuenerit inter ea quæ Patres vniuerſim ſcripſerint, & quæ hodie videmus celebrari, aut res non erit Fides, & tunc non multum morandum:

randum:

randum: vel ſi fuerit Fides, Patrum ſcripta ſunt præferenda, quia per ipſos videmus ſenſum Eccleſiæ in illis temporibus. Quo verò propius acceditur ad veritatem, ipſum ſcilicet Chriſtum in terris conuerſantem, eo maior certitudo Fidei, & vt rectè dicit *Canus* l.7.c.3.con.4. Huiuſmodi traditiones non per alios, quam per Epiſcopos illos antiquos & ſanctos Authores Apoſtolis ſuccedentes, ad nos vſque peruenerunt.

CAPVT XX.

An in vllo caſu liceat reſiſtere Conciliorum Declarationibus, &, An vlli Doctores Catholici dixerint Concilia poſſe errare?

1. QVomodòcunque res ſe habeat, niſi manifeſtè conſtet (quod nunquam præſumendum eſt de Concilijs verè vniuerſalibus) Patres in Concilio non Conciliariter proceſsiſſe, vt loquitur *Martinus* quintus in causâ Conſtantienſium, vel quòd defectus fuerit aliquorum, *quæ ad legitimam Concilij Concluſionem neceſſaria ſunt*, vt loquitur *Petrus à Soto* ſuperius, periculoſiſsimum erit *refragari*, vel *ſemel judicata ac rectè diſpoſita reuoluere*, & publicè diſputare, vt habetur de ſummâ Trinitate, & Fid. Cath. Imò durum erit, vel oppoſitum *opinari* definitioni Conciliorum, etiam in *minutioribus*: nempè quia licet non ſint ſimpliciter de Fide in ſeipſis, cùm exigui ſunt ponderis & vt ſupponitur, non manifeſtè habentur in ſcriptis, vel traditis Diuinis, nec ex illis neceſſariò illatis; tamen ex *modo* cenſeri poſſunt de Fide: nempè quia conciliariter proponuntur, & ideò non ſunt *reprobanda*, no quidem opinatiuè: licet huiuſmodi hominem haud hæreſeos inſimulare audeam, vt anteà dixi ex multis doctoribus. Sed ſi *reluctetur*, vt loquitur *Auguſtinus*, hoc eſt publicè reſiſtat, vt ſæpius loquitur *S. Leo* apud Facundum, & ipſe Facundus non rarò, Catholicus æſtimari non poteſt. Siquidem *neque Catholicus quiſpiam poteſt tantæ Synodi authoritati reſiſtere*, vt loquitur *Facundus* in

fine lib. 5. Licet Aduerſarij etiam illi, qui videntur in reliquis moderatiores, ex ſcriptis tranſcurſorijs *Panormitani* in c. *Significaſti de Electione. Gerſonis* par. 1. de exam. Doct. Sect. 1. conſ. 5. doceant, *quemcumque hominem doctum poſſe & debere toti Concilio reſiſtere, ſi videat illud ex malitiâ, vel ignorantiâ errare*.

Verba ſunt *Gerſonis*, & ex illo deſumpſerunt: ſed caſus, vt dixi, eſt impoſsibilis reſpectu Conciliorum verè Generalium: Et prolatio talium verborũ ad nullum alium inſeruit finem, quã vt debitam erga Concilia reuerẽtiam auferat. Et oſtendunt ſpiritum longiſsimè diſtantem ab *Auguſt.* & omnium veterum integritate, quinimo hominem reluctantem, &c. millies *Auguſtinus* Hæreticum declarat, vt etiam hinc inde in hoc opere oſtendo.

2. Imò Doctor *Subtilis* 4. d. 5. q. 1. tractans cauſam *Cypriani*, negantis valorem Baptiſmi ab Hæretico collati, putat poſſe peccari venialiter nimis adhærendo ſuis cõceptibus, etiã ante determinationem Concilij, verba ſunt: *Vndè ſi Cyprianus ita ſenſit, apud Hæreticos non eſſe Baptiſmum, quod tamen promptus eſſet ſentire animo circa hoc, quod Eccleſia determinauit, in nullo errauit: niſi fortè venialiter peccando, quia nimis aſſeruit illud, ad quod nec authoritatem, nec rationem vrgentem habuit*: Poſteà. *Et hoc fortè innuit Aug. eum peccaſſe venialiter his verbis. Dum eos deteſtàretur, ſi quid purgãdum erat, paſsionis falce tolleretur.* Addit Doctor. *Et ſic poteſt excuſari* (ſcilicet à peccato grauiori) *Abbas Ioachim, quia etſi ſententiam erroneam dixit*; Sicut patet extra de ſum. Trin. & Fid. Cath. *Quòd tres perſonæ non ſunt aliqua vna res, quæ non generat, nec generatur, nec ſpirat, nec ſpiratur, quia non dicitur hoc pertinaciter defendiſſe, ſed omnes libros ſuos reliquiſſe, ſecundùm judicium Eccleſiæ corrigendos.* Hactenus Doctor.

Cum ſententiâ verò ſuperiùs allatâ & in Cap. præcedẽte fuſiùs examinata, quam etiam oſtendi eſſe. *Valdenſis*, de excuſatione hominis ſic *opinantis* (modo non reluctetur) &c. ab hæreſi, conueniunt *Innocentius* in Decreto, & *Panormitanus* ibi & 1. p. *libri Decretalium* tit. *de Electione* in c. *ſignifitaſti* & alibi, Cameracenſis alibi hîc citatus, Mirandula, & ante eum *Cuſanus* l. 2 Concord. Cath. c. 4. & alij non pauci,

pauci, & puto omninò ſequi ex Principiis, quæ ponit *Canus* in locis alibi citatis, & conſtat planè eſſe ſententiam *Cordubæ*. Omnes hi dico, excuſarent hominem caſu prætacto.

3. Scio aliquos opinari, hos Doctores tenuiſſe Concilia Generalia, & verè œcumenica ſimpliciter errare poſſe, ſaltem in judicio eorum non eſſe manifeſtam hæreſim hoc aſſerere, etiam in materiâ Fidei & morum, quos etiam ſequuntur aliquot Neoterici, quibus fundamenta dediſſe *Aug.* l. 2. de Bapt. c. 3. autumant multi. Imò communem eſſe veterum opinionem prædicant, (de quo poſtea) obiter tamen dicam propter Noſtrates, propoſitionem qua aſſeritur, *Concilia vniuerſalia eſſe ſimpliciter fallibilia*, fuiſſe in Angliâ Synodicè adjudicatam hæreticam, & Promulgatorem ejus pænis hæreſeos obnoxium, vt teſtantur Chronica noſtra à Proteſtantibus edita, vt videre eſt in Stoo ſub *Henrico Sexto* in cauſâ *Reginaldi Pecock* Epiſcopi Ciceſtrienſis, qui coactus eſt in Eccleſiâ S. Pauli abjurare, vt Hæreticam hanc (inter alias) quas euomuerat propoſitiones. *Quòd non eſt de neceſſitate ſalutis credere & tenere: Illud quod Generale Concilium & vniuerſalis Eccleſia ſtatuit approbat, aut determinat in fauorem Fidei, & ad ſalutem animarum, eſt ab vniuerſis Chriſti fidelibus approbandum & tenendum.*

4. Quoad Doctores verò, quos citant prædicti opinantes, ipſorum loca vidi & expendi: & ſanè videri poſset, tàm Valdenſem, quàm reliquos, omninò de rebus non fundamentalibus egiſſe. Valdenſis quidem l. 2. *Doctrinalis Fidei* a. 2. c. 19. ſtatim poſt initium habet hæc verba: *Generalem Synodum aliquoties erraſſe percipimus*: ſed nullas ibi applicat inſtantias, niſi de Ariminenſi, & illa Conſtantinopolitana ſub *Iuſtiniano Minore* tempore *Sergij* Papæ; hìc ergò nihil contra nos.

In verbis verò ſuperiùs citatis, videtur, vt dixi, ſatis commodè intelligi poſſe de non fundamentalibus, ſeu non neceſſariis, & in hoc *Canus* & communiter Doctores conueniunt. De *Panormitano* patet loco citato, dicit enim ſolùm, quòd in *concernentibus Fidem* poteſt errare, hoc eſt fortè, quod alibi dixi, poteſt errare non in Fide ſimpliciter; ſed circa Fidem, ſeu in rebus circumiacentibus Fidei, non igitur in fundamentis, & dat inſtantiam ſolum de *raptâ & Raptore.* Ibi

Digitized by Google

etiam dicit Concilium vniuerſale non eſſe Eccleſiam vniuerſalem, quoad effectum Infallibilitatis.

5. Sed vere eſt ſolum λογομαχια, nam ſi intelligeret ille Concilia Generalia in eodem ſenſu, quo intellexerunt veteres & multi recentiores, vt ſepiùs oſtendo, hoc non dixiſſet. Nam certè qui diceret Concilia vniuerſalia errare poſſe, ſumendo Concilium Vniuerſale in ſuo vero ſenſu, quem in ſequentibus clariùs & fuſiùs explicabo ex ſanctis Doctoribus tàm veteribus, quàm recentioribus, & ex ipſâ rei naturâ; verè erit Hæreticus, potiùs Hæreticiſsimus; nam fundamentum Fidei, non ſolum quatitur, ſed concutitur, ſecundum illud *Agathonis Papæ* ad Concil. Gener. 6. Conſtantinop. *vt autem veſtræ pietati, quid Apoſtolicæ noſtræ Fidei vigor contineat, breuiter intimemus, quæ præcipimus per Apoſtolicam Apoſtolicorumq; Pontificum Traditionem, & Sanctarum quinque Generalium Synodorum, per quas fundamenta Catholicæ Chriſti Eccleſiæ firmata ſunt.* Ecce ipſa Eccleſiæ fundamenta firmantur per Concilia Generalia, nam hoc vult ille: vtique tunc ſolùm erant quinque illa Generalia. Hæc enim ejus ſuggeſtio miſſa eſt, vt dixi Generali 6. & ibi lecta & approbata eſt. Benè igitur dixi, quod ſit Hæreticus in ſuperlatiuo gradu, qui Concilijs Vniuerſalibus contradixit; nam fundamenta ipſa deſtruit ſecundùm Agathonem.

De eâ igitur re non debet eſſe quæſtio, vbi quicquid eſſet, quæſtio eſſet, vt *Auguſt.* Ep. 151. omnia ſcilicet in dubium vocari poſſent, admiſſâ huius veritatis quæſtione. Quòd igitur iſtiuſmodi hominem, in ſuperlatiuo gradu Hæreticum inſimulemus, nemo mirari debet: Nam vt *Aug.* de Pec. Originali agens ſer. 14. de verbis Apoſt. *fundata iſta res eſt. Ferendus eſt Diſputator errans in alijs quæſtionibus, non diligenter digeſtis, nondum plenâ Eccleſiæ authoritate firmatis: ibi ferẽdus eſt error, non tãtùm progredi debet, vt etiam fundamentũ ipſum Eccleſiæ quærere moliatur.*

6. Veritas igitur Infallibilitatis Eccleſiæ nullo modo ex animo Chriſtianorum *exuri* debet. Nam, vt optimè *Roffenſis* in art. 29. *Non poteſt quiſquam articulus hoc vno peſtilentior excogitari. Tollit enim vniuerſum totius Eccleſiæ robur, ſed & animos Chriſtianorum prorſus incertos reddit, cui potiſsimum credere debeant; Nam ſi Generali Concilio ſecurè*

Digitized by Google

credi non poteſt, cuius erit authoritati credendum? &c. Et ideò *Cyprianus* Ep. 52. poſt alia dicit. *Et nunc ab his non recedere, quæ ſemel in Concilio noſtro de communi collatione placuerunt, quamuis multa multorum vocibus ventilentur, & mendacia aduerſus Sacerdotes Dei, de Diaboli ore prolata, adrumpendam Catholicæ vnitatis concordiam, vbique jactentur*, &c.

7. Quod autem citatur ſupra, *de ſententiâ Excommunicationis* c. *A nobis*, vniuerſalem duntaxat Eccleſiam in Fide & eius articulis errare non poſſe, apud eum non habetur. In quæſtionibus verò, quæſtione 1. vbi Concilia aſſerit planè fallibilia; non inſtat in fundamentalibus; ſed ſolùm in deciſione illâ de Matrimonio inter raptam & Raptorem, & ibi eadē prorſùs verba, quæ alio loco habet, de electione transſumpſit, & frequenter pro re natâ hinc indè repetit. Ex quibus omnibus locis ſibi inuicē comparatis, colligo mentē huius doctiſsimi viri eſſe, quod Concilia non ſunt ſimpliciter omni *modo*, ſeú in omni *gradu* infallibilia, quòd non inficias eo. Nam vt rectè ait *Stapletonus* ſuperiùs: Non requiritur *exacta & omnimoda infallibilitas in Eccleſiâ*.

8. Quòd etiam vrgentiùs citare ſolent ex *Nicolao de Clemangis* Collat. poſter. vbi poſtquam deſcripſerat Veterum in Concilijs agendi modum, addit, *quid autem neceſſaria erat tanta diligentia, ſi exploratum habebant ſe non poſſe falli, aut deficere in his, propter quæ fuerant congregati*: hæc dico verba non aliud volunt, quam quod in Collat. prior. quorundam, nempè tumorem repreſſerat, nimis innitendo illi æſtimationi, *Generale Concilium ſumus, fidenter agamus, errare non poſſumus: quaſi ſatis eſſet Generale vocari Concilium, ad infallibilitatis donum certiùs aſſequendum*. Quòd benè militat contra tertiam in c. 4. explicatam ſententiam. Et hinc doctiſsimi & Catholiciſsimi Doctores Anglo-Remenſes in annotationibus, ad Caput 15. Actuum dicunt, Deum non concurſurum cum Patribus in Concilijs, ad infallibiles edendas definitiones, niſi quando omnem adhibuerint humanam diligentiam & induſtriam, ad inueniendam veritatem. Sed *Cardinalis Polus* de *Concilio* quæſt. 84. miniſtrat Antidota optima contra huiuſmodi inflationem, vbi poſt multa ſic loquitur: *Vtile ergò quàm maximè erit incipere à pœnitentiâ Capitum, quâ quidem auditâ reliqua mox, membra*

Digitized by Google

membra, atq; ea primum quæ interſunt Concilio, deindè populi & nationes omnes ad eandem imitandam alacrius excitantur. Quale verò tandem eſſet Concilium, quam Sanctum (agit de Tridentino cui præfuit) *quam glorioſum, quam non modo Niceno aut reliquis ſubſequentibus: ſed ipſi quoque Hieroſolymitano, in quo Apoſtoli ipſi interfuerunt, ferè comparandum, atq; etiam quantò major eſſet omnium Ordinum & Pænitentium numerus quodam modo anteponendum?* Sed redeamus ad loca Doctorum pro errabilitate Conciliorum citari ſolita.

9. *Cameracenſis* art. 3. in quæſtione veſperiarum in oct. aſſert. hoc habet. Verba ſunt: Octaua aſſertio eſt, *Quod etiam Concilium Generale poteſt contra Fidem errare, quia ipſo ſic errante adhuc ſtaret aliquos extra Concilium non errare; & per conſequens Fidem Eccleſiæ non deficere.* Ex his verbis manifeſtum eſt, ipſum non velle Concilium Generale poſſe errare, ſi ſumatur adæquatè, vt explicaturus ſum cap. ſequent. Et ideò quidam Doctor hanc eius concluſionem ſic arguebat. *Tota Eccleſia vniuerſalis non poteſt errare in Fide, &c. Ergo nec Conc. generale.* Ipſe ſic incipit reſpondere. *Antecedens poteſt deduci ex ſcripturis, ſicut conceſſi,* Ergò. *Hæc habet quæſtione de reſumptâ.* Denique nihil poteſt argui, vt probetur quæ ſit eius firma ſententia de hâc re. Nam in fine ſic concludit. *Et hæc dicta ſint de tertiâ concluſione, & ſuis adiunctis, & de totâ iſtâ quæſtione ſolùm deſputatiuè & non aſſertiuè.*

10. Mirandula quidem valdè modeſtè incedit. Verba eius ſunt Theorem. 4. vbi poſtquã fusè admodũ de hâc re diſſeruerat, ſubdit. *Ex quibus omnibus liquet varias de firmitate iudicij, Conciliorum & Pontificis ſententias à Doctoribus ferri, nec adhuc aliquid (quod ſciam) promulgatum eſt, cuius vi ad alterutrum obſtringamur;* & ne decipiatur Lector in his ejus verbis, Theoremate 8. de Fide & Ordine credendi, ſic loquitur. *Determinationibus, quæ à Concilio, vel à Summo Pontifice fiunt ſuper eis dubitationibus, quæ ſubſtantiam Fidei concernunt, quoad dum vniuerſalis Eccleſia non reclamaret, neceſſario credendum eſt:* In ſubſtantialibus ergo Concilia errare non poſſunt ſecundum Mirandulam, ſi Eccleſia Vniuerſalis non reclamet, hoc eſt, vt ipſe in eodem Theorem. explicat, *Si Eccleſiæ judicio tacitè ſaltem, vel vt aiunt interpretatiuo, ſuſpiciuntur.*

Digitized by Google

piciuntur. Hæc eius & reliquorum mens, imò videtur ſæculum illud ad hoc collimaſſe.

11. His annumerari poſſunt *Syluester*, tit. *Concilium* q. 2. tit. *Eccleſia*, tit. Fides q. 6. & 7. *Gerſon de Examine doctrinæ*, vt eos citat *Fetigianus* 3. d. 25. Vndè optimè Doctiſsimus *Corduba* in Quæſtionario l. 4. q. 1. citans *Roffenſem* in Prologo contra Lutherum veritate octaua, & *Horantium* in locis. l. 2. c. 17. dicit Chriſtum promiſiſſe aſsiſtentiam Spiritus Sancti, quando Concilium facit quod in ſe eſt, vt notat *Corduba*: *Quando vel à Papâ, vel authoritate legitimâ cogitur, ſi Epiſcopi & viri docti & prudentes ex totâ Eccleſiâ, ſi ſine affectione humanâ, &c. Sed affectu veritatis, orationibus communibus indagando per ſcripturas, Concilia præcedentia, & Doctores Sanctos, tunc & non aliter eſt legitimè & in nomine Chriſti congregatum.* Addit verò poſtea. *Supponendum, quòd ſemper ſic procedat, niſi notoriè conſtet de oppoſito.* Hæc *Corduba*; haud omninò diſcrepans à præcitatis Doctoribus ſi rectè perpendatur. Sicut nec *Celotius* inferiùs citandus, qui hæc eadem requirit in Concilio. *Bellarminus* de Conc. l. 2. c. 7. dicit legitima Concilia errare, in quibus non legitimè agunt. *Petrus* etiam à *Soto* in ſuâ defenſione c. 74. dicit. *Itaq; hunc putamus ſobrium & ſanum ſenſum eſſe illius, quòd à pluribus aſſeritur, Concilia errare non poſſe, Intelligunt enim legitimè congregata & legitimè abſque fraude & dolo agentia.*

Et hæc eſt mens *Roffenſis* in art. 29. vbi ſic loquitur, *Neque ego penitùs cuiuſcumq; Concilij decreta probanda cenſeo, ſed eius quodcunq; fuerit in Spiritu Sancto, Pontificis authoritate, cunctiſque præmonitis, quorum intereſt adeſſe, conuocandum. Tale Concilium in ijs, quæ ad Fidem pertinent errare non poſſe, firmiter opinor.* Scio aliquos propter verbum. *Opinor* contendere quod *Roffenſis* hâc in re non fuerit adeò reſolutus, ſed opinatiuè, hoc eſt, cum quâdam oppoſiti formidine hoc aſſeruiſſe: ſed nimis premunt. Et ideò in eodem Paragrapho ſic concludit. *Verum vbi mutuo conſenſerunt, & in Charitate conueniunt, non eſt dubium, quin quicquid ad Fidem pertinens decreuerint, id firmum ſolidumque cunctis adhibendum ſit.*

12. Et ideò *S. Leo* in Ep. 24. (vt habetur in in Bibliothecâ SS. Pa-

Digitized by Google

trum, enumerans cauſas errorum Concilij Epheſini, dicit; *Hæc ideò culpa proceſſit, eoquod non purâ conſcientiâ & recto judicio ſecundùm conſuetudinem, hi qui collecti ſunt, de Fide & erratibus protulerunt*, &c. Defectus igitur non ex parte Dei concurrere ſemper parati, ſed ex parte Epiſcoporum ortum habuit, & quoties occurret, habebit; Nam vt optimè *Facũdus* l. 8. *Congregatis in ſuo nomine Sacerdotibus ſuis Chriſtus deeſſe non poteſt, quia cùm ſit omnipotens veritas, mẽtiri nullatenus poteſt*,&c.

13. Quomodo verò ſciatur Sacerdotes eſſe in Chriſti nomine congregatos, paulò anteà explicauerat his verbis, nimirùm quando *dat omnibus Congregatis vnum Cor, & vnam animam, vt nullus eorum ſuam velit eſſe ſententiam, niſi quæ fuerit veritatis*. Vel vt loquitur *Malderus* in ſuâ Antiſynodica. *Fruſtra Synodi coeunt, fruſtra ad eas itur, quando non omni affectu ſequiori remoto ſolùm id quæritur, quòd Chriſti eſt*, addit. *Tum demùm in nomine Chriſti, qui conueniunt, congregantur: tùm demùm in medio eorum eſt Chriſtus*.

Nec ſuperfluè huiuſmodi reſtrictiones adhibentur à Doctoribus, ad hoc vt Conciliares rectè definiant. Nam vt benè *Auguſtinus* Ep. 75. *Nec arbitreris ideò nobis non poſſe ſubrepere injuſtam commotionem, quia Epiſcopi ſumus; ſed potiùs cogitemus inter laqueos tentationum, nos periculoſiſſimè viuere, quia homines ſumus*. Laborandum ergò & orandum eſt, vt rectè de illis dici poſsit, quod de Concilio Apoſtolorum, Act. 15. *Conuenerunt Apoſtoli* (Epiſcopi) *& ſeniores de verbo hoc*, vbi non temerè nec præmaturè, *ſed cùm magna conquiſitio fieret*, tandem omnibus liberè auditis, *viſum eſt Spiritui Sancto & nobis*, &c.

Hoc etiam non minus, quam ibi apparuit in *Nicæno*, de quo ſic traditum per *Ruffinum*, & Hiſtoriam tripartitam. *Interea per dies ſingulos agitabatur Conuentus, neque facilè, aut temerè, de re tantâ ſtatuere audebant. Euocabatur Arrius frequenter in Concilium, & aſſiduo tractatu aſſertiones ejus diſcutiebantur, & quod aduerſum hæc teneri deberet ac ſtatui, ſummâ cum deliberatione quærebatur. Tandem poſt diutinum multumq́ tractatum placuit omnibus, ac velut vno cunctorum, ore & corde decernitur, Homouſion conſcribi debere*. Qui accuratiſsimum procedendi modum à Patribus Nicænis obſeruatum explorare volet, oportet vt legat *Athanaſium*

Digitized by Google

naſium de Decret. Conc. vbi etiam teſtatur auditos fuiſſe ipſos Arrianos, & plenè diſcuſſa omnia, quæ proferre poterant. Verba *Athanaſij* ſunt: *Epiſcopi qui conuenerant* (erant autem illi plus minus 300.) *placidè & humaniter poſtulabant, vt ſuorum dictorum rationes redderent*, &c. Ex quo facilè apparet, quo ſpiritu agebant Patres, qui non ſolum audiebant, ſed *placidè & humaniter poſtulabant*, cùm imperare poſſent.

14. Vbi etiam per tranſennam notatu digniſſimum eſt, quod ſi qui dixerint *Concilia œcumenica errare poſſe*, vt de prænominatis aſſeritur, quorum ſenſum iterum opportunè declarabo manifeſtius, etiam illi ipſi & quotquot alij ſuperfuerint, tenuerunt in Concilijs eſſe authoritatem diuinitùs conceſſam, controuerſias pro re natâ exoriundas terminandi & definiendi. Hoc facilè concedent *Caluinus* l. 4. Inſtit c. 1. ſect. 5. & alibi, & clariùs *Baronus, Scotus in Apodixi*, tract. 5. c. 8. vbi in ordine ad hunc effectum fatetur Concilium Generale eſſe *ſupremum in terris controuerſiarum Iudicem*. (Hunc virum præ omnibus non dico ſuæ nationis, ſed totius Proteſtanticæ Confeſſionis, vt aiunt, acutiſſimum in duobus quæ fecit operibus, reperi.) Et ideò *Aug.* Epiſt. 15. de *Pelagij* & *Cæleſtij* Hæreſi agens, dicit: *Conciliorum Epiſcopalium vigilantiâ in adjutorio Saluatoris, qui ſuam tuetur Eccleſiam, etiam duobus venerabilibus Antiſtitibus Apoſtolicæ ſedis, Papa Innocentio, & Papa Zozimo, niſi correcti egerint pænitentiam, toto Chriſtiano orbe damnati ſunt*. Vbi patet totum Orbem ſtatim acquieuiſſe condemnationi Conciliorum etiam Prouincialium, à Summis Pontificibus confirmatorum. Geſta Conciliorum in Theopropijs mundi legitimè propoſita, ſtatim omnes obligant. Synodos vtique præcipuè ob eas Controuerſias, quæ de veritate Dogmatum emergerent, haberi, decretum eſt, vt rectè notauit *Zonaras* in Can. 40. *Laodic.* ad vnitatem nempè in Eccleſia ſartam tectam conſeruandam; quæ ſine hujuſmodi ſuprema authoritate, opinionum & ſubindè Hæreſeon confuſione conuelleretur, & pacifica Eccleſiarum Communio, etiam externa, reſcinderetur. Et illa Sacræ Scripturæ loca, quæ noſtri communiter adferunt pro Conciliorum in definiendo infallibilitate, in judicio horum & omnium ni fallor Aduerſariorum, ſaltem determina-

tiuam & deciſiuam illam poteſtatem conuincunt, cui omnes exteriùs obtemperare tenentur, ne Schiſma fiat, & hoc dico ex ſententiâ quorumcunque authoritati infallibili Conciliorum aduerſantium.

15 Nam ſicut in Decretis morum, & legibus Principum, licet certiſſimè non infallibilibus, à ſubditis tamen, ſi non fuerint notoriè injuſtæ, obſeruari debent: & ſi quis publicè aſſereret eorum aliquas eſſe injuſtas, vt pacis perturbator, meritiſſimè pœnas lueret, vt Capite præcedente notaui: Multò igitur fortiùs idem dicendum eſt in decretis fidei, etiam in ſententiâ illorum, qui ægriùs concedunt infallibilitatem Concilijs, *pro Iudice quippè ſemper ſupponendum, niſi manifeſtè appareat error*, vt rectè *Cajetanus* tom. 1. opuſc. tract. 15. de Indulgentijs cap. 8.

Vndè in lege veteri præcipiebatur ſub pænâ mortis in rebus dubijs circa ſenſum legis, ſtare judicio Sacerdotum *Deut.* 17. *Facies quodcunq; dixerint, qui præſunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus, ſequenſque ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad ſiniſtram*, &c. Nec certè à viro Chriſtiano ſomniari poteſt, Synagogam majoribus hac in parte donari priuilegijs, quam Dei Eccleſiam, cujus typus erat.

16. Quòd verò dicit *Auguſtinus* Ep. 112. *Si Diuinarum Scripturarum, earum ſcilicet quæ Canonicæ in Eccleſiâ nuncupantur, perſpicua firmatur authoritate; ſine vlla dubitatione credendum eſt. Alijs verò teſtibus, vel teſtimonijs, quibus aliquid credendum eſſe ſuadetur, tibi credere vel non credere liceat, quantum ea momenti ad faciendam Fidem, vel habere, vel non habere perpenderis.* Dico *Auguſtinum* hîc ſolum præferre Scripturas particularibus authoribus, vt paulò poſt oſtendit his verbis. *Hæc prælocutio mea nondum propoſitam diſcutit quæſtionem, ſed te atque alios qui iſta lecturi ſunt, præſtruit, quales ſeu meorum ſed quorumlibet Scriptorum judices eſſe debeatis: ne* &c. *vel temere credatis, quod neque Corporis ſenſibus, aut animi contuitu in ejuſdem rei, quæ cognoſcenda eſt, euidentiâ percepiſtis, neque Canonicarũ Script. authoritate*, &c. *tamen credendum eſſe didiciſtis.* Longè poſtea de *Ambroſij* & ſuis ſcriptis agens, dicit: *Nunquid vllo modo Euangelio nos comparabis, aut ſcripta noſtra Scripturis Canonicis coæquabis?*

Aliqui

Digitized by Google

Aliqui fortè obijciêt *Nazianzenum* Ep. 55. Procop. vbi ſic loquitur. *Ego, ſi vera ſcribere oportet, hoc animo ſum, vt omnem Epiſcoporum Conuentum fugiam: quoniam nullius Concilij finem lætum & fauſtum vidi: nec quod depulſionem malorum potius, quam acceßionem & incrementum habuerit. Pertinaces enim contentiones & dominandi Cupiditates (ac ne me quæſo grauem & moleſtum exiſtimes hæc ſcribentem) ne vllis quidem verbis explicari queant: citiuſque aliquis improbitatem arceſſet, dum alijs Iudicem ſe præbet, quam vt aliorum improbitatem comprimat. Propterea memetipſe collegi, animæq; ſecuritatem in ſola quiete ac ſolitudine mihi poſitam judicaui.* Res eſt: *Nazianzenus* vocabatur Conſtantinopolim ad Concilium de quo hîc agit, quod ad ſummum Nationale, non Generale erat: in quæſtione vocabatur an rectè Epiſcopatum Conſtant. poſsideret cum actu duos alios haberet, & vt dicebant contra Canones. Hinc aliquid humani paſſus eſt, vt declarat *Ambroſius* in quadam oratione ad Imperatorem. Nihil igitur hîc contra Concilia vniuerſalia.

17. Quod verò Eccleſia vniuerſalis in Concilio verè œcumenico perfectè repreſentata, in proponendo Fidei Decreta, modo ſæpius explicato, errare non poteſt, inferius oſtendam: interea hoc vnico argumento vtcunque perſuaderi poteſt.

Chriſtus & Apoſtoli in Fidei neceſſarijs non errarunt: ſed Eccleſia ſemper in Fidei neceſſarijs certiſsimè ſecuta eſt Chriſtum & Apoſtolos, ergo. Minor probatur: Eccleſia in ſingulis Concilijs verè œcumenicis hoc Fidei Aſylum retinuit, & retinendum docuit, vbique hoc acclamauit, *Nihil innouandum, niſi quod traditum eſt: ſeruanda ſemper Apoſtolorum & Seniorum Dogmata & præcepta. Act. 15. 16. ſiue ea verbo, ſiue ſcripto tradiderint 2. Theſ. 2.* Sic ab ipſiſsimo Eccleſiæ partu publicè edoctum & receptum eſt, & in ſingulis Cõcilijs vniuerſalibus ſolemniter proclamatum eſt: Sed hoc certo retinendo & profitendo non poteſt non ſequi Chriſtum & Apoſtolos, ergò. Minor cuicumque ſpeculanti terminos, mox apparebit per neceſſariam inductionem.

Major verò hujus Proſyllogiſmi declaratur inferiùs, & omnium, tàm Patrum, quàm verè œcumenicorum Conc. ſuffragia confirmant, & proindè concludi poteſt, Eccleſiá, vt prius, errare non poſſe.

18. Dices, hoc quidem à Patribus & Concilijs ſemper acclamatum fuiſſe, ſubinde verò non obſeruatum.

Sed certè, quicquid ſit de aliquibus leuioribus, ſeu non fundamentalibus, de quibus non curandum: & eò magis quia Patres, vt ſæpius dixi cum *Cajetano* non recenſendi ſunt, illiuſmodi minus neceſſaria ſimpliciter definire velle, ſed ſolùm vnam partem aliquando opinatiuè reſoluere, vt in ſexcentis patet, aliquando verò ad vnam partem fideles pacis ergò reſtringere, vt etiam in multis facilè pateſcit: nulla inſtantia de fundamentalibus ſeu neceſſarijs dari poteſt. Quid enim magis ridiculum eſſet, Patres in pleno Concilio illud pro fundamento jacere, & mox ſuorum oblitos in actibus conciliaribus ſolemniter oppoſitum ordinare, quaſi omnes & ſinguli, tam altè dormirent, vt tradita à non Traditis, ſeu quod majus eſt, humana à Diuinis penitus non diſcernerent, vel malicia infecti, hæc pro illis tradere intentarent? Deinde ſi concederetur, licet falsò vnum, vel alterum Concilium ſic lapſum fuiſſe, omninò incredibile eſt ſubſequentia non reclamare voluiſſe, vel errores priorum ſubticuiſſe in ſuorum & reliquorum fidelium ruinam: vel quod magis eſt, admirabile planè foret, Eccleſiam vniuerſalem, nec tunc, nec poſtea Concilia illa, vt erronea rejeciſſe; præſertim cùm vt dixi, ſemper erat veriuerbium Chriſtianum. *Nihil nouandum, niſi quod traditum eſt.*

Quid hæreo? cùm ipſa veritas poſuerit hoc Antecedens. *Spiritus Paracletus docebit vos omnem veritatem* Ioan. 16. nempè neceſſariam, vt etiam in hoc ſenſu benè ponderat *D. Thom.* 2. 2. q. 1. a. 9. §. ſed: Ex cuius poſitione neceſſariò infertur hoc conſequens, *ergò in neceſſarijs errare non poteſt.*

19. Deindè ſic fortiter argumentatur *Roffenſis* in art. 27. *Non inanem nobis pollicitationem Chriſtus fecit, quando Spiritum veritatis promiſit in Eccleſia manſurum, quæ nos de omni veritate certiores faceret. At inanis fuiſſet iſta Pollicitatio, ſi Conciliũ legitimè conuocatum, & eo præſertim intuitu, vt de Fidei negotijs Eccleſia certior fieret, errare permitteretur,* &c.

Et hæc certè argumentandi formula concludit, non tantum pro tempore Apoſtolorum, ſed de omni futuro Eccleſiæ ſtatu. Quis enim dubitat

dubitat illos ſcilicet Apoſtolos, abundè repreſentaſſe Eccleſiam vniuerſalem, & ideò in illis, Eccleſiæ illud pronuntiatum.

Hoc ipſum etiam eſt, quòd habetur *Matth.* 28. v. vlt. *Docentes eos ſeruare omnia quæcunque mandaui vobis, & ecce vobiſcum ſum omnibus diebus, vſq; ad conſummationem ſæculi.* Hoc eſt, miſſo Spiritu ſancto, Chriſtum Eccleſiam vſque ad conſummationem ſæculi, in fidei & morum neceſſarijs gubernaturum. Manifeſtum vtique eſt ipſos Apoſtolos in ſuis perſonis, non ad ſæculi conſummationem victuros: non igitur ad illos ſolos, ſed ad Eccleſiam in ipſis repreſentatam ſemper duraturam, promiſsio illa Diuina extendenda eſt, prout etiam intellexerunt Patres. Vndè *Auguſtinus* etiam propè finem Ep. 80. *Non ſic dictum eſt Apoſtolis: Eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & in tota Iudæa & Samaria, & vſq; in extremum terræ*, tanquàm ipſi ſoli, quibus tunc loquebatur, tantum munus fuerint impleturi; ſed ſicut eis ſolis videtur dixiſſe, quod dixit, *Ecce ego vobiſcum ſum vſq; in conſummationem ſæculi*, quod tamen eum vniuerſæ Eccleſiæ promiſiſſe, quæ alijs morientibus, alijſque naſcentibus, hîc vſque in ſæculi conſummationem futura eſt, quis non intelligat?

Etiam *Hieronymus* l. 4. Comment. in *Matth.* in fine *Chriſtus vſque ad Conſummationem ſæculi cum diſcipulis ſe futurum eſſe promittit, & illos oſtendit ſemper eſſe victuros, & ſe nunquam à Credentibus receſſurum.* Et *Proſper.* l. 2. de *vocat. Gentium* c. 2. *Qui vos vſque ad Conſummationem Sæculi in omni hoc opere non derelinquam.* Hoc eſt. Chriſtus nunquam derelinquet Eccleſiam in rebus ibi præceptis, ſcilicet in docendo omnia quæ mandauit ipſis, vt in contextu dicitur: Quid clarius?

Ideò rectè *Cameracenſis* in Veſperijs *Matth.* vltimo. *Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem Sæculi. Vbi Chriſtus promiſit ſuis diſcipulis, non ſolum pro ſe, ſed pro ſuis Succeſſoribus in Eccleſiâ Dei ſeipſum, non quidem corporaliter, aut ſolum ſacramentaliter, ſed per Fidem ſpiritualiter ſemper adeſſe, vel adfuturum.* Vndè dicit *Gregor.* quod per hoc, *quod Chriſtus vſque ad Conſummationem Sæculi cum diſcipulis ſe eſſe promittit, oſtendit ipſum nunquam à credentibus receſſurum.*

Occamus etiam dicit in dialogo c. 32. in fine, quod Chriſtus cùm dixit

Digitized by Google

dixit verba prædicta Apoſtolis, intellexerit *de fidelibus credentibus & credituris in eum*, nempè non de ſingulis, ſed de omnibus: nam vt rectè S. *Chryſoſt*. hom. in *Matth. Loquitur fidelibus, ſicut vni corpori*, vel prout conſtituunt vnum Corpus; præſertim per Prælatos ſufficienter repreſentatum, quia ad ipſos in recto dirigitur ſermo Chriſti. Et ideò Apoſtolus 1. Tim. 3. dicit. *Quæ eſt Eccleſia Dei viri, Columna & firmamentum veritatis.* Si firmamentum veritatis, ergò non hæreſeos. Si firmamentum, ergò non figmentum, vel fictile ædificium mutabile, ſed perpetuum, ſic ponderat *Aug*. loco citato.

Quod etiam habetur, *Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam*, plenè importat, quod nulla Diabolica hæreſis veritatem opprimet, nulla neceſſaria, ſeu fundamentalis falſitas *præualebit aduerſus eam*. Quod ſi præualeret, nunquid ſequeretur portas inferi, Spiritum nempè mendacij præualuiſſe aduerſus eam.

20. Hîc tamen obijci poteſt, quod ſaltem ſub finem ſæculi, illis ſcilicet vltimis 3. annis & menſibus ſex, quando Diabolus ſolutus totis viribus ſæuiturus eſt in Eccleſiam, tunc præualebit, & eam ſeducet: jam vtique fortè incluſus in abyſſo, *vt non ſeducat gentes*: Apoc. 20. non poteſt adeò præualere *donec finiantur mille anni*; id eſt ſecundum *Auguſt*. de Ciuit. Dei l. 20. cap. 7. quod remanet de 6. die, qui conſtat ex mille annis, aut omnes anni, quibus deinceps hoc ſæculum peragendum eſt. *Poſt hæc autem oportet eum ſolui breui tempore*. Dicit tamen *Auguſt*. c. 8. *Ne quis exiſtimet eo ipſo paruo tempore quo ſoluetur Diabolus, in hâc terrâ Eccleſiam non futuram, illo hic eam vel non inueniente, cùm fuerit ſolutus, vel abſumente, cùm fuerit modis omnibus perſequutus.* Poſtea. *Soluetur in fine, vt quam fortem Aduerſarium Dei Ciuitas ſuperauerit, cum ingenti gloria ſui Redemptoris, Adjutoris, Liberatoris aſpiciat.* Nunquam igitur præualebit.

Vndè *Cypr*. Ep. 68. *Non ſic tamen, quamuis nouiſſimis temporibus in Eccleſiâ Dei, aut Euangelicus vigor cecidit, aut Chriſtianæ virtutis, aut Fidei Robur elanguit, vt non ſuperſit portio Sacerdotum, quæ minimè ad has rerum ruinas & Fidei naufragia ſuccumbat, ſed fortis & ſtabilis honorem Diuinæ Majeſtatis, & Sacerdotalem dignitatem plenâ timoris obſeruatione*

tueatur,

Digitized by Google

tueatur, &c. Iterum. *Permanet apud plurimos ſincera mens & Religio integra, & non niſi Domino & Deo ſuo anima deuota, nec Chriſtianam Fidem aliena perfidia deprimit ad ruinam, ſed magis excitat ad gloriam: ſecundùm quod Apoſtolus Paulus hortatur & dicit. Quid enim ſi exciderunt à Fide quidam eorum, nunquid Infidelitas illorum Fidem Dei euacuauit? abſit. Eſt enim Deus verax, omnis autem homo mendax. Infidelitas igitur obripiet aliquibus, ſed Fides Dei nunquam euacuabitur.*

Maneat igitur certum quod docet à Capite Fontium in Epiſt. *Xiſto* 5. dedicata. *In hoc omnes conuenimus, quod Conciliorum in Fidei doctrina decreta infallibilis ſint veritatis, & quod ad ea velut ad amuſsim ſint omnium Doctorum & Sanctorum opiniones accommodandæ & reformandæ, nullumque hoc recuſaturum Catholicum eſſe certò ſcio.*

CAPVT XXI.

An Eccleſia vniuerſalis ſit infallibilis in Fide, examinatur ex Scripturis, & Patribus, & illuſtratur ex Principijs Philoſophicis.

1. ADuertendum vel maximè ex Orthodoxis neminem; ex Aduerſarijs paucos extitiſſe, qui tenebant Eccleſiam in ſua Catholica latitudine vniuerſalem, in neceſſarijs errare poſſe, ſeu vnquam erraſſe, vel erraturam eſſe: & illi non ex Peripateticorum Schola, qui ſcientias admittunt, ſed in Fide Chriſtiana veros Academicos, hoc eſt, nihil certi, ſed probabilia ſolum ſtatuentes, ſeipſos exhibent: qui non aliam Philoſophiam norunt, quam veri veſtigationem, non verò acquiſitionem, qui eſt genius ſi quis alius proprius Hæreticorum. Sunt tales, quales *Cicero* deſcribit apud *Aug.* Ep. 121. *Non Philoſophi quidem, ſed prompti ad diſputandum,* & vt loquitur *Aug.* l. 2. c. 2. de *Geneſi* contra Manichæos *nihil laborant, niſi non inuenire quod quærunt.*

2 Hi verò præcipuè ſunt Nouelli illi homines, quos *Soſinianos* vocamus, & ex Hungaria his vltimis annis Britannicas oras tetigerunt,

Digitized by Google

& ore blaſphemo, antiquatis Hæreſibus coinquinare contendunt, libros perquàm plurimos contra Deitatem Chriſti, & ejus Eccleſiam (quos vidi, & aliquos percurri) diſperſerunt.

Ad plenam eorum confutationem, non alijs pugnandum telis, quàm quibus Patres, *Arrianos*, *Iudæos*, *Porphirianos*, & denique *Mahumetanos* confodere ſolebant, & nunc ſolent. Subindè etiam cum *Pelagio* conueniunt, negantes internam Chriſti gratiam in Baptiſmo & cæteris Sacramentis, quaſi Chriſtum ſolùm eſſet nobis in exemplum pietatis, &c. vt oſtendit de *Pelagio Auguſtinus* lib. de Gratia Chriſti. Si quæ verò ſint ipſis propria, Lector Chriſtianus judicabit eſſe delirantis cerebri παραπηγματα, quibus expurgandis, vt loquitur *Auguſtinus* lib. de *Natura & Gratia* contra Pelagianos c. 25. *Cum iſtis, non tàm diſputationibus, quàm pro eis, ſicut pro nobis, orationibus eſt agendum.* Deitatem Chriſti, vt dixi, negant, & certè putandum eſt, quod ex inordinata illa dubitandi libidine, tandem eo venient, vt cum *Mithridate* Rege Philoſopho, omnem Deitatem in dubium vocabunt. Vtique de genere iſtorum ſunt de quibus *Natalis Comes* in Mytholog. l. 3. c. 17. *Nonnulli ne nihil ſciſſe videantur, aliqua noua Monſtra in Philoſophiam* (in religionem) *introducunt, vt alicujus rei Inuentores fuiſſe videantur.* Talia igitur ανατολογητα miſſa faciamus.

In quantùm vero præſentem materiam tangunt, licet ſententias eorum *prodidiſſe, ſuperaſſe ſit*, vt olim *Hieronymus* de dogmatibus Pelagianorum in Epiſtola ad Craeſ. Et vt habetur in vita *B. Fulgentij*, ſeptem libris ipſe reſpondit *Fauſto, plus laborans exponere quam conuincere: quia dubios ejus ſermones exponere, hoc erat declarantis argumenta conuincere.*

Mox tamen veritatem contra eos & omnes alios declarabo.

3. Noua verò hæc eorum hæreſis ex Anglia explodi debet ſpeciatim, nam contra nouum illud dogma, extat in Anglia ſub *Henr. 6.* ſynodalis ſententia in cauſa Epiſcopi Ciceſtrienſis, de quo ſupra, vbi hæc propoſitio damnabatur, *Quod Eccleſia vniuerſalis poteſt errare in his quæ ſunt Fidei.* Quo vero colore aut veri ſpecie hoc aſſeratur, haud licet diuinare; niſi quod definiendi audacia vbi ſemel verecundiæ limites

Digitized by Google

mites tranſilierit, nihil non audeat, vel vt loquitur *Origenes* in Dial. 2. contra *Marcum*, *Mens occupata, à malis poſſeſſa opinionibus vix illis renunciare aut renuere ſuſtinet, fiunt* ἀντιλογικοι, *Nam inde venit, de quo queritur Apoſtolus ad Coloſ. 2.* θελων ἐν θρησκέια, *capitoſus in ſuis conceptibus licet temerarijs, nec vera ratione, ſed voluntate fundatis.* Et ideò ipſis, ſi cui alteri valet illud Philoſophi l. 4. Met. c. 4. tex. 26. *Tales autem dubitationes, ſimiles ſunt ac ſi quis dubitaret vtrum dormimus nunc an vigilemus. Tales namq; dubitationes idem poſſunt de omnibus. Etenim hi dignam ducunt rationem eſſe principium, namq;* (& hoc per demonſtrationem) *accipere quærunt.* Poſtea. *Rationem eorum quærunt quorum non eſt ratio. Demonſtrationis enim Principium non eſt Demonſtratio.*

Inter Philoſophos Chriſtianos hæc veritas potius ſupponitur, quam probatur, licet ipſi reprobent. Et ideo recte *Occhamus* p. 1. Dial. l. 5. c. 1. *Omnes Chriſtiani ſentire videntur, quod tota multitudo Chriſtianorum hæreticare non poteſt.* Dicit l. 5. in vlt. Cap. *ſe neſcire aliquem Chriſtianum, ne quidem Hæreticum, qui hoc teneat.* Cameracenſis etiam a. 3. *Veſper.* dicit, *Omnes Fideles in eo communiter conſentire videri, quod tota Eccleſia &c. non poteſt contra Fidem errare. Quod etiam efficaciter probat ex Sacris Scripturis in quæſt. de reſumpta.* Verè tamen dicit Scholiaſter in c. 8. *Rabbi Moſis*, in Tractatu, cui Titulus, De Fundamentis legis, *Credere nolenti nunquam vel ipſe Deus coram præſens ſatisfaciet: ſemper in promptu erit quo ſuſpicionem foueat vel augeat: pertinaciæ nullum remedium poſuit Deus.* Nam vt rectè Sacer iſte Morbus.

τὸ δοκεῖν καὶ τιν ἀλή θειαν βιάζεται, eaque inueteratæ perſuaſionis vis eſſe ſoleat, vt praua quæque & abſurda retinere malit ijſque mordicus adhærere, quam cum ſapientibus malè aſſumptæ, pejus retentæ ſententiæ palinodiam canere.

Et ideò benè dicit *Aug.* l. de vnit. Eccleſ. c. 18. Donatiſtas alloquens, *Depoſitâ quippe animoſitate contradicendi, quâ tument omnes qui veritate Dei vinci nolunt, & ſuâ peruerſitate vincuntur, facilè poteſtis intelligere*, &c.

Animoſitas illa ex Superbia & inordinatâ ſui æſtimatione exorta obfuſcat intellectum, & ex hoc capite benè dicitur apud *Ciceronem* in

Digitized by Google

quæſtionibus Academicis l. 4. *Credo Clitomacho ita ſcribenti: Herculis quendam laborem exantlatum à Carneade, quod vt feram & immanem belluam, ſic ex animis noſtris aſſenſionem, id eſt opinationem & temeritatem extraxiſſet.* Vndè habetur Prouerb. c. 14. 6. *Quærit deriſor ſapientiam & non inuenit*, hoc eſt nunquam inueniet; ratio eſt quam tangit *Irenæus* l. 2. c. 46. *Eo quod ipſam inuentionis abjecerit diſciplinam*, ſcilicet reijciendo Eccleſiam quæ habet claues ſcientiæ.

4. Quærunt certe Nouelli illi homines, ſaltem prætendunt quærere ſapientiam Patribus noſtris ignotam, imò tanquam ſtultitiam exploſam: quibus optimo jure quadrat illud *Tertul.* lib. de Præſcr. c. 29. *Quoquo modo ſit erratum, tamdiu vtiq; regnauit error quamdiu hæreſes non erant: Aliquos Marcioniſtas, & Valentinianos*, potius Socinianos *liberanda veritas expectabat: intereà perperam Euangelizabatur, perperam credebatur, tot millia millium perperam tincta, tot opera fidei perperam adminiſtrata, tot virtutes, tot Chariſmata perperam operata, tot Sacerdotia, tot Miniſteria perperam functa; Denique, tot Martyria perperam coronata*, &c. Mundum ſané totum, etiam primæuum illum Apoſtolicum ignorantiæ incuſant, vt hæreſes ſuas abominabiles mundo huic nouo nouitatis auido obtrudant; *Ariſtotelem* vel *Ciceronem* vt olim *Pelagiani*, non ſacras Scripturas, vel Eccleſiam definientem interpellare audent, vt olim *Tertul.* aduerſus *Hermogenem*: *De Eccleſia, in Academiæ Porticum deſcendunt: ſenſui communi, ſed ſuo, non Eccleſiæ ſe ſiſtunt.* Et vt olim *Baſil.* in Pſ. 115. *ſenſum ſuum prorſus vniuerſorum menſuram conſtituunt.* Seu vt loquitur *Athanaſius* in Epiſt. neſcio an fuſiori vel doctiori, decreta Nicænæ Synodi contra Arrianos exponens, *Stulti ſunt, & quiduis volunt eſſe potiùs quam Chriſtiani.* Vel fortè hîc aliud latet, quod apud Sectarios nouos non inſolitum, de quibus apud *Ennium* eſt: *Qui ſui quæſtus cauſa fictas ſuſcitant ſententias*, nihil ſc. prurientibus auribus magis arridet, quàm omni credendi, potiùs errandi frui libertate. Quo nihil magis impium in materia Religionis excogitari poteſt. Poſitiones verò eorum de innitendo communi ſenſui, vel examinando veritates fidei, & eas acceptando vel reprobando præcisè, ſecundùm quod conueniunt cum eorum ratione ſubindè debili, facilè deſtruuntur, ex

tur, ex principijs Scholaſticorum tritiſſimis in materia de fide. De qua re (ſi Deus voluerit) opportunè diſſerere potero.

5 Quod ſi peteretur efficax huius adeò uniuerſalitèr receptæ veritatis, ſc. de infallibilitate Eccleſiæ vniuerſalis, probatio: præter illas quas ex ſacris Scripturis expendere ſolent Theologi, quæ non exiguam vim obtinent: Aliàs optimè vrgent Patres in 7. Gen. Synod. Act. 6. vbi poſt alia grauiſſimè pronunciata, ad hanc ipſam veritatem de quâ agimus, probandam & declarandam, hæc addunt. *Audiant Cantica Canticorum apertè ad Eccleſiam ex perſona Chriſti cantantia: Tota bona es Proxima mea, tota bona es, & macula non eſt in te. Ecce jam audierunt totam eam bonam eſſe & Proximam Chriſti, ac ab omni macula liberam quam & per* Iſaiam *affatur: In manu mea depinxi muros tuos: & in conſpectu meo es ſemper. Et quomodò quæ has repromiſſiones accepit, ſurripitur à Dæmonum aduerſa virtute? & maximè vbi Chriſtus eſt caput, ſecundùm Diuinum Apoſtolum, quis eſt qui hanc poſſit in prædam arripere? Ipſe exhibuit eam ſibi non habentem maculam aut rugam, & quomodò rurſus coinquinatur? O reprehenſionem iſtam! Certùm eſt enim quod negationem diſpenſationis ejus ſequeſtret opinio hæc. Sed feſtinauerunt Eccleſiam ſpernere; idcircò ſpernet ollos Dominus, & erunt apud omnes qui in ea nati ſunt, reprobati & anathematizati; manſit enim inexpugnabilis, & incorruptibilis, & immobilis.* Quomodò inexpugnabilis, incorruptibilis, & immobilis, ſi in fidei neceſſarijs defecerit, ſi jam mota ſit: vel vllo tempore, vel caſu mobilis, vel in fide corruptibilis erit? Quomodò *ſine macula aut ruga* ſi jam erroribus inuoluta, vel errorum inuolucris irretita vel irretiri poterit, ſenſu ſc. ſuperiùs expoſito? Diuini verò illi Patres Eccleſiam ſimplicitèr incorruptibilem prædicant, imò in quantùm opus eſt, definiunt, ſeu ſenſum totius Eccleſiæ declarant, nec vt rem novam hoc adferunt, ſed oppoſitum nouitatis omninò arguunt. Veritas ergo hæc omninò eſt de fide, ſecundùm hos Patres.

6 *Tertullianus* hîc audiendus de præſcrip. *Spiritus Sanctus eſt ad hoc miſſus a Chriſto, ad hoc poſtulatus a Patre, vt eſſet Doctor veritatis, neglexerit officium Dei villicus, Chriſti vicarius, ſinens Eccleſias aliter intelligere, aliter credere quàm ipſe per Apoſtolos prædicabat?* Plura ibi ha-

Digitized by Google

bet ad Infallibilitatem Eccleſiæ, niſi ejus errores in Spiritum Sanctum, quis impius refundere auſit. Hoc etiam ſub finem ejuſdem libri intimat. Quid ergò dicent qui illam ſtuprauerint adulterio hæretico virginem traditam à Chriſto?

Cyprianus etiam de Vnitate Eccleſiæ, *Adulterari non poteſt Sponſa Chriſti, incorrupta eſt & pudica: vnam domum nouit, vnius Cubiculi ſanctitatem caſto pudore cuſtodit,* &c. *Quiſquis ab Eccleſia ſegregatus adulteræ jungitur, à promiſſis Eccleſiæ ſeparatur,* &c. Si adulterari non poteſt, ſi incorrupta eſt & pudica; certè Hæreſes docere non poteſt: nam hoc maximum eſt in Eccleſiâ Adulterium in ſenſu *Cypriani* & veterum.

Nazianzenus in Ep. ad *Cledonium*, vult tàm Eccleſiam præſentem quàm præteritam eſſe infallibilem, vbi ſic loquitur: *Ac quidem ſi vel nunc, vel ante ſuſcepti ſunt, qui Apollinarij placita ſectantur, hoc oſtendant & nos acquieſcemus. Perſpicuum enim erit eos, vt rectè doctrinæ aſſentiẽtes, ſuſceptos fuiſſe: Nec enim aliter ſe res habere poteſt, Si hoc conſecuti ſunt.* Vbi manifeſtè innuit Eccleſiam non poſſe recipere aliquos in ſuum gremium, niſi rectæ doctrinæ aſſenſerint. Vndè hoc? niſi ipſá errare, non poſsit.

Legendus etiam *Chryſoſtomus*, ſpeciatim in oratione in *Pentecoſtem*, vbi hoc ipſum vt rem de nouo creditam inculcat. *Magnus* etiam *Baſilius* tum alibi, tum Hom. 4. in Hexameron ſuccinctè, ſed neruoſè, tàm ſtabilitatem, quàm inerrabilitatem Eccleſiæ declarat. *Hanc* (ſcilicet Eccleſiam) *tranquillitas profunda ſtabilem & inconcuſſam conſeruat, malignis fugatis ſpiritibus, qui Hæreticis illam Doctrinam conturbare minimè potuerunt*, &c. Hoc etiam ſatis argutè docet *Petrus Chryſologus* ſerm. 132. titulo *de vnitate Fidelium.*

7. Sic etiam *Lerinenſis* ſæpius in hoc opuſculo adductus, ſic *Auguſtinus* in capitibus ſuperioribus, quibus adjungendus Serm. 14. De verbis Domini c. 2. *Dum Chriſtus orat in excelſo, Nauicula* (id eſt Eccleſia) *turbatur fluctibus in profundo,* &c. *Sed quia Chriſtus orat, non poteſt mergi.* Si verò Eccleſia ſemel abſorberetur ab aliquâ Hæreſi, nunquid rectè diceretur *mergi* in ſenſu *Auguſtini*?

Sed longè aliter ſentit ipſe de Eccleſia tum alibi, tum c. 16. *De vtil. cred.*

Digitized by Google

vtil. cred. vbi ait, *Ab ipſo Deo authoritatem aliquam conſtitutam, qua, velut gradu certo innitentes, attollamur ad Deum.* Nec eſt gradus certus, nec attollet in Deum per Hæreſes, vt opinor quiuis dicet. Adæquatiſſimè hoc declarat, l. 1. de Symbolo ad Cathecumenos, c. 6. *Ipſa eſt Eccleſia ſancta, Eccleſia vna, Eccleſia vera, Eccleſia Catholica, contra omnes Hæreſes pugnans. Pugnare poteſt, expugnari non poteſt,* &c. Fuſiſſimus eſt *Auguſtinus*, tum alibi ſæpe, tum præcipuè *de vnit Eccleſ.* c. 19. *Si aliquis ſapiens extitiſſet, cui Dominus Ieſus Chriſtus teſtimonium perhibet, & de hac quæſtione conſuleretur à nobis, nullo modo dubitare deberemus id facere quod ille dixiſſet, ne non tam ipſi, quàm Domino Ieſu Chriſto, cujus teſtimonio commendabatur, repugnare judicaremur. Perhibet autem teſtimonium Chriſtus Eccleſiæ ſuæ.* Poteſtne autem ſubeſſe falſitas in Teſtimonio Chriſti? Si non: Ergò nec *Eccleſiæ*, in judicio *Auguſtini*, *quia nullo modo dubitare debemus, ſi ipſa dixerit*, & hoc propter teſtimonium Chriſti. Addo, quòd ſi Eccleſia non eſſet infallibilis, certè *dubitare* poſſemus, vt optimè oſtendit *Doctor Subtilis* alibi à me citatus, & eſt in ſe manifeſtum ex ipſis terminis. Nam ſi poteſt fallere, cur non poſſim *dubitare*? cùm in loquente potentiæ fallendi, ſiue ſumatur actiuè, vel paſſiuè, reſpondeat in audiente potentia dubitandi, ſaltem quoad excluſionem certitudinis fidei Diuinæ. Hoc quiuis Lector ingenuus facilè perſpiciet. Non deberemus quidem *reluctari*, vt loquitur *Aug.* nec *reſiſtere* ſecundum *Leonem*, nec *diſputare*, vt etiam loquitur *Aug.* ſuperiùs citatus, quia hæc cadunt inter terminos obedientiæ quam omnes Chriſtiani debent Prelatis conciliariter præcipientibus. Sed caſu quo non daretur Infallibilitas prædicta, ſaltem in ordine ad actus infallibiliter eliciendos, qui fidem tangent, *dubitare*, hoc eſt, mentaliter fluctuare poſſemus.

Mens igitur *Auguſt.* in verbis Chriſti fundata eſt, quòd Eccleſia nunquam fallet, ſeu inuoluendo actus etiam quouis modo determinatè, vel indeterminatè ſumptos, *non poteſt fallere, quia Chriſtus perhibet teſtimonium Eccleſiæ ſuæ*; nempè, quòd quoties conſuleremus Eccleſiam de quæſtionibus fidei, &c. de reſponſis acceptis, *nullo modo dubitare deberemus*, &c. In ordine ergò ad actus Conciliares ab vniuerſali Eccleſia prouenientes, Eccleſia errare non poteſt.

Digitized by Google

Et profectò, ſi aliquid prorſus valeat diſcurſus *Aug.* concludit, non ſolum in ejus ſententiâ, ſed ex parte rei, Eccleſiam in omnibus fidei determinationibus eſſe infallibilem. Vndè ſubdit: *Quòd ſi non vis* (ſc. obedire vel credere Eccleſiæ reſpondenti ad conſulta fidei) *non mihi, aut cuiquam homini, qui vult ità ſuſcipere, ſed ipſi Saluatori contra ſalutem tuam pernicioſiſſimè reluctaris, qui te ſic ſuſcipiendum non vis credere, quemadmodum ſuſcipit illa Eccleſia quam teſtimonio ſuo commendat ille, cui fateris nefarium eſſe non credere.* In Hypognoſticon etiam, quod fatentur Louanienſes, & *Eraſmus* eſſe ſummam, *Aug.* l. 6. dicit, *Reuertere & ſede in Portu fidei Catholicæ, vbi te nulla poſſit fluctuoſæ curioſitatis tempeſtas turbare*, &c. vbi de Eccleſia loquitur. Expendat hæc verba quiuis ingenuus Lector, & manus dabit.

Nemo vnquam diſcuſſit hoc punctum ſicut *Auguſt.* in ſuperiori Capite, hoc vtcunque tetigi ex ipſo & alijs: & profectò infinita penè loca congeſſi ex ipſo, tùm contra Donatiſtas præcipuè, tùm contra Manichæos; tùm contra *Fauſtum*, contra *Petitianum* fusè, contra Epiſtolam *Parmeniani*, contra *Gaudentium*. In collationibus cum *Donatiſtis*, In libris contra *Iulianum*, præſertim libro 3. c. 17. In tractatu in Pſalmos frequenter. In tractatibus ſuper *Iohannem*. In pleriſque Epiſtolis, &c. Integrum ſanè & juſtum fieret volumen ex ipſo vnico *Auguſtino*, qui penitiùs hanc materiam examinauit, vnum ex ipſo addam pro Coronide in lib. de Gen. ad lit. imperfecto c. 1. poſt alia. *Hæc eſt fides Catholica, conſtitutam à Chriſto matrem Eccleſiam, quæ Catholica dicitur, ex quo, quia perfecta eſt, & in nullo claudicat*, &c. Si in nullo, ergò non in fide.

8 *Cyrillus* etiam Hieroſol. Catech. 18. *Eccleſia vocatur Catholica, quia docet Catholicè, hoc eſt, vniuerſaliter, & ſine vllo defectu, vel differentia, omnia dogmata quæ debent venire in cognitionem, de rebus viſibilibus & inuiſibilibus, cœleſtibus & terreſtribus, & quòd omne genus hominum piè ſubjugat, Principes & Priuatos.* Singula hæc verba habent ſuum pondus, & ferè ſigillatim ſumpta declarant Doctrinam datam: Nam *ſi ſine vllo defectu*, igitur nullo cum errore vel falſitate, quæ eſt defectus maximus: ſi omnia dogmata quæ debent venire in cognitionem,

tionem, igitur non hæreſes, nam illa non debent venire in cognitionem. Denique *ſi omne genus* hominum *piè* ſubjugat, ergò non docendo falſa loco veri, nam hoc eſt impiè ſubjugare, &c. Poſtremò loco notandum, quòd hæc doctrina *Cyrilli* eſt Catholica, hoc eſt, quæ habebatur in ſuo ſæculo pro vniuerſaliter accepta, aliàs non ad erudiendum Populum admitteretur. Hic certè erat firmiſſimus Patrum ſenſus & conſenſus, vt in ſerie contextuum facilè patebit ingenuo Lectori, ſed proteruire volentibus non erit difficile ludere in verbis, & ſubindè ſic adhærere cortici, vt ſenſus aliàs certus ſubterfugiatur.

Audiatur tamen *Cyrillus Alexan.* in Dial. de Prin. l. 4. p. 278. vbi ſic eandem propugnat veritatem. *Petram, opinor, per agnominationem nihil aliud quàm inconcuſſam & firmiſſimam Diſcipuli fidem vocauit. In qua, Eccleſia Chriſti ita fundata & firmata eſſet, vt non laberetur, & eſſet inexpugnabilis Inferorum portis, in perpetuum manens.* Certè ſi Eccleſia in rebus vel dogmatibus ad ſalutem neceſſarijs erraret; ita *inconcuſſa & firmata non eſſet, vt non laberetur,* &c. quinimò de facto lapſa eſſet.

Demùm, obſerua quòd donum inexpugnabilitatis & firmitatis nempe in fide, intelligitur de Eccleſia *in perpetuum manente*, non igitur ſolùm de Eccleſia Apoſtolorum, quod alij volunt. Nam vt optimè Patres vniuerſalis ſeptimæ Synodi *Actione prima*, & amplectuntur Patres Florentini in ſeſſ. 5. *Repromiſſionem non ſolùm illis donauit, ſed & nobis, qui per eos credimus in nomine ipſius.*

9. *Lactantius* citatus à noſtris Rhemenſibus ad cap. 3. 1. *Tim.* efficaciter hanc veritatem declarat, & vocat Eccleſiam *fontem veritatis*, *domum Fidei, Templum Dei*, &c. Si fons veritatis, ſi domus Fidei, ergò non hæreſeos contra Fidem, vel errorum contra veritatem. *Cyprianus* ep. 55. ad *Cornel.* n. 3. dicit Eccleſiam nunquam *recedere*, &c. Quid amplius?

Irenæus ſæpius hoc habet, & ſæpius citaui illũ in curſu libri, vtique dicit eam fideliter cuſtodire Apoſtolorum Fidem & prædictiones, & quòd Apoſtoli ibi tanquam in Gazophylacio, ſeu Depoſitorio diuite repoſuerunt omnem veritatem l. 3. & 40. plenè hoc docet. Non repeto verba, ſed ſenſum, quia alibi citaui fusè.

Digitized by Google

Idem etiam omiſsis alijs locis l. 1. c. 3. optimè hanc veritatem declarat: *Eccleſia in vniuerſum mundum diſſeminata diligenter cuſtodit hanc Fidem, quaſi vnam domum habitans, & ſimiliter credit quaſi vnam animam habens & vnum cor, & conſonanter prædicat, docet & tradit, quaſi vnum poſsidens os.* Hic Eccleſiæ vniformitatem in Fide denotat, & quòd conſequens eſt, ſuam in ea integritatem, & hinc ſuam infallibilitatem.

Mirè ſanè hanc veritatem declarat l. 5. c. 17. ſed fuſior eſt, quàm vt pro dignitate exſcribatur, omnem verò tollit ſcrupulum.

Athanaſius in Ep. ad *Epictetum* Epiſcopum Corinthiorum, hoc planè aſſerit, dum de modo agendi cum Hæreticis agit, ſic dicit: *Tantummodo ad ea reſpondendum eſt, quod ipſum per ſe ſufficit, ea Orthodoxæ Eccleſiæ non eſſe, neque Majores noſtros ita ſenſiſſe.* Certè ſi Eccleſia non fuerit infallibilis, hæc reſponſio non ſufficeret.

Ambroſius etiam tum alibi, tum libro 7. Comment. in *Lucam* in cap. 11. poſt initium. *Ideo nemo Fidem ſuam intra menſurã legis includat, ſed ad Eccleſiam conferat, in qua ſeptiformis Spiritus relucet gratia, quam Princeps ille Sacerdotiũ fulgore ſupernæ Diuinitas illuminat,* &c. Si relucet gratia ſeptiformis Spiritus, ergo non hæreſeos: ſi eò eundum ad obtinendum rectam fidem, ergo non ad hauriendos errores. Poſtea adhuc clariùs ibidem. *Illa autem Hieruſalem, quæ in Cælo eſt, in qua militat Fides noſtra, in illo altiſsimo omnium locata monte, hoc eſt Chriſto, non poteſt tenebris & ruinis huius mundi abſcondi, ſed fulgens candore Solis æterni, luce nos gratiæ ſpiritualis illuminat.* Loquitur de Eccleſia militante vt patet in contextu. Ponderetur & non patietur replicam. Clariſsime etiam, nec minus fusè hoc ipſum aſtruit Epiſt. 82. cui refero Lectorem.

Ruffinus in expoſitione ſymboli tractans de artic. qui Eccleſiam tangit, dicit. *Iſta eſt ergo Sancta Eccleſia non habens maculam aut rugam. Multi enim & alij Eccleſias congregarunt, vt Marcion,* &c. *& cæteri omnes Hæretici: Sed illæ Eccleſiæ non ſunt ſine macula aut ruga perfidiæ. Et ideo dicebat de illis Propheta. Odiui Eccleſiam Malignantium, & cum impijs non ſedebo. De hac autem Eccleſia quæ Fidem Chriſti integram ſeruat, audi quid dicat Spiritus Sanctus in Canticis Canticorum: vna eſt Columba*

mea,

Digitized by Google

mea, vna eſt perfecta Genitricis ſuæ. In hoc igitur diſtinguit Eccleſiam Catholicam ab Hæreticis Synagogis, quod hæc ſeruat *Fidem Chriſti integram*, illæ verò erroribus & Hæreſibus ſcatent.

Hanc veritatem clarè docet *Iohannes Damaſcenus* in docta illa oratione ſecunda de Natiuitate Mariæ, quod etiam clarâ conſequentiâ deducitur ex illa(quā habet)doctrina in Orat. prima *de Imaginibus*.

10. Vtraque huius veritatis particula abſolutiſſimè declaratur ab *Origene*, quem ob judicij acrimoniam, & venerabilem antiquitatis *Canitiem* in poſtremum hunc locum reſeruaui. De quo ſic legi apud *Hieronymum*, in præfatione ad librum *Philonis Iudæi* de nominibus Hæbraicis: *Origenem poſt Apoſtolos Eccleſiarum Magiſtrum, nemo niſi imperitus negat.* Et *Sulpitius* in vita Sancti *Martini* l. 3. *Quòd in ea parte qua probatur, neminem poſt Apoſtolos habuit æqualem.* Qui contra *Celſum* rem Chriſtianam agens l. 5. f. 484. edit. Pariſ. col. 2. ſic loquitur. *Nos ſinguli venimus in extremis diebus, poſt aduentum Ieſu noſtri in conſpicuum montem Domini, verbum omni verbo ſublimius, & in domum Dei, quæ eſt Eccleſia Dei viuentis, columna & baſis veritatis. Hanc contemplemur quomodò ædificata ſit in ſummis montibus, omnibus propheticis ſermonibus qui ejus fundamenta ſunt. Extollitur autem hæc domus ſuper omnes Colles, qui videntur aliquid eximium in ſapientia & veritate polliceri apud homines.* Ecce ſuper omnem ſapientiam humanam, & veritatem humanitùs acquirendam, extollendam dicit Dei Eccleſiam; an non igitur omnem fallibilem cognitionem tranſcendunt ejus dictamina? Quicquid vtique fallibile eſt, humanâ, ni fallor, induſtriâ ſuperabile eſt: Eccleſia verò *in ſummis montibus ædificata, ſuper omnes illos colles extollitur.* Nimirum, *omnibus Propheticis ſermonibus*, vt fundamentis ſuarum definitionum innitatur, ſecundum *Origenem*. Imo l. 6. f. 499. de Eccleſia obiter agens, ſic loquitur. *Dicimus ex authoritate ſacræ Scripturæ, Corpori Chriſti, quod eſt Eccleſia Dei, pro anima eſſe Dei filium, membra autem vniuerſi corporis, eſſe quoſcunq́; fideles: Quoniam ſicut anima viuificat & mouet corpus, quod ex ſeipſo viuum motum non habet; ita verbum illud, mira energiâ corpus ſuum incitans ad ea quæ debet facere, mouit ſimul membra Eccleſiæ ſingula, nihil ſine ratione facientia.*

Notanda ſunt ſingula verba: *Eccleſia Dei*, hoc eſt, vniuerſum illud corpus, ſub ratione vniuerſitatis ſeu integritatis informatur à Chriſti anima vt ſibi propria; & *verbum illud*, ſeu anima vel ſpiritus Chriſti *mirâ energiâ* (notandum hoc) *corpus ſuum incitans*, &c. *mouet ſimul*, &c. Diſtinguit hîc *Origenes* motum illum quem vocat *energicum* totius Eccleſiæ, ab illo quem *ſimul* concedit ſingulis membris: mouentur ſingula ad motum totius, dùm *nihil ſine ratione faciunt*, vt loquitur ille, hoc eſt, dum ſequuntur rationem illam communem quâ regitur & mouetur Eccleſia ab ejus anima, quæ eſt *verbum* Dei. Sic intelligo *Origenem*. Nec ſatis perſpicere poſſum, in quo conſiſtit *mira* illa *Energia* incitandi vel inſpirandi Eccleſiam, ab altero modo mouendi ſingula ejus membra, niſi & infallibiliùs dirigendo *ad ea quæ debet facere*, ſc. docendo fideles vel præcipiendo. Et optimè conuenit cum doctrina Scholaſticorum quærentium: An omnes & ſinguli qui in Eccleſia ſunt, habeant hanc aſſiſtentiam Spiritus Sancti, vt in fide errare non poſſint?

Reſp. Singuli quidem habent, ſed dependentèr ab ipſa Eccleſia. Quamdiù ergo manent conjuncti, hoc eſt, formalitèr ſeu reduplicatiuè, in quantùm ſc. conjuncti ſunt cum Eccleſia, errare non poſſunt. Si diſſentiunt ab Eccleſia, jam errant.

Clariùs etiam hanc veritatem edocet *Origenes* ſuper *Matthæum*, vt fusè oſtendi ſuperiùs, ex hom. ejus 29. ad illum locum *Ecce hîc eſt Chriſtus*. Hom. etiam 30. ad illa verba, *Vt in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi*. In priori vocat *veritatem Eccleſiæ, virtutem Dei*; in poſteriori oſtendit integram & ſolam veritatem diuinitùs traditam ibi reperiri poſſe. Non eſt quòd hîc repetam, quandoquidem expoſui antè.

Hûc etiam, ſi quid ſapio, collimat *Etropius* Eccleſiæ membrum fieri cupiens, apud *Origenem*, ſub finem Dialogi tertij, vbi ſic loquitur. *Hæc ſola Eccleſia, verè, & juſtè, & piè, & ſanctè adminiſtratur, à qua ſi qui deſciuerint, ſeq́ diſjunxerint, longè à veritate diſcedunt, verbo quidèm & oratione tenùs veritatem ſe ſcire venditant, quandò re vera totâ viâ exorbitant.* In his verbis, veritatem in Eccleſia ſola conſeruari & doceri apertè

apertè teſtatur, ibique nihil præter veritatem prædicari ſatis oſtendit, vndè ab Eccleſia recedere, idem eſt ac ipſam *veritatem* derelinquere, in ſenſu *Etropij*, cui per omnia concordat *Origenes*, à quo hanc veritatis notitiam recepit.

11 *Cyprianus* etiam Ep. 69. *Quia etſi contumax & ſuperba obaudire volentiũ multitudo, Eccleſia tamen à Chriſto non recedit, & illi ſunt Eccleſia, plebs Sacerdoti adunata, & Paſtori ſuo grex adhærens.* Si Eccleſia à Chriſto non recedit, ergò errare non poteſt.

His omnibus adjungi debet *B. Proſper*, tùm alibi ſæpe, tùm in *Pſal.* 103. vbi ſic loquitur: *Inter ipſos* (ſc. Chriſtianæ Fidei Aduerſarios) *tutus eſt noſtrarum nauium commeatus: hoc eſt, inter Procellas & fluctus maris, gubernante Chriſto, Eccleſiarum totus eſt curſus.* Quomodò tutus ſit, ſi à via & regula Chriſtiana deuiabilis? Hoc etiam ſatis concluditur ex ſuis notis ad *Pſal.* 123. & clariùs in *Pſal.* 126. & in *Pſal.* 128. de Eccleſia agens, dicit: *Ab initio enim in ſanctos, qui ſunt Iſrael, impij ſæuierunt. Sed Eccleſia, ſiue in juuentute ſua, ſiue in ætate majore, ſiue in ſenectute, vltimi jam ſæculi oppreſſionibus, nullis eſt victa ſupplicijs, &c.* hoc penitùs concludit.

12 Vndè habetur in 6. Generali Synodo Conſtant. Act. 4. *Hæc eſt Apoſtolica atq; Euangelica Traditio, quam tenet ſpiritualis veſtri fæliciſſimi imperij mater Apoſtolica Chriſti Eccleſia. Hæc eſt mera confeſſio pietatis. Hæc eſt enim vera Fidei regula, quam, & in proſperis & aduerſis viuacitèr tenuit Apoſtolica Chriſti Eccleſia, quæ per Dei gratiam à Tramite Apoſtolicæ Traditionis nunquàm erraſſe probabitur, nec hæreticis nouitatibus deprauata ſuccubuit*, &c. Sed in hujuſmodi probationibus, ad manus Legentium Concilia, paſſim occurrentibus ſuperſedeo. Habemus ſanè Concilia grauiſſima, Patres penè vniuerſos, quid amplius volumus?

13 Vrgentiſſimum verò argumentum pro inerrabilitate Eccleſiæ conficit, Hæc ipſa vniuerſalis receptio, & cõcordiſſima Catholicæ Eccleſiæ authoritas, quæ hac in parte ſemper ſibi conſtat, nempè, in judicio ſuæ inerrabilitatis. De tempore Apoſtolorum patet in Scripturis allatis, & apud omnes in confeſſo eſt: De ſuccedaneis etiam ſæculis ſatis pateſcit per teſtimonia Patrum, quæ tàm in hoc, quàm in

præcedentibus Capitibus pro re natâ attuli, nec vlli contradicunt. Per actus etiam Conciliares non minùs famoſos quàm frequentes. Et demùm, in poſterioribus ſæculis per conſenſum Theologorum, qui etiam docent fuiſſe ſemper ſic creditum.

Fortiſſima ſane ſunt hæc argumenta apud hominem Chriſtianum, ſed pro curioſioribus procedamus ad loca magis intrinſeca.

14. Ex ipſa igitur natura ſeu definitione Eccleſiæ, hæc veritas conuincitur. v. g. *Eccleſia eſt cætus hominum in Fide Chriſti vnitorum*, &c. Vbi vnio ſeu Communio in Fide Chriſti eſt eſſentiale prædicatum, & hoc in omni ſententia. Et ideo huc vſque omnes Chriſtum profitentes in ratione Eccleſiæ conueniunt, vt in quibuſcumque Fidei *profeſsionibus*, ſeu profeſsionum formulis patet.

Ex quo ſequitur, quòd ſicut non poteſt dari aliquod ens, quod ſit Homo, niſi ſit animal & rationale, quæ ſunt eius prædicata eſſentialia, multò minùs, quod ſit irrationale, quod eſt oppoſitũ eius: Sic à paritate rationis propter definitionem datam, non poteſt eſſe Eccleſia Chriſti, in qua non eſt vnio ſeu Communio in Fide, per quam non ſolùm excluditur negatio, ſiue non Communio, ſed multò magis oppoſitum ejus quod eſt Hæreſis.

Vnde vlteriùs ſequitur, quòd ille cætus hominum qui docet Hæreſim, vel doctrinam, Chriſti doctrinæ aduerſam, non eſt Eccleſia, cùm deſit prædicatum eſſentiale. Eccleſia igitur eſt infallibilis, quia à Fide non deuiabilis.

15. Quòd ſi dicat aliquis Proteruus, poſſe ſtare Communionem in Fide cum admixtione Hæreſeon, eſt non aduertere ipſam definitionem; Nam denotat Communionem in integritate Fidei, non in parte Fidei, nam ſic omnes Hæretici etiam peſsimi fecerunt, vt *Arriani*, &c. Eſt igitur in integra Chriſti Fide, vt ſæpè ſepiùs loquitur *Athanaſius* in ſuo ſymbolo, & omnia pænè Concilia, & omnes ni fallor conſentient. Et ideo qui eſt Hæreticus in vno, non eſt Filius Eccleſiæ. Et ſic ab intrinſecis rei principijs non leuiter argumentari licet. Speculentur Doctiores.

16. Quod dicunt aliqui, Eccleſiam poſſe fieri cætum Hæreticorum, ſeu apoſtatare à Fide, hoc eſt fieri non Eccleſiam.

Digitized by Google

Ad hoc ſciendum eſt quod Eccleſiam *perire* & *errare* apud veteres Synonyma ſunt, vt benè oſtendit *Lanfrancus* contra *Bereng.* prope finem: Et ideo quia impoſsibile eſt Eccleſiam *perire* propter infinitos Sacræ Scripturæ textus, & eſt *conſenſus totius Chriſtianiſmi*, vt loquitur ipſe, conſequenter & *errare*. Addit *Lanfrancus*. *Hanc ſacrilegam vanitatem euertit Euangelica veritas, & Prophetarum atque Sanctorum Patrum non violanda authoritas.* Nimirum omnia loca Scripturarum de conſpicuitate & perſpicuitate Eccleſiæ, tàm in Prophetis, quam ſub Euangelio hoc euincunt. Et omnes quotquot Patres de Eccleſia ſcripſerunt hoc demonſtrarunt. Præſertim *Auguſtinus* contra *Donatiſtas* & in ſingulis ferè ſingulorum ſuorum operum paginis hinc inde per occaſionem expendo multa. Et illa omnia quæ jamjam ex omnibus ferè Patribus attuli pro inerrabilitate Eccleſiæ, hoc euincunt ſpecialiter. Tamen ad pleniorem hujus objectionis ſolutionem (cui multum innituntur Aduerſarij) audiemus *Auguſtinum*.

Ipſe igitur Conc. 2. in *Pſal.* 101. contra *Donatiſt.* agens vices Eccleſiæ dicit. *Quid eſt quod neſcio qui recedentes à me, murmurant contra me? Quid eſt quod perditi me periiſſe contendunt? Certè enim hoc dicunt, quia fui & non ſum. Annuncia mihi exiguitatem dierum meorum. Quamdiu ero in iſto ſæculo? Annuntia mihi propter illos qui dicunt, fuit & jam non eſt, apoſtatauit & perijt Eccleſia de omnibus gentibus. Et annunciauit: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi. Quid apertiùs dici poteſt?*

B. etiam *Proſper*, *Auguſtini* per omnia diſcipulus, agens de promiſsionibus & prædictionibus Dei par. 2. c. 38. deſcribit puritatem Eccleſiæ ab omnibus Hæreſibus, tum in *Heſter*, tum in *Iudith* præfigurantibus Eccleſiam, vbi poſt alia dicit. *Vides quemadmodum poſteaquam ejus vir Chriſtus Dominus paſſus, reſurgens aſcendit in cælum omni mæſtitiâ & veſte viduali depulſa, ſit induta pulchritudine ab eo, de quo in Iſaia Propheta dicit: Induit me veſtimento ſalutari & ſtola jucunditatis circumdedit me ſicut ſponſam ornatam monilibus ſuis*, &c. Vbi nullus locus hæreſi. Et in Pſal. 103. *Terræ nomine Eccleſiam intelleximus prophetatam, quæ Chriſtum habens fundamentum non inclinabitur in ſæculum ſæculi.* Sed redeam ad ipſius *Proſperi* & orbis Magiſtrum.

Digitized by Google

17. Ipſe igitur ſemper ſecundum communem veterum ſtilum, vocat illam Chriſti Eccleſiam, quæ conſiſtit ex communione orbis terrarum, & diſtinguit contra Communiones quaſlibet alias ab Eccleſia Chriſti, propter ſeparationem ab illa vniuerſali Communione: patet notanter Ep. 48. & ſexcenties alibi, & multoties dicit nullam poſſe eſſe cauſam juſtam, quâ aliqui communionem ſeparent à Communione Orbis terrarum, quæ eſt Eccleſia. *Nos autem ideo certi ſumus neminem ſe à Communione omnium Gentium juſtè ſeparare potuiſſe; nam non quiſq; noſtrum in juſtitia ſua, ſed in Scripturis Diuinis quærit Eccleſiam, & vt promiſſa eſt, reddi conſpicit.* Et dicit longè poſt in eadem Epiſt. *Certum eſt Eccleſiam permanere, & ſacrilegium eſſe ſentire Eccleſiam periiſſe.*

Quæ omnia eſſent falſa, ſi Eccleſia poſset fieri non Eccleſia; legitimè enim ſeparari poteſt à Communione quæ deſijt eſſe Eccleſia, vel quæ hæreſes doceret loco veritatis, & eas cogeret credi. Hæc non patiuntur replicam.

Certum verò eſt, ſicut ipſe orbis terræ non perit, ſic nec Communio illa vniuerſalis perire, nedum abſcondi poteſt. Et ideo *Iſa.* 2. *Erit in nouiſsimis diebus manifeſtus mons domus Domini, paratus in cacumine montium.* Vnde *Auguſt.* tract. 1. in 1. Iohan. 1. *Quis errat in hoc monte? Quis frangit faciem, offendendo in illum? Quis ignorat Ciuitatem ſuper montem conſtitutam?* Secundum illud eiuſdem Doctoris l. 2. contra *Creſconium* c. 36. *Extat Eccleſia cunctis clara atq; conſpicua: quippe Ciuitas quæ abſcondi non poteſt, ſuper montem conſtituta,* &c. *Hanc & B. Cyprianus ita commendat l. de ſimplicitate Prælatorum: vt etiam dicat Domini luce perfuſam, radios ſuos per orbem terrarum porrigere, ramos ſuos per vniuerſam terram copia vbertatis extendere,* &c. Hæc ſingula *Cypriani* verba ſuum habent pondus, tam pro infallibilitate, quam conſpicuitate Eccleſiæ. *Auguſt.* etiam Epiſt. 120. c. 17. ſuper illa verba. *Narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio Eccleſiæ cantabo te.* Fratres illius ſunt de quibus in Euangelio ait: *Vade, dic Fratribus meis*: Eccleſia illa eſt quam modò dixit *vnicam ſuam.* Nempè *vnica illa quam petit de manu canis erui vt ipſe* ibidem c. 24. Hæc eſt *vnica Catholica quæ toto orbe copioſa diffunditur, quæ vſque ad vltimas gentes creſcendo porrigitur. Vndè in Euan-*

gelio

Digitized by Google

gelio dicit: Et prædicabitur hoc Euangelium in vniuerſo orbe, in teſtimonium omnibus gentibus, tunc veniet finis. De manu canis erui, eſt ab omni hæreſi conſeruari: *toto orbe diffundi,* eſt ſemper conſpicuam reddi.

Auguſtinus etiam Tract. 2. in eandem illam *Iohannis* Epiſtolam: *Quod audiſtis fratres, tenete: Nemo dubitat de Eccleſia quia per omnes gentes eſt. Nemo dubitat quia ab Hieruſalem cœpit, & omnes gentes implebit,* &c. Tract. etiam. 3. in. 1. Iohan. 2. *Ex nobis exierunt: ſed non erant ex nobis: exierunt, id eſt ex Eccleſia exeunt, ſed non exirent, ſi ex nobis eſſent.* Poſtea hæreticos Humoribus comparat, *ex me exierunt humores iſti, ſed non erant ex me.* Quid eſt *non erant ex me? Non de carne mea præciſi ſunt,* &c. Fideles ſunt de carne ſeu de Corpore Eccleſiæ, & ibi non eſt materia præciſionis, vbi nulla Hæreſis. Hæreſes per humores purgantur, ipſa igitur non poteſt errare, nec ferre errores, ſtatim eijcit cum malis humoribus.

18. Vnde *Aug.* l. 2. contra *Gaudentium* c. 8. *Reſponde vtrum Eccleſia perierit vel non perierit? Elige quod putaueris. Si jam tunc perierat, Donatum quæ peperit? Si autem, &c. perire non poteſt, reſponde quæſo vt ab ea ſe, tanquam malorum Communionem deuitans, pars Donati ſepararet, quæ dementia perſuaſit?* Eccleſia igitur non poteſt non eſſe conſpicua, non poteſt non eſſe indefectibilis, coincidunt in judicio *Auguſtini*, vel potius *Iohannis* Apoſtoli.

Hoc eius Dilemma premit Noſtrates, qui ab Eccleſia Romana Fidem ſuſceperunt. Speculentur etiam an hîc & alibi, quoties contra *Donatiſtas* agit, an non ſemper per Eccleſiam intelligat Eccleſiam Romanam, hoc eſt, totam ſuam Communionem, cum qua ipſe vbique profitetur ſe communicare. Quod ſi hoc fateantur, vt fatendum eſt, videant an non contorqueantur hoc eius *Dilemmate*, & cæteris ejus argumentis inuictis contra *Donatiſtas*.

Multa habet *Auguſt.* in citata Epiſtola 48. pro conſpicuitate Eccleſiæ ex *Malachia* Propheta, *Pſal.* 78. 60. 118. 89. 54. *Cant.* 1. 2. *Iſai.* 54. *Act.* 1. & in *ep.* 50. Multus eſt in probatione eiuſdem veritatis, & optimè ponderat alios Scripturæ textus. Et tandem Epitheton illud Eccleſiæ *Catholicum* interpretatur *Totius orbis communionem*, prout etiam l. 2. contra *Gaudentium* c. 2. & alibi cum alijs veteribus.

Digitized by Google

Denique conc. 2. in *Pſalm.* 30. ſic loquitur. *Vere dico Charitati veſtræ, Obſcurius dixerunt Prophetæ de Chriſto, quam de Eccleſia. Puto quia videbant in ſpiritu contra Eccleſiam homines eſſe facturos particulas, & de Chriſto non tantam litem habituros*, &c.

19. Ex his ſequitur, Quod omnis *pars* ſiue *Donati*, ſiue cuiuſcunque alterius ab hoc vniuerſali Cõmunione, quæ eſt Eccleſia, ſeparata, non eſt Chriſti Eccleſia. Vt etiam ſingulariter ponderat *Aug.* in eadem Epiſtola 48. *Peribunt ſanè partes illæ, ſed immobilis ſtabit Eccleſia, quippe eſt mons paratus in Cacumine montium.* Poſtea ibidem. *Non eſt quod metuas, præualebis enim, nec erubeſcas quod deteſtabilis fueris. Confuſionem enim in æternum obliuiſcêris, ignominiæ viduitatis tuæ non eris memor. Ego enim ſum Dominus qui facio te: Dominus nomen ei*, &c. In æternum igitur non peribit, non errabit, aliàs certe habet quod metuat, &c.

20. Poſtea deſcribens ex *Hilario* Eccleſiam ſub *Arianiſmo* dicit. *Quis enim neſcit illo tempore obſcuris verbis multos parui ſenſus fuiſſe deluſos, vt putarent hoc credi ab Arrianis, quod etiam ipſi credebant: alios autem timore ceſsiſſe & ſimulatè conſenſiſſe* &c. poſtea. *Quanquam & illi qui tunc firmiſsimi fuerunt, & verba Hereticorum inſidioſa intelligere potuerunt, ſed pauci quidem ſunt in comparatione cæterorum, ſed tamen etiam ipſi quidam pro fide fortiter exulabant, quidam toto orbe latitabant. Ac ſic Eccleſia quæ per omnes gentes creſcit, in frumentis Dominicis conſeruata eſt & vſque in finem, donec omnino omnes gentes etiam barbaras teneat, conſeruabitur.* Nunquam igitur peribit. Nunquam hæreticabit, ſed conſeruabitur. Poſtea. *Ipſa eſt ergo Eccleſia quæ intra ſagenã dominicam cum malis piſcibus natat, à quibus corde ſemper & moribus ſeparatur atque diſcedit, vt exhibeatur viro ſuo glorioſa, non habens maculam neque rugam.* Hactenus hic magnus Eccleſiæ doctor. *Vel vt loquitur Paulinus* apud *Aug.* ep. 58. *Benedictus Doctor Iſrael.* Nota *ſemper ſeparatur & diſcedit.* Ep. etiam 161. Honorato Donatiſtæ ſcribens dicit. *Dignare ergo reſcribere nobis, vt ſciamus quomodo fieri poſsit, vt Eccleſiã ſuam Chriſtus de toto orbe perdiderit*, &c. Prædicat eſſe impoſſibile Eccleſiam perire &c. Fuſiſſime hoc declarat lib. de vnit. Eccl. contra *Donatiſtas*, vbi nihil cogitabile eſt, quod non ſoluerit ex ipſis Scripturis.

Vbi

Digitized by Google

Vbi vel maximè notãdum eſt, quòd *Arriani* decem Concilia celebrarunt: contendentes firmare ſuam Fidem in Eccleſia, vt refert *Athanaſius* in Epiſt. ad *Aphros*, & patet apud *Socratem Sozomenum* & cæteros rem hiſtoricam agentes, ſed præualere non poterant: nec vnquam præualebit, licet ad tempus valere poteſt iniquitas.

Et ideò ſingulariter dixit *Theophilus Epiſcopus Alexandrinus Epiphanio* (quæ eſt inter Epiſtolas Hieronimi. 67.) *Singulis temporibus eandem Eccleſiæ ſuæ largitur gratiam: vt integrum corpus conſeruetur, & in nullo Hereticorum Dogmatum venena præualeant. Quod quidem nunc videmus expletum, nam Eccleſia Chriſti quæ non habet maculam aut rugam aut aliquid iſtiuſmodi, egredientes de cauernis ſuis Origenis Colubros Euangelico enſe truncauit*, &c.

Vnde ipſe *Caluinus* in primam ad *Corinthios*. 11. 2. *laboraſſe quidem alios alijs vitijs. Interea tamen ab vniuerſo corpore retentam fuiſſe formam, quam Commendauerat Paulus.*

Et ideo Donatiſtæ licet violentiſſimè laboraſſent pro parte, quam vocabant Donati, vt illa ſc. eſſet Eccleſia Chriſti: tandem Confeſſi ſunt contra Eccleſiam Catholicam, quæ toto terrarum orbe diffunditur, nihil ſe habere quod dicerent, quia Diuinis ſanctarum ſcripturarũ teſtimonijs oppreſſi ſunt, quibus Eccleſia deſignatur, incipiens ab Hieruſalem creuiſſe per loca in quibus Apoſtoli prædicauerunt &c. *& inde diffundi per cæteras Gentes. Contra iſtam Eccleſiam ſe non habere cauſam manifeſta voce profeſſi ſunt, vbi eſt euidentiſſima in nomine Dei noſtri victoria. Cum eam enim confirmant Eccleſiam, cui nos communicare, ipſos non communicare manifeſtam eſt, olim ſe victos eſſe teſtantur, & vobis ſi ſapitis, apertiſſime indicant, quid dimittere & quid tenere debeatis.* Poſtea. *Quiſquis ergo ab hoc Catholica Eccleſia fuerit ſeparatus* &c. *Non habet vitam, ſed IRA Dei manet ſuper eum.*

S. Aug. (qui eſt inſtar omnium in hac materia) cum *Fortunato Donatiſtarum* Epiſcopo Ep. 163. ſolemniter diſputans, omnes in hanc quæſtionem reſoluit controuerſias, & dicit. *Quærebam vtrum Epiſtolas Communicatorias, quas formatas dicimus, poſſet quo vellem dare, & affirmabam quod manifeſtum erat omnibus, hoc modo facillimè illam terminari poſſe quæſtionem.*

Euaneſcunt ſanè quæcunque aliæ altercationes, ſi hæc maxime fundamentalis terminari poteſt. Si vere communicatur cum cæteris Catholicæ communionis Eccleſijs, Fides ſalua erit.

Hoc idem quærendum eſt à noſtratibus, quod *Aug.* ab *Afris*, & hoc modo facillimè terminabitur omnis quæſtio: Nam manifeſtum eſt omnibus, eos non poſſe dare communicatorias cæteris mundi partibus, quibuſcum ab initio ſuſceptionis fidei in Anglia per litteras communicarunt. Vtinam vel hoc ſolum ejus argumentum perpendere dignarentur.

Hanc *Auguſtini* regulam docet *Baſilius* cap. 8. ſuperiùs fusè.

Oroſius l. 7. c. 33. recenſens vindictam Diuinam in *Valentem* Eccleſiam Dei perſequentem, concludit. *Magnum reuerà hoc eſt ad noſtrum dolorem, magiſque miſerum, quò magis nouum. Sed quid hoc ad conſolationem proficit Paganorum, qui palam peruident, & in his quoque Perſecutorem Eccleſiæ fuiſſe punitum? Vnus Deus vnam Fidem tradidit, vnam Eccleſiam toto orbe diffudit, hanc aſpicit, hanc diligit, hanc defendit. Quolibet ſe quiſquis nomine tegat, ſi huic non ſociatur, alienus: ſi hanc impugnat, inimicus eſt.* Propterea in eodem Capite de *Gothis* à *Valente* per Epiſcopos *Arrianos* ad Fidem Chriſtianam, ſed hæreticè conuerſis agens, concludit, *Itaque juſto Dei judicio, ipſi eum* (*ſc.* Valentem) *viuum incenderunt, qui propter eum, etiam mortui, vitio erroris arſuri ſunt.* Vbi ex hoc ſolo titulo, quia extra Eccleſiam morituri erant, arſuros judicat, ſc. in æternum, & hoc licet in errore illo baptizati. Hæc omnia fuſiùs juſtò tractaui & addidi, vt fiat ſatis, ſi fieri poteſt, etiam Proteruientibus, Eccleſiam nec perire, nec errare poſſe.

22. Quòd dicunt alij, non eſſe opus quòd Eccleſia habeat donum Infallibilitatis, ad hoc vt quietetur & captiuetur intellectus Chriſtianorum in rebus ad ſalutem neceſſarijs.

Reſpondet certiſſimè *Doctor Subtilis* 2. d. 23. q. vnica. Quod *nemo perfectè credit, & omninò firmitèr, ei quem ſcit poſſe fallere & falli.* Si igitur Eccleſia non eſt infallibilis in proponendo neceſſaria, nunquam poterimus habere aſſenſum ex tali teſtimonio, qui expellit omnem dubitationem trahentem in oppoſitum credibilis, & ſic ſemper fluctuabimus, &

mus, & ab omni vento agitabimur, & tandem peribit Fides, etiam reſpectu Principiorum, quæ etiam per Eccleſiam deuenerunt ad noſtram notitiam.

23 Quòd dicunt alij, nunquam fuit definitum, *ſaltem Concilia eſſe infallibilia*, ergò hoc non eſt de Fide.

Dico primò eſſe ſatis clarè contentum in illa altera veritate, jam tùm ab initio Fidei credita de inerrabilitate Eccleſiæ vniuerſalis, & ideò non indigere diſtincta definitione. Hoc patebit clariſſimè in duobus proximis Capitibus.

Addo vlteriùs, nullo modo ſequi, etiam conceſſo antecedente, quia non eſt articulus omninò à reliquis in Concilijs definitis ſeparatus, ſed eſt omnibus & ſingulis quodammodo connexus, atque ab ijs præſuppoſitus, tanquàm fundamentum eorum. Et ideò non eſt opus quòd per ſe conſtituat articulum à reliquis diſtinctum, ſed eſt id ſuo modo, propter quòd reliqua ſunt infallibiliter definita, & ideò infallibiliùs, quia, *propter quòd vnumquodq;*, &c.

Eodem planè modo, quo arguere ſolent Theologi de prima hac diuinitus reuelata veritate *Deus eſt*: quia teſtimonium Dei quod eſt motiuum credendi articulis, ſupponit eſſe Deum qui poſsit teſtari, vt eleganter *Smiſings* tract. 1. Diſp. 1. de exiſtentia Dei 9. 3. n. 41. ſic in propoſito Philoſophandum eſt.

24. Demum illuſtrari poteſt veritas de inerrabilitate Eccleſiæ, contemplando vel leuiter, non in ſingulis, quia hoc operoſum foret, nec huic loco congruum, ſed in hoc ſolo de quo agitur puncto, diuinam ſympathiam & proportionem qua vtitur Deus in regimine mundi huius ſpiritualis, & alterius materialis.

Sub initium Creationis, vt habetur *Geneſ.* 1. *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*, hoc eſt, Deus dedit ſpiritum ſuum fluxis diſpoſitionibus materiæ, quæ ſc. ideo dicũtur aquæ propter fluxibilitatem, vt exinde diuerſæ rerum & ſpecierum formæ in perpetuum educerentur, ſecundum illud, *Emitte Spiritum & creabuntur*, &c.

Nec tamen vi huius *Spiritus*, mundus fuit factus omni modo inerrabilis in productionibus ſuis, ſed ſubinde ex errore producuntur

 monſtra-

monſtra, quæ tamen non adeo præualent, vt ipſa natura vniuerſaliter deficere videatur, ſed indefatigabiliter operatur & operabitur ſecundum generationum & productionum ordinatiſſimas ſucceſſiones, non obſtantibus monſtroſis illis Accidentibus.

Sub initio etiam Recreationis *Paracletus* mittebatur, qui docuit omnia in ordine ad Generationes Spirituales, ſecūdum illud *Iohannis*. 14. *& ego rogabo Patrem & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere*. &c. Effectus igitur huius Spiritus Diuini eſt alterius ordinis à Priori, quem *mundus non poteſt accipere*: hic ad finem Spiritualem, ille ad materialem. Ferebatur etiam *ſuper aquas* non illas materiales, ſed de quibus dicitur *Ioan*. 7. v. 39. *Qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit, de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum*, nimirum quia per eum regenerabuntur ſeu recreabuntur Spiritualiter, prius productis, ſeu creatis illis nouis fluxilibus diſpoſitionibus præcedentibus, quas vocat aquas viuas: quia ad nouam vitam conducentes, vt antea dixerat de diſpoſitionibus materialibus, in ordine ad Generationes naturales & materiales.

Nec tamen omni modo reddet mundum hunc nouum inerrabilem, quinimo ſubinde monſtra generantur: nam *oportet Hæreſes eſſe Matt*. 24. nempe *multi Pſeudophetæ exurgent & decipient multos*. Nunquam tamē eò venient, vt Eccleſia vniuerſalis ſeu vniuerſaliter hæreticetur: ſed immobiliter perſiſtet, docēdo quæ Chriſtus mandauit. Errores ſemper ſeminabuntur, ſed non erunt vniuerſales, nam portæ inferi tunc præualerent.

Vnde optime *Auguſt*. l. 4. contra duas Epiſtolas *Pelagianorum* C. 12. *Orbem quippe Catholicum, quoniam Domino eis reſiſtente peruertere nequeunt, ſaltem commouere conantur*. &c. Hoc eſt, hinc inde Eccleſiam ſub obſcuram reddere poſſunt, licet tenebras dēſiores obducere nequeant.

Nam vt alibi *Aug. Conc*. 3. in *Pſal*. 103. ad illud. Fecit lunam in tempora. *Intelligimus Spiritualiter Eccleſiam creſcentem de minimo, & iſta mortalitate vitæ quodāmodo ſeneſcentem, ſed vt propinquet ad ſolem*, &c. Seneſcere ergo poteſt, hoc eſt debilitari; ſed ecce ſtatim appropinquat ad ſolem, ad

Digitized by Google

lem, ad Chriſtum qui reſplendeſcere facit. Nam vt alibi *Aug.* in *Pſal.* 92. *Confirmauit orbem terræ qui non commouebitur. Et orbis terrarum qui non commouebitur, eſt orbis terrarum qui cōmouebatur.* Poſtea ex c. 2. *Tim.* 2. *fidem quorundam ſubuerterunt, firmum autem fundamentum ſtat.*

25 Eccliſpſes erunt, ſed non ſuper totam faciem terræ, nunc in hoc Hemiſpherio, nunc in altero, nunc in hac parte, nunc in illa, ſecundum diuerſas latitudines natura pati poteſt, ſed tota terra obſcurari non poteſt, niſi Deus ipſe in ſuis legibus pati dicatur, ſecundum illud *Dyoniſij*, *Vel Author naturæ patitur*, *vel mundi machina diſſoluetur*. Nempè quia vt rectè *Ariſtoteles* libro octauo Phyſicæ Auſcultationis, *Motus cæli vita eſt omnibus*: non verò viuificat Corpora hæc inferiora, niſi per calorem, lux autem de moto corpore profluens & afflans, continet omnes calores, & calor ſequitur eam tanquàm proprietas, vt pro nunc ex nobiliori Philoſophia ſuppono. Inueniet quiſquis cogitabit, ſeu potiùs obſeruabit in hac mundi machina, ſolis radios, origine quadam antecedere ſequentem Calorem, ſicut in nobis intelligentiæ claritatem, voluntatis affectum præcedere nouimus. Si igitur deficeret lumen cœleſte, deficeret calor ille viuificus, & per conſequens, tota hæc inferioris mundi machina diſſolueretur.

Eodem prorſus modo de erroribus, ſeu Eccliſpſibus ſpiritualibus in Eccleſia, ſeu hoc nouo mundo philoſophandum eſt, & de facto philoſophantur Sancti, vt ſæpiùs in hoc opuſculo oſtendo. Vnde rectè *Auguſt.* hom. 5. in Apoc. *Sol, & luna, & ſtellæ, Eccleſia eſt toto orbe diffuſa. Quòd autem dicit, cecidiſſe: non tota cadit, ſed à parte totum intelligitur: In omni enim perſecutione, boni perſeuerant, & mali quaſi de cælo, id eſt, de Eccleſia cadunt.*

Denique *Vitruuius* l. 4. de Architect. c. 1. oſtendit illud quòd habet rationem fundamenti, ſeu columnæ in ædificio, debere præſtare firmitatem & ſoliditatem toti ædificio. Vndè quandò *Paulus* vocat Eccleſiam *Columnam & Firmamentum*, indubiè vult quòd ideo dicatur columna, quia infallibilis & dans firmitatem fidei toti Chriſti ædificio. Hoc vlterius deduci poteſt, & quò magis inſpicitur, magis veritatem hanc declarabit, etiam ex ratione Architecturæ.

Addam

Digitized by Google

Addam per modum Coronidis. Hâc tandem doctrina de conſpicuitate & infallibilitate Eccleſiæ ſuppoſitâ; ſequitur per neceſſariam conſequentiam, *Defectionem ſeu ſeparationem* quorumcunque ab ea Eccleſia quæ tunc, ſc. in initio Schiſmatis, ſola erat viſibilis, & viſibilitèr agnita pro Eccleſia Dei, non poſſe juſtificari.

Probatum vtique eſt Eccleſiam Dei non poſſe perire, nec errare, nempe in neceſſarijs ad ſalutem, ergò Eccleſia quam inuenit Schiſma, & cujus vnitatem reſcidit ſchiſmatis author, vel ex qua ob errores ſuos reſciſſus eſt, non erat adultera nec erratica.

Quo conceſſo, vt concedendum eſt, ſequitur vt priùs, præſertim in ordine ad illos de quibus Apoſtolus ad Rom. 2. *Iis autem qui ſunt ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio.* Neceſſitatem hujus conſequentiæ facilè perſpiciet Lector eruditus.

Hoc fusè cum reliquis *Veteribus* oſtendit *Cyprianus* de vnitate Eccleſiæ. *Quiſquis ab Eccleſia ſegregratus adulteræ iungitur, à promiſſis Eccleſiæ ſeparatur. Nec perueniet ad Chriſti præmia, qui relinquit Eccleſiam Chriſti, alienus eſt, Profanus eſt, hoſtis eſt. Habere jam non poteſt Deum Patrem qui Eccleſiam non habet matrem. Si potuit euadere quiſquam qui extra arcam Noe fuit, & qui extra Eccleſiam foris fuerit, euadit.* Sic etiam Ep. 62. *Neque enim viuere foris poſſunt, cum Domus Dei vna ſit, & nemini ſalus eſſe niſi in Eccleſia poſſit.* Ep. etiam. 71. dicit. *Manifeſtum eſt eos qui non ſunt in Eccleſia Chriſti, inter mortuos computari.* Hic ſtilus omnium veterum. Quod etiam proſequitur *Pet. Chryſol.* ſerm. 132. *Quiſquis ille eſt qui ſe putat eſſe aliquid, tali inſtitutus exemplo maneat in Eccleſia, vt ſit aliquid, alioquin vbi defuerit illi, ſibi eſſe mox deſinit.* Poſtea. *Deo non ſingularitas eſt accepta, ſed vnitas*: Poſtea dicit. *Vitam ſolum eſſe in Eccleſia.*

27. Vlteriùs etiam ſequitur, *Eccleſiam Romanam*, id eſt *in ſua vniuerſali cõmunione dilatatam*, fuiſſe in initio hujus ſchiſmatis *veram & indefectibilem Dei Eccleſiam*, quia tunc nulla erat alia Eccleſia à qua ſe ſeparabant, & ideo vel illa fuit vera Eccleſia, vel nulla fuit in terris, & nulla via ad ſalutem, quod nemo Chriſtianus dicet.

Hoc vltimum conſequens & conſequentia patent: quia nulla alia fuit per

Digitized by Google

ſuit per gentes omnes diſperſa: nulla alia domus in cacumine montium præparata: nulla alia per totum mundum conſpicua, vt ex hiſtorijs & ipſorum Hæreſiarcharum ſcriptis patet: quæ tamen per Prophetas & Euangelium requiruntur, & certò oſtendunt Chriſti Eccleſiam. Ergo.

Imo hoc ipſum argumentum conuincit Eccleſiam Romanam *hodie* eſſe ſolam Eccleſiam Chriſti: nam illa ſola eſt vera Eccleſia, cui conueniunt Propheticæ prædictiones & Apoſtolicæ denotationes Eccleſiæ, quas hic poſuimus ſuccinctè, & ſupra fuſiùs. Sed ſoli Eccleſiæ Romanæ hodie conueniunt, vt ad oculum patet intuenti: ergo. Et ſic per compendium videre licet ſine ſtudio, quæ ſit Eccleſia ſequenda. Dum hoc vrgerē in congreſſu cum quodam celebri Viro proteſtante: Reſpondit *conditiones illas eſſe temporarias* & non ſemper oſtendere Eccleſiā; Nam aliquando futura erit in *deſerto, &c.* Replicaui, quòd licet hoc eſſet contra ſcripturas, quæ ſimpliciter & non limitando ad loca vel tempora, illas aſſeruerat de Eccleſia, nec recurſus ad deſertum tempore perſecutionis impediret: petij tamen, an illæ conditiones quæ erant prophetatæ de vera Eccleſia poſſent cōuenire adulteræ? ſi ſic, ergo falsò prophetarunt Prophetæ, & docuerunt Apoſtoli ſequentes Chriſtum: deinde tum nulla ſuperſunt ſigna Eccleſiæ. Manet igitur certum quod dixi.

Obiter notandum eſt quod *Hieron.* ſæpiùs declarat, *Romanam Eccleſiam* ſumi pro *Eccleſia Catholica*, & fidem eius pro fide Catholica, imo & ipſam eſſe indefectibilem in fide Ep. 57. ad *Damaſum* fusè hæc ſingula docet, & cōcludit: *Quicumq; tecum non colligit, ſpargit.* Hoc eſt quod Chriſti non eſt; *Antichriſti eſt.* Eadem etiam docet ep. 65. etiam l. 1. Apologiæ aduerſus *Ruffinum*, etiam Ep. 68. & alibi. Sic alij Patres poſt *Irenæum*, *Ambroſium* & *Auguſt.* alibi citatos, qui frequenter pro ſynonimis habent Eccleſiā *Catholicam* & *Romanam.* Veteres ſane nihil communiùs, etiam in jure ciuili, Quo poſito, vlteriùs procedo.

Omnes norunt *Lutherum* ſchiſma feciſſe in & ab Eccleſia Romana, iam verò vt loquitur *Aug.* l. 1. c. 4. contra Ep. *Parmeniani. Multa fruſta de iſto fruſto facta ſunt: Sic ſic neceſſe eſt vt minutatim ſecti conſciſſi-*

que diſpereant, qui tumorem animoſitatis ſuæ, Catholicæ pacis Sanctiſſimo vinculo prætulerunt. Catholica de qua præciduntur, etiam in eas terras extenditur, vbi iacent illa quoque in ſua regione fragmenta, in illa verò ſingula quacunque ipſa diſtenditur. Non ſunt, &c. *Aug.* l. 4. c. 60. contra *Creſcon.* Ipſiſſimus hodierni ſchiſmatis ſtatus: & valde appoſite ad hunc enodandum loquitur *Proſper* in *Dimidio temporis* c. 5. contra *Arrianos*, & quoſuis Hæreticos agens, diſtinguendo Catholicam ab eorum conuenticulis, vocat eam *Generalem* Eccleſiam. *Huic generali Eccleſiæ cõmunicans Chriſtianus, eſt Catholicus: Ab hoc ſegregatus, hæreticus*, &c. Nodus igitur eſt, an communicemus Eccleſiæ *generali*, non ſufficit ſi huic vel illi vel pluribus particularibus, præſertim Generali olim connexis, nunc verò ex quocunque ſpecioſo titulo ſeparatis. Hoc intonat *D. Proſper* poſt ſuum & orbis Magiſtrum.

28. Et certè hoc argumentandi genus irrefragabiliter concludit contra *Noſtrates*. Nos enim ab Eccleſia Romana recepimus fidem Chriſti, & cum ipſa communicauimus vſque ad *Hen.* 8. hoc eſt vſque ad infœlicem huius Schiſmatis ortum. (Nemo hoc neſcit) & ideò vel illa erat vera Chriſti Eccleſia ſaltem vſque ad *Henricum*: vel nos nunquam fuimus membra veræ Eccleſiæ, quod eſt longè horridum vel cogitare. Speculentur.

Si fuit vera Chriſti Eccleſia vſque ad illud tempus, tunc ineuitabiliter concluditur ex ſupradictis, adhuc hodie eſſe veram, &c. Imo ſi fuit vera Eccleſia quando nos Chriſtianorum albo primitùs inſcripſit, idem ſequetur: aliàs Chriſti promiſſa perierunt. Omnia etiam, tàm Eccleſiaſtica, quàm ſecularia noſtra monumenta oſtendunt nos in primæua, qua ab ipſis imbuti eramus, fide, vſque ad præſens ſchiſma, perſeueraſſe; & quod conſequens eſt, vel ipſa Eccleſia Romana in ſua vniuerſali Communione, & nos cum ipſis, tot ætatum curſibus turpiter erraſſe comprobatur: vel ſequetur, vt prius illam & nos cum ipſa fuiſſe veram Chriſti ſponſam vſque ad *Henricum*, à qua declinando *aliam nouam* ſubinduximus. Speculabitur hæc eruditus & Chriſtianus Lector, & niſi omnis me fallit ſenſus, rem concluſam fatebitur.

29. Nunc

Digitized by Google

29. Nunc enim quot fere ſunt homines, totſectæ in infinita diſciſſæ fruſta, quod ſatis indicat earum falſitatem; nam vt omnia vera veritati conſonant, ſic falſum, tàm à ſeipſo, quàm à veritate diſcrepat ſemper.

Hoc olim deſcripſit *Tertullianus* de Præſcrip. non longe à fine, vbi profectò per omnia delineat ſtatum hæreſum modernarum, vt ſemper ſibi ſimiles inueniantur, & tandem ſic ſcribit. *Mentior, ſi non etiam à regulis ſuis variant inter ſe, dum vnuſquiſque proinde ſuo arbitrio modulatur, quæ accepit, quemadmodum de arbitrio ea compoſuit illa quæ tradidit.* Poſtea. *Idem licuit Valentinianis quod Valentino, idem Marcionitis quod Marcioni, de arbitrio ſuo fidem innouare*, &c.

Hoc ipſum expenderunt omnes Patres: & præſertim *Baſil.* Ep. 82. to. 3. Edit. Pariſ. vbi vt fusè ſic exactè declarat proceſſus & receſſus, & tandem ſexcentas *Hereticarum* ſententiarum mutationes. *Quoties fidem exponendo nouarunt? Ancyræ dederunt aliam, & Seleuciæ aliam, aliam Conſtantinopoli*, &c. *& aliam Lampſaci.* Poſtea. *& quam dederunt Nicææ Thraciæ, & iam aliam Cyrici*, &c.

Huic ergo rerum ſtatui optime conuenit illud *Iulij Rom.* Pontificis ad Epiſcopos in *Antiochia*, &c. apud *Athan. Quod ante omnia obſeruari oportet: literæ veſtræ* &c. *inter ſe pugnant, & primæ cum ſecũdis nullum concentum habent, ſed in pleriſque primæ à ſecundis deſtruuntur, & ſecundæ à primis redduntur ſuſpectæ, ex diſcrepantibus autem literis nulla certitudo conſtitui poteſt*, &c.

Petam ab ipſis, quod olim *Athanaſius* de Synodis, *Cur illi qui hoc tempore Clerici dicuntur, ſurſum curſitarent, percunctaturi quomodo ipſis oporteret in Chriſt. Ieſ. Dom. noſtrum credere? nam ſi credidiſſent, nunquam quaſi fidem non haberent, de fide quæſiiſſent*, &c. *Clerici certè illorum quanquam authoritatem apud Populum hactenus quaſi Magiſtri obtinuerint, nunc tamen ſeſe infideles eſſe declarauerunt, cum id quærant quod non habent. Spero cum Arrianis ibi Conſulem & menſem denique nouæ fidei addent, vt omnibus prudentibus palam faciant, non olim, ſed nunc eorum fidem accepiſſe initium.*

Putem quidem, quòd de multis inter eos dicere poſſum illud *Ar-*

Digitized by Google

nobiſ l. 7. *Facitis quod fieri cernitis, non quod fieri oportere confiditis: nimirum apud aliquos plus valet nullam habens conſuetudo rationem, quam verum, inſpecta natura veritatis examinatione ponderata.* Vtinam etiam non eſſent alij de quibus idem *Auctor* l. 6. *Quod ſemel ſine ratione feciſtis; ne videamini aliquando neſcijſſe, defenditis.* Perpendite quid doceat *Greg. Niſſen.* in orat. contra differentes baptiſmum. *Noli negotiari gratiam aut cauponari, ne à dono excidas.* Digna eſt lectu ab omnibus, qui ex humanis motiuis nolunt conciliari Eccleſiæ.

De huiuſmodi agens *Cyprianus* de *Lapſis* dicit. *Communicationem non Communicantium ratam ducunt.* Sic vos cum alijs Sectarijs omnibus, *ratam habetis*, ſolùm Catholicos Eccleſiæ filios fugitis.

Quam longè verò diſtat hæc olim *Celebris Inſula*, à temporibus *Guilielmi Neubrigenſis* patet in Epiſ. Hiſtoria l. 3. c.3. agens de quibuſdam Hæreticis quos *Alexander Papa* ibi vocat Catharos, hoc eſt Puritanos.

Sanè ab hac & ab alijs peſtibus Hereticis immunis ſemper extitit Anglia, cum in alijs mundi partibus tot pullulauerint Hæreſes. Vtinam hoc hodie dici poſſet, vel ſaltem quod in aliquibus fuit ignorantia puræ negationis, non vertatur in ignorantiam prauæ diſpoſitionis, vt loquuntur Dialectici.

30. Accipite vnam & illam adæquatam fidei regulam à *Tertull.* libro de Carne Chriſti. *Reſcindendo quod credidiſti, probas antequam reſcinderes aliter fuiſſe quod credidiſti, aliter illud ita erat traditum. Porrò quod traditum erat, id erat verum, vt ab eis traditum, quorum fuit tradere. Ergo quod erat traditum reſcindens, quod erat verum reſcidiſti.* Ad hanc limam examinate articulos ſeparationis, & dabitis vltro quod longiori diſcurſu concluſum ſuperius declaraui.

Quam pulchre hoc declarat *Irenæus* l. 4. c. 62. nihil deſiderari poteſt, quod non habeat.

Concludam igitur cum *Baſilio* Ep. 70. *vnum* iam crimen eſt quod vehementer punitur: *Si paternas* quis traditiones diligenter *obſeruet.*

Et cum *Athanaſio* de actis *Seleuciæ. Quod ſi illi* (ſc. Patres noſtri) *malè ſenſerunt, & ſcriptis ſuis orbem terrarum ſeduxerunt, ceſſet omnino*

eorum

Digitized by Google

eorum memoria, & ſcripta illorum abijciantur. Ite ergo vos ipſi, & eruite eorum reliquias ex monumentis, vt ab omnibus intelligatur, & illos fuiſſe ſeductores, & vos parricidas eſſe. Audite etiam quod poſtea ſubnectit ex *Prouerbijs.* 13. *Mala ſoboles Patrem execratur.* Optime igitur *Aug.* l. 2. contra Ep. Parmen. *Præcidendæ vnitatis nulla eſt iuſta neceſſitas.*

Gennadius igitur agitans iniquam ſuæ Græciæ ab Eccleſia Rom. ſeparationẽ, in illo docto volumine, quod in Florentini defenſionem exaranit; clare oſtendit: nullum regnum ſe poſſe ſubtrahere ab obedientia Eccleſiæ Rom. quod à fortiori in Angliam torqueri poteſt, nimirum ex canone 13. primæ & ſecundæ ſynodi. 134. his verbis. *Hereticarum zizaniarum ſemina in Chriſti Eccleſiam ſpargens aduerſarius, videns has gladio Spiritus radicitus euelli: alia via aggreſſus eſt aſſumpta ſecum ſchiſmaticorum inſania, Chriſti corpus diuidere.* Sed & has inſidias S. Synodus anticipans vndecumque, decreuit inpoſterum, vt *ſi quis Presbyter vel Diaconus tanquã ob aliquod delictũ ſuũ deſpiciens Epiſcopum, ante Synodalem cognitionem & cauſæ diſquiſitionem, ab eius communione deficere auſus fuerit, & nominis in ſacris Miſſarum precibus ſecundum Eccleſiæ traditionem non meminerit, hunc depoſitioni ſubijci, & Sacerdotali omni honore priuari: qui enim in Presbyteri ordine eſt conſtitutus, & Metropolitanorum præuenit iudicium, & ante iudicium quantum in ſe eſt condemnat ſuum patrem & Epiſcopum; hic neque Presbyteri dignus eſt honore nec nomine: & qui hos ſequuntur, ſi qui fuerint conſtituti in Sacris, & ipſi ſuis dignitatibus excidant: Monachi verò vel Laici expellãtur ab Eccleſia,* &c. Expendantur ſingula, clerici & laici expellantur ab Eccleſia, ſi ſe ſeparauerint ſeu recuſauerint obtemperare Epiſcopo, antequam res examinata fuerit in Synodo, &c. Quænã Synodus licitã declarauit cauſam Anglicæ? ad quam Synodum remiſerunt examen rei? An non ſola Regis, ſeu Reginæ authoritate factum eſt? ſileo reliqua.

Digitized by Google

CAPVT XXII.

An definitio Concilij ſit Fides Eccleſiæ?

1. FVſiùs diſcuſſi hanc materiam, *De inerrabilitate Eccleſiæ vniuerſalis*, ex Scripturis, Concilijs, Patribus, & ratione, propter intimam quam habet neceſsitudinem cum illa altera, *De inerrabilitate Concilij vniuerſalis.* Vtique exiſtimo, ſi meus me non fallit ſenſus, vtriuſque hac in parte eandem eſſe rationem, & ideò admiſſo illo antecedente Infallibilitatis Eccleſiæ, neceſſariò admittendum conſequens de Concilio. Ad hoc verò ſtatuendum pono hanc propoſitionem, *Quod definitiones Conciliares, hoc eſt veri Concilij vniuerſalis, fidei declarationes, cenſendæ ſunt ipſius Eccleſiæ determinationes.*

2. Ad quod oſtendendum, notare oportet, quod Sancti Patres tanquam Synonima adhibent, ſeu identificare ſolent Concilia vniuerſalia, & ipſam Eccleſiam, ſententiam etiam prioris & poſterioris.

Sic *Auguſtinus* tum alibi ſepè, vt in capitibus præcedentibus per occaſionem citaui, tum ſpecialiter l. 1. de Baptiſ. contra *Donatiſtas* c. 18. & l. 2. c. 1. & 2. & ſexcenties alibi.

Capreolus etiam celeberrimus ille Carthaginenſium Epiſcopus, & Anti-Neſtorianus inuictus (vt de eo habetur teſtimonium in Concilio Epheſino) in ſua ad *Vitalem & Conſtantium* Epiſtola, poſtquam de definitione *Glorioſæ Sacerdotum Synodi*, vt ipſe loquitur, egiſſet, paulò poſt ſubdit: *Quamuis igitur Chriſtianis & deuotis mentibus ipſa vniuerſalis Eccleſiæ authoritas plenè ſufficiat*, &c.

Sic etiam apud *Athanaſium* in Tractatu de *Synodis*, Catholica Synodus vocatur Sancta Eccleſia, & ipſe *Athanaſius* in oratione ſua ibidem vocat Concilium vniuerſale, *Orbis terrarum Concilium.* In Epiſtola etiam de Decret. Nicenæ Synodi dicit, *Quos Nicænum Anathemate percutit Sancta Catholica Eccleſia.* Poſtea. Vocat Nicenum *orbis terrarum Concilium*. Poſtea· *Fides quæ ſcriptis decretiſq; Synodi ſancita eſt, ea eſt totius Eccleſiæ.* Videtur eſſe ſtilus Patrum & Scholaſticorum.

Vnde

Vnde *Doctor Subtilis* 4. d. 11. q. 3 agens de definitione magni Concilij Lateranenſis, quoad Tranſubſtantiationem, ſtatim confundit Concilium cum Eccleſia & indifferenter vtitur, nunc vocabulo Eccleſiæ, nunc Concilij, pro vno & eódem actu, quaſi eſſent Synonima, prout ſunt quoad hoc propoſitum.

Superuacaneum eſſet ſingulos adferre in re aliàs notiſsima, nec minus certa: nam ipſa Sacra Scriptura per Concilia vniuerſalia Eccleſiam ipſam intelligit, & determinationes eorum ipſius eſſe Eccleſiæ, imò ipſius eſſe Euangelij, aperte indicat, & Abulenſis non minus ſubtiliter quam ſolidè oſtendit. Et ideò cum definitiones Conciliares infallibiles eſſe efficaciſſime declarare contendit, *Eccleſiam* & *Concilium* confundit.

3. Rationes adferam, quia neruosè probant quod intendunt de Concilijs, non tamen quod ſingula approbem quæ adfert, ſed in quantum propoſitionem meam confirmant. Sic ergo diſcurrit. Euangelium errare non poteſt, ſed Determinatio Eccleſiæ nempe in Concilijs vniuerſalibus eſt ipſum Euangelium, ſeu pars Euangelij. Ergo. Minor probatur ad Gal. 2. vbi Apoſtolus vocat determinationem Eccleſiæ ipſum Euangeliũ. Dicit enim quod *Cephas* non ambulabat recte *ad veritatem Euangelij*, &c. quia cum illis qui erant de Circumciſione obſeruat legalia in cibis, per hoc Gentilibus innuens quod cuſtodienda erant adhuc legalia. In Euangelio autem non reperitur aliquid de hoc. Quia tamen Sacrum Concilium Apoſtolorum & Seniorum, & tota Eccleſia definierat Act. 15. non obligari Gentiles ad obſeruationem legalium, & *Cephas* faciebat contra hoc, dicebatur facere contra Euangelium, vel non ambulare recte ad veritatem Euangelij, & ſic determinatio illa Eccleſiæ vocatur Euangelium. Profectò hoc argumentum non patitur replicam pro inerrabilitate Conciliorum. Lector ſecundò legat, & pro dignitate ruminet.

Item patet quod Eccleſia vniuerſalis non poſsit errare, quia B. *Petrus* & alij Apoſtoli, obligabantur ſtare determinationi Eccleſiæ, quia illam determinationem factam in illo Concilio omnes ſuſceperunt, etiam omnes Apoſtoli obediebant Eccleſiæ. Nam B. *Petrus*

qui

qui erat *Papa & Princeps* obediebat Eccleſiæ vt patet Act. 8. vbi illi qui congregati erant, & faciebant Eccleſiam Hieroſolymis, miſerunt B. *Petrum*, & B. *Ioannem* in Samariam, & illi ad mandatum Eccleſiæ iuerunt. Si tamen Eccleſia vniuerſalis poſſet errare, non eſſent ſubiecti Apoſtoli determinationibus eius cùm Apoſtoli eſſent tales, qui non poterant errare, cùm eſſent confirmati per Spiritum Sanctum, Ergo. Hoc etiam expendat Lector eruditus, licet vt dixi, in aliquibus ipſi non aſſentiam, vt potero in alio opere ſi Deus voluerit, oſtendere.

Hæc, & plura *Abulenſis* in 2. par. Defenſorij c. 21. & 22. vbi in toto diſcurſu, vt dixi, conſundit Eccleſiam & concilium vniuerſale, & planè oſtendit Apoſtolos ſic confudiſſe, & pro iiſdem intellexiſſe. Fruſtraneum etiam eſſet dicere, hæc ſolùm verificari de tempore, ſeu Eccleſia Apoſtolorum; nam, vt jam dixi, Eccleſia ſemper oppoſitum cenſuit. Addo ridiculum eſſet, Eccleſiæ Elogia quæ habentur in Scripturis, ad quinquaginta vel ſexaginta annos quibus vixerunt Apoſtoli, ſine omni fundamento coarctare.

4 *Panormitanus* quidem in ſuis Quæſtionibus q. 1. oppoſitum tenet, his verbis: *Si dicatur quòd tota Eccleſia non poteſt errare, cùm Chriſtus pro ejus fide orauerit, non obſtat: Dico enim quòd Concilium Generale, licet repreſentet totam Eccleſiam, non eſt tamen tota Eccleſia*, &c. Eadem etiam habet paulò fuſiùs ſuper *prima parte primi de Electione*: ſed ratio illa non vrget, vt in ſerie diſcurſus noſtri patebit.

Rectius igitur *Almaynus* de Authoritate Eccleſiæ c. 10. *Concilium Generale eodem gaudet Priuilegio quo Eccleſia repreſentata, ſicut omninò eandem poteſtatem habet; imò Eccleſia vt diſperſa, nullum actum juriſdictionis exercere poteſt, nec aliquid ſententialiter definire.* Rectè etiam definitum fuit in Concilio Conſtantienſi, quòd Synodus Generalis in Spiritu Sancto legitimè congregata, Catholicam repreſentat Eccleſiam, & poteſtatem à Chriſto *immediatè habet* vt ipſa, immediatione ſc. *rei*, quia eadem poteſtas quã habet Eccleſia Catholica, & ea quam habet repreſentatiua, eſt à Chriſto: ſed alijs videtur quòd non immediatione, *modi*, quia in aliquo priori videtur ipſis poſſe dici, quòd datur Eccleſiæ

Digitized by Google

Eccleſiæ ipſi, & quaſi poſt illam Eccleſiæ, conciliaritèr congregatæ. Ratio ipſorum eſt, nam ſicut eſſe illud repræſentatiuum ſeu repreſentatum, dependet ab eſſe *reali*: ſic poteſtas ejus aliquo modo à poteſtate alterius. Sed hoc pro nunc miſſo, procedam.

Rationem *Panormitani*, *Martinus* Papa trahit in oppoſitum, vbi in ſuis litteris Apoſtolicis, ſententias quaſdam Concilij Conſtantienſis interſerens, his verbis exprimit: *Quæcunque proximè dicta ſunt de authoritate Eccleſiæ, trahi ad Generale Concilium, quòd illam repreſentat, neceſſe eſt, alioquin non eſſet recta repræſentatio, ſi eadem in repræſentante, & repræſentato authoritas non ineſſet.* Certè hæc ejus aſſertio & ratio aſſertionis maximum habent pondus, Si inſimul, & exactè perpendantur. Plures adferam Patres pro re natâ in curſu hujus Capitis.

5. Deniquè, ipſa Eccleſia Catholica ſemper cenſuit Conciliorũ definitiones eſſe eaſdem cum ſua ipſius ſententia, ſeu eſſe ſuas ſententias & tanquàm de Fide eas amplexata eſt. Vtrumque ex hoc patet, quòd Eccleſia ſemper credidit eos eſſe Hæreticos, qui non ſunt obſecuti decretis Conciliorũ in materia fidei. Omnia Eccleſiaſtica monumenta ab initio Chriſtianiſmi in hunc vſque diem hoc declarant, non eſt quòd hîc laborem: non verò eos vt Hæreticos repudiaſſet, niſi à *ſua* Fide deuiaſſent, ergò Fides ſc. declarata in Concilijs æſtimabatur ab ipſa Eccleſia, vt ſua, ergò vt priùs. Et ex hoc vlteriùs & manifeſtè ſequitur Concilia non poſſe errare. Speculanti pateſcet, & alibi pondero.

6. Deinde propoſitio noſtra probatur ex alia doctrina, ſatis frequenter tàm à Patribus, quàm Doctoribus tradita: nempe quod determinationes Conciliorum ſunt infallibiles *in ordine ad nos*, ſeu *extrinſecè* & per modum ſigni, propter vniuerſalis Eccleſiæ receptionem ſeu approbationem ſaltem interpretatiuam, vt rectè etiam inſinuat *Turnebullus* in ſuo *Tetragoniſmo* c. 8. dum probat primum Canonem quart. ſeſſ. *Tridentinæ*, per infallibilitatem vniuerſalis Eccleſiæ illum acceptantis, rationem namque certæ veritatis illius Canonis in hoc reſoluit, quia *Decretum illud per ſuos Paſtores primum tulit, & etiamnum ratum habet, ſemperque habebit Eccleſia.*

Ratihabitio igitur, nempe tacita vel interpretatiua vniuerſalis Eccleſiæ requiritur ad complendam Concilij definitionem modo dicto. Hanc etiam Eccleſiæ vniuerſalis *complexionem*, ſeu receptionem videtur intimare *Cypr.* Ep. 71. de quodam Concilio Africano agens. *Quorum ſententiam & religioſam, & legitimam, & ſalutarem fidei, & Eccleſiæ Catholicæ congruentem, nos etiam ſecuti ſumus.*

Hoc argumentandi genere ſepè vſus eſt *Athanaſius* contra *Arrianos*, pro defenſione Fidei Nicenæ; & ſpecialiter Ep. ad Africanos Epiſcopos: *Huic certè Concilio vniuerſus orbis aſſenſum præbuit, & quanquàm multæ habitæ ſint Synodi*, &c. *hanc agnouerunt, & admirati ſunt, & ſubſcriptione approbarunt.* Poſtea. *Vniuerſum jam orbem adimpleuit.* Sic etiam Ep. ad *Iouinianum* de Fide. *Cognoſce Religioſiſſime Auguſte, hanc eſſe, quæ à condito æuo prædicata fuit, & quam Nicæi Patres congregati agnouerunt, ejuſq; ſuffragatrices eſſe omnes omnibus in locis Eccleſias, ſiue in Hiſpania ſint, ſiue in Britannia, &c.*

7 Requiritur ergò, quòd ſit congruum ſeu conforme Eccleſiæ Catholicæ, quod certè inuoluit implicitam, ad minus, receptionem. Nec diſſimile eſt quod habet *Leo* Papa in Epiſtola ſua 81. ad *Leonem* Imperatorem, in cauſa Synodi Chalcedonenſis, & habetur apud *Facundum* l. 12. quam etiam tenet ipſe *Facundus* ibidem, vbi ex hoc titulo recipienda eſſe Concilij Chalcedonenſis decreta, ſtrenuè contendit. Verba ſunt: *Si quam reuerentiam deferimus etiam Synodalibus conſtitutis ab Eccleſia vniuerſali receptis*, &c. l. etiam 5. de actibus ejuſdem Concilij differens, ſubjungit. *Et ideò non idem modus eſſe debet, atque ordo quærẽdi, poſt definitionem Concilij totius Eccleſiæ conſenſione firmati, qui fuit ante definitionem.* Et conſequenter ad hoc, optimè dicit *Southuellus* in ſua Analyſi Fidei, diſp. 1. c. 8. *Ex quo* vlterius ſequitur, quòd illas Pontificum & Conciliorum definitiones, quas jam vt Fide certas, & in Scripturis ac traditione diuina contentas, *tota reciperet Eccleſia*, nulla cum veriſimilitudinis ſpecie, dicerent Aduerſarij, poſſe iuxta hunc *Auguſtini* locum corrigi aut *reuocari*. Manifeſtè enim loquitur de Epiſtolis Epiſcoporum, & Conciliorum decretis, ſuæ relictis naturæ; id eſt, ſumptis juxta terminos illius authoritatis à qua

promanant

promanant: non verò ſi vniuerſalis Eccleſiæ per totum orbem conſenſio, & Fides accedat, tùm quia de hoc non agit; tùm quia alijs in locis eam vbique infallibilem agnoſcit, &c. Vndè & difficultas ex hoc *Auguſtini* loco (ex l. 2. de Bapt. c. 3.) reſtabit, non tàm an decreta hæc ſint infallibilia, quàm quando incipiant infallibilia eſſe & perfectè de Fide, num videlicet ante populi acccceptationem, an non. Hactenus ille.

Et ideò Sacrum *Trid.* Seſſ. 5. in decreto de Peccato Originali concludit. *Sacroſancta, œcumenica, & generalis Tridentina Synodus*, &c. Poſtea. *Et ipſius Eccleſiæ judicium & conſenſum ſecuta, hæc de peccato Originali ſtatuit, fatetur, & declarat.* Imo examinet Lector eruditus, ſi non penè in ſingulis decretis huc ſe remittat. Attendit ſcilicet ad conſenſum Eccleſiæ.

8. An non igitur rectè dixi, ex Infallibilitate Eccleſiæ vniuerſalis, efficaciſsimè concludi Infallibilitatem Concilij Generalis, ſi Concilium non *reputetur* vniuerſale, ſeu nobis non ſatis innoteſcat eſſe tale ſine approbatione ſaltem interpretatiua ipſius Eccleſiæ: adeò vt ſi Concilium erret, idem inferendum ſit de ipſa Eccleſia vniuerſali, quæ Fidem Concilij ſua approbatione infallibilem eſſe declarauit?

Et ideò Lateranenſe ſub *Martino* Can. 17. eandem eſſe Conciliorum & totius Eccleſiæ Fidem teſtatur. *Si quis, &c. Non reſpuit*, &c. *Quos reſpuit*, &c. *Sancta Dei Catholica & Apoſtolica Eccleſia, hoc eſt ſanctæ & vniuerſales 15. Synodi, & ipſi omnes conſonanter probabiles Eccleſiæ Patres*, &c. Nihil clariùs poteſt dici.

9. Quo poſito, ſequetur vlteriùs vti ſæpiùs dixi, conciliariter deciſa, ſcilicet quæ à verè vniuerſali Concilio deciſa ſunt, non poſſe denuo examinari à quocunque vel quantocunque poſteriori Concilio, quoad res neceſſarias. Hoc igitur addo, quia Hæretici, vt patet apud veteres, præſertim circa actus Nicænos & Chalcedonenſes ſemper noua petebant Concilia, vt impeterent priora, licet œcumenica, ſed vt optime Imperator apud *Facundum*, l. 2. c. 3. *Cæterum quod Generale dicitis fieri debere Concilium; quæ huius rei cauſa ſit, ignoramus. Nullus ignotus proceſſit Hæreticus, nulla noſtris eſt tempori-*

 bus nota-

bus nota perfidia, nec aliquid in fide, quod retractari debeat, inuenitur, & intuliſtis quod & nos in hac cauſa dicimus. Qui enim ſanis ea adhibet, quæ ſolent adhiberi vulneribus, non reducere cupit, ſed expellere ſanitatem.

10. Certè Concilia toties repetere, quoties petere volunt ſectarij, erit *expellere ſanitatem*, ſcilicet pacem vniuerſalis Eccleſiæ. Concilia vtique cogenda ſunt non ob Hereſes iam per Conciliares deciſiones ſemel antiquatas, ſed ob nouas ſolùm exurgentes: aliàs nunquam erit finis. Et ideò optime dicit *Gelaſius* 1. & habetur. 24. q. 1. Quod *non eſt opus noua damnatione ei, qui in errorem iam aliàs condemnatum incidit.* Et hinc Patres Tridentini aduocabant Lutheranos ad Concilium, vt libere dicerent ſua, quia ſcilicet multas tunc ſuſcitaſſent Hæreſes, contra ſenſum Communem totius Eccleſiæ, ſed aliquæ earum nunquam erant conciliariter definitæ ante illud Concilium, licet certiſſimè & apertiſſimè per manus Patrum ab initio traditæ, vt in hoc opuſculo oſtendo. Sed ſi pro libidine ſectariorum noua cogenda eſſent Concilia, verè nullus eſſet diſceptandi finis. Vnde *Auguſtinus* l. 4. c. 12. contra duas Epiſtolas *Pelagianorum*, poſt alia, dicit, *Potius vigilantiâ & diligentiâ Paſtorali, poſt factum illis cõpetens ſufficienſque judicium, vbicunque iſti lupi apparebunt conterendi ſunt,* &c.

Nam vt rectè *Athanaſius* in Apolog. 2. contra *Arrianos* jam in *Nicæno* damnatos: *Stultè obtrectationibus adrepunt, ſperantes ſemel judicata, iterum in iudicium reuocanda, non vt cauſam dicant, id enim maximè fugitant, ſed vt nos animoſq; eorum qui integri ſunt moleſtijs vexent.* Addit igitur poſtea. *Nemo rem à tot Epiſcopis excuſſam exploratamq; & clariſſimis documentis conuictam, denuo putarit ſub judicium reuocari debere, ne ſi iterum atq; iterum res toties judicatas in cognitionem deducat, fine prorſus careat recognoſcendi curioſitas,* quinimo de huiuſmodi hæreticis ſemper verum erit quod idem *Athanaſius* docet. *Nihil aliud Studio habent quam vt Synodum lædant.* Concedendo etiam ipſis hanc rei examinandæ facultatem, vt loquitur *Sanctus Leo*, Epiſt. 81. *Ipſi videbimur bene ſtatuta conuellere, & authoritates, quas Eccleſia vniuerſalis amplexa eſt, ad arbitrium Hæreticæ petitionis infringere, atq; ita nullum collidendis Eccleſijs modum ponere, ſed data licentia*

tentia rebellandi, dilatare magis, quam ſopire certamina. Sed redeam, vnde non inutiliter digreſſus ſum.

11. Vniuerſalem illam receptionem ſeu approbationem, per modum ſigni notificantis legitimitatem Concilij, præter Doctores ſuperiùs citatos, *Petrus* à Soto in loco ſuperiùs citato omnino requirit. Verba ſunt verè digna relatu: *Id tantum in Concilijs conſiderandum an Legitimi Prælati, legitima etiam authoritate, eius ſcilicet qui omnibus ſuperior eſt, conueniant ad implenda miniſteria ſua, & quod eis à Chriſto conceſſum eſt. Hoc inquam ſatis nobis eſſe debet, vt nullus Priuatus, nullus minoris authoritatis poſſit de eorum ſententia dubitare aut cenſere. Deo neceſſe eſt illam relinqui, quem non dubitamus vel ita adfuturum Prælatis, vt per eos tanquam per Inſtrumenta & organa quædam doceat Eccleſiam ſuam veram fidem: vel ſi occulto ſuo judicio permiſerit eos, dum non quantùm debent ad inquirendam veritatem agunt, errare, non permittet diu hoc latere Eccleſiam: ſed aget vt per ſequens aliud Concilium corrigatur, antequam receptum ſit in Eccleſia.* Et inſtat de ſecunda Epheſina per Chalcedonenſem correcta: vbi manifeſte arguit Concilia etiam quæ *videntur* vniuerſalia, errare poſſe, niſi recepta fuerint ab Eccleſia: de receptis verò putat, & meritò, nulla fuiſſe erronea, & Concilia ſic recepta, à nullo Concilio emendari poſſunt. Sententia igitur eius perquam clariſsima eſt, requiri in vltimo loco Eccleſiæ vniuerſalis receptionem ad Concilij infallibilitatem modo ſæpius explicato; ſcilicet per modum ſigni ſeu extrinſeci complementi: puto ſcilicet eum non velle quod in alio ſenſu requiratur conſenſus ſeu receptio Eccleſiæ diſperſæ, niſi in modum ſigni vel in ordine ad nos. Quòd ſi velit receptionem illam requiri ad intrinſecam eius rationem, vel ad ipſam rationem infallibilitatis Concilij in ſe, eſſet nimis durum. Idem etiam clarè habet in Scholijs ad Confeſsionem Wirtembergenſem c. de Cõcilijs.

Noſter etiam *Caſtillo* ſuper tertium Sententiarum, agens de præſeruatione B. *Mariæ* Virginis, à debito incurrendi peccatum originale, diſp. 4. & vltima circà definibilitatem Opinionis affirmatiuæ q. 1. probat illam ſententiam nondum fuiſſe definitam ab Eccleſia, *quia definitio quam infert S. Cæcilius Martyr, in quodam Concilio Apoſtolorum*

adhuc non eſt ſatis nota ejus vera exiſtentia, & vt tali tradita & recepta in Eccleſia vniuerſali : Ergò non eſt ſententia pia adhuc ſufficienter definita ab Eccleſia. Hæc ille ad verbum.

12 Et conſequenter ad hanc *Soti* & *Caſtillonis* doctrinam, rectè dixi in Epiſcoporum Apologia, *non ſtatim pronunciandum quiduis eſſe de Fide ex quibuſlibet Canonum vel etiam Conciliorum loquendi formulis, ſubindè apparentibus: ſed conſtans Eccleſiæ judicium tàm ibi quàm alibi diligentèr expendendum eſt: alioquin multos Fidei Canones numerabimus, qui veram doctrinam haud ſapiunt in multorum opinionibus.*

Alia etiam ſunt quæ magnam præ ſe ferunt apparentiam, ſiue rem ipſam, ſiue Patrum loquendi formulam ſpectemus, quæ tamen in judicio Doctorum eò euehi non debent, licet difficulter ſatis eximi etiam poſſint, niſi doctrina *Gerſonis* & cœterorũ a me hìc tacta, & in ſequentibus vlteriùs declarata, ſeu veriùs modificata, de neceſſaria totius Eccleſiæ receptione admittatur.

Irrefragabiles de hoc dedi inſtantias in Apologia citata in Paragrapho cui titulus, *An omnia*, ſint de Fide quæ in Concilijs declarantur. In Capite etiam 13. hujus Opuſculi, iterum in alijs inſto. Facilè etiam obſeruabit Lector, quanta difficultate *Bellarminus* de Concilio, & alibi, *Canus* in *Locis* l. 5. & 6. & alij Doctores, ſe explicent ab aliquibus apparentibus definitionibus, quæ tamen facilè diluuntur, dicendo (quod etiam in ſe verum eſt) Eccleſiam vniuerſalem eas non acceptaſſe, & ideò non in illo gradu apud Doctores obtinuiſſe, hoc dico, licet fuerit *à poſteriori* deductum, efficaciter obſtruit ora calumniantium, vt ex dicendis patebit.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XXIII.

Qualis repræſentatio & receptio vniuerſæ Eccleſiæ ſit requiſita, declaratur.

1. NOtandum quòd ea quæ hactenus dixi, & dicturus ſum, de receptione vniuerſalis Eccleſiæ, intelligi ſemper debeat de Eccleſia in ſua Catholica ſolùm Cõmunione dilatatâ (vt poſteà fuſiùs dicam capite ſequenti) hoc eſt, de Prælatis Catholicis, quorum eſt propriè docere & confirmare cœteros in Fide, vt oſtendo c. 30. Hoc etiam declarat *Anſelmus* in verbo *Pauli* 1. ad *Tim.* 3. 15. *columna & firmamentum veritatis*, vbi dicit, quòd ratione *perfectorum* i. Paſtorum ſuorum, &c. Et loquitur *Facundus* in defenſione Concilij Chalcedonenſis, Synodus debet eſſe verax & *omnium Catholicorum deuotione honorata ſemper ejus authoritas*: Et ſine hac certè non eſt completum Concilium. Quomodò enim Eccleſiam Catholicam repræſentabit, ſi Eccleſia in ſuis præcipuis partibus & Patribus illud repudiat? Et de hujuſmodi dicit *Occhamus* l. 5. p. 1. c. 25. *Quòd Generale Concilium ſit pars Eccleſiæ militantis vniuerſalis, tamen non eſt Eccleſia vniuerſalis*, nempè, ſi non fuerit vniuerſim aliquo modo receptum; vel quod clarius eſt, ſi ab ipſa Eccleſia fuerit rejectum.

Et hinc moris erat antiquitùs, vt peractis Concilijs, Eccleſiæ quæ non intererant, cogerentur & vocarentur in ſuis partibus ad ea confirmanda, ſuis ſcilicet calculis omnem prorſus ſcrupulum amoturæ, quod veteres, *Hilarium*, *Athanaſium*, *Theodoretum*, & cæteros conſulentibus obuium fiet: & clariſsimè in actibus Concilij Epheſini patet, vbi quia Patriarcha *Antiochenus*, & alij illius ditionis ſubditi non comparuerant in Concilio, nondum vniuerſim vires obtinuiſſe putabatur, antequam etiam illi abſentes admitterent, & Imperator inter omnes Conſtantinopolim vocatos pacem conciliaret.

Acta etiã Concilij 2. & 3. mittebantur ad Pontificem Romanum

nempe

nempe *Damaſum*, & *Cæleſtinum*, qui ſtatim conuocabant Occidentis Epiſcopos, vt ea approbarent. Concilium etiam quartum mittebat ad *Leonem*, qui ſtatim petebat conſenſum Epiſcoporum Hiſpanorum, Gallorum, &c. vt poſt vniuerſæ Eccleſiæ Præſulum approbationem ſeu explicatiorem conſenſionem, Generalia à quibuſcunque haberentur. Ordinatiſſima fuit hæc veterum in rebus Fidei communicatio, & in omnibus penè Concilijs reperire eſt. Egregium ſanè eſt quod dicit antiquus ille *Ruſticus Diaconus* verſus finem ſuæ diſputationis contra *Acephalos*: *Licet ſufficeret tibi vnica authoritas Synodi vniuerſalis* (ſcilicet Chalcedonenſis) *quæ numero ſuperat vniuerſas, quæ toties cunctarum Eccleſiarum conſonâ ſententiâ confirmata eſt, tàm per Encyclicas Epiſtolas (regente Leone) quàm per libellos Sacerdotum, forſitan duorum Millium & Quingentorum, Imperante Iuſtino, poſt Schiſma Petri Alexandrini & Acaci, Conſtantinopolitani*, &c. Hic mos veterum, ſtatim ſuas Encyclicas Epiſtolas dirigebant ad reliquas orbis partes, vt vbique vnitas Fidei ſeruaretur.

Imò ipſi Apoſtoli de hoc exemplum præſtiterunt: Nam vt notat *Cyrillus* Catecheſi quinta, ſub titulo *de Cibis. Scripſerunt Apoſtoli & Præſbiteri ad omnes Gentes Epiſtolam Catholicam; præcipientes abſtinere ab Idolothytis, tùm verò à ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione*: Nempè, vt innoteſcat, quid ipſi in Concilio Hieroſolymitano decreuiſſent. Et ideo rectè *Catherinus* in ſua *Defenſione Catholicorum*, pro poſſibili certitudine Gratiæ, in Capite, *In quo conuenerint Catholici Diſputatores, dixit, illa ſolum eſſe objecta Catholicæ Fidei quæ de ſacris litteris patent, & in Eccleſia deciſa ſunt, &* recepta.

2 Sed audiatur Magiſter Orbis in hac re difficili de neceſſitate receptionis vniuerſalis. S. *Aug*. igitur l. 2. de Bapt. c. 3. dicit, *Illa ſola eſſe Concilia plenaria quæ fiunt ex vniuerſo orbe Chriſtiano*. Et addit c. 4. *Nec Nos ipſi tale aliquid auderemus aſſerere, niſi vniuerſæ Eccleſiæ concordiſſima authoritate firmati*.

Ecce determinationes Concilij plenarij dicit authoritate quidem concordiſsima vniuerſæ Eccleſiæ eſſe firmatas: annon igitur conſenſus totius Orbis aliquo modò requiritur? Et reuera ſæpiſsime notaui

Auguſtinum

Digitized by Google

Auguſtinum, ſi mentem eius attigerim, vltimam Infallibilitatis reſolutionem *quoad Nos*, ſeu per modum ſigni, in Eccleſiam ſeu eius conſenſum refudiſſe. In libro etiam primo de Bapt. contra *Donat.* c. 18. verbis expreſsioribus hoc aſſerit: *Illis Temporibus antequam plenarij Concilij ſententia, quid in hac re ſequendum eſſet, totius Eccleſiæ Conſenſio confirmaſſet*, &c. Vbi ad roborandum Concilium, ſeu ad vltimatè conſtituendum Concilium Generale modò explicato, requirit totius Eccleſiæ conſenſionem. Et vſque ad illam Conſenſionem, Hæreſeos non voluit inſimulare *Cyprianum* & eius *Aſſeclas*, in & pro Rebaptizatione ab Hæreticis intinctorum. Lib. etiam. 2. Cap. 53. de Bapt. contra *Don.* ſic loquitur. *Nobis tutum eſt in ea non progredi aliquâ temeritate ſententiæ, quæ nullo in Catholico Regionali Concilio cæpta, nullo plenario Concilio terminata ſunt: id autem ſit cura ſecurè vobis aſſerere, quod gubernatione Domini Dei noſtri, & Saluatoris Ieſu Chriſti, vniuerſalis Eccleſiæ conſenſione robaratum eſt.* Semper finaliter reſoluit Concilia in Eccleſiæ Conſenſionem: ſeu ſemper vltimatè tanquam ad Fidei aſylum eò recurrit.

Sic etiam Fidelis eius diſcipulus *Oroſius* de *Arb. lib.* vbi *Patres* neceſſariò ſequendos docet, *quos vniuerſa per Orbem Eccleſia probat.* Alter etiam eius Diſcipulus *D. Proſper*, (quem pro eodem alibi citaui) ad *Demetriadem* de condemnatione Hæreſeos *Pelagianæ* agens ſic loquitur. *Reſtiterunt quidem huic impietati recta innumerabilia Corda Sanctorum, & non ſolum Docti quiq; Pontifices; verum etiam vniuerſales Eccleſiæ plebes Apoſtolicæ ſedis exemplo noui dogmatis horruerunt*, &c. *Irenæus* etiam ſæpè citatus, Fidei reſolutionem in Eccleſiam ſemper refundit; adeò vt videatur hic fuiſſe conſtans veterum ſenſus.

3. Et ideò *Baconus* aliàs *Southuellus*, doctus amicus meus iam citatus, apud Ieſuitas Anglos Leodij S. Theol. Profeſſor in nupera ſua Fidei *Analyſi* ſatis inſinuat, non ſolum eſſe *Auguſtini*, ſed (in ſuo judicio) ſæculi *Auguſtiniani* ſententiam: requiri ad hunc effectum totius orbis Chriſtiani *receptionem*, verba eius ſunt fol. 60. n. 113. Hinc ſi diceremus fuiſſe fortè tempore *S. Auguſtini* poſitum, ex ſtylo Eccleſiæ, & voluntate Prælatorum, vt decreta Conciliorum non ſtatm cenſe-

Digitized by Google

rentur immutabilia ex vi primæ promulgationis, & quamdiu conſiſterent intra terminos puri decreti Conciliaris (de huiuſmodi enim decretis ſolùm loquitur) proindeque potuiſſe per ſequentia Concilia emendari, ſi noui aliquid cognoſceretur, quod ante latebat: quid hoc ad euertendam Conciliorum infallibilem authoritatem? &c. Hactenus ille. Habet autem vnum notabile dictum diſp. 2. c. 3. n. 29. quo ad promulgationem: aliquæ definitiones requirere poſſunt maiorem; aliæ minorem ſolemnitatem, &c. *Celotius* autem de Hierarchia lib. 4. cap. 10. & 12. vult ad Infallibilitatẽ Conciliorum vniuerſaliũ requiri *Infallibilitatem* (quam vocat *paſſiuam* Eccleſiæ diſperſæ, quod à fortiori dabit de totius Orbis receptione. Sed ne imponere videar, ipſius verba referam. Cap. 10. Sic loquitur. *Erit autem hoc loco qui quærat, ſic propoſito Fidei articulo, ſic latæ promulgatæque legi, quem præſtare cogatur aſſenſum fidelis quilibet? Imo vt plura vnò complectamur articulo, quam habeat in animos noſtros juriſdictionem, aut Concilium Generale, aut Priuatum Romani Pontificis Diploma, rem antea dubiam ac incertam, authoritate ſua in alterutram partem definientis?*

Huic vt ſatisfiat quæſtioni, certa ſi placet ab incertis ſecernamus, & inuolucra verborum apertâ explicatione prodamus. Infallibilitatem Theologico vocabulo notam, Eccleſiæ promiſit Spiritus veritatis. Eſt autem illa duplex. Actiua qua quis in veritate proponẽda fallere non poteſt, &c. Paſſiua qua quis falli non poteſt, &c. Et in Eccleſia quidem tota, ſiue congregatam in Concilio Generali, ſiue Orbe toto ſparſam conſideres, vtramque Infallibilitatem habere, &c. *Nemo Catholicus ignorat. Quamobrem priuato cuilibet impoſita neceſſitas eſt admittendi, quicquid eò modo vel proponit, vel propoſitum communi conſenſione amplectitur. Si quid autem aut nunquam vulgò admiſſum, aut vſu contrario deſitum eſt, eò non teneri, docet illud ipſum quod tractamus, Generale Apoſtolorum Concilium.*

Capite verò. 12. ſic loquitur. *Quemadmodum ſupra vidimus, publicam reclamantis Eccleſiæ vocem, Pontificum & Conciliorum decretis robur detraxiſſe, quæ paſſiuæ Infallibilitatis pars eſt & ſpecies.* Hæc eius verba, abundè ſuggerunt & probant quod contendo de vniuerſi orbis ſeu Eccleſiæ diſperſæ receptione per modum ſigni. Modus verò eius

loquendi

loquendi multis doctis viris diſplicet, nam refundit officium Prælatorum in ſimplices laicos ſaltem ex parte, vt patet in ſua Infallibilitate quam vocat paſsiuam. Hoc etiam aliquantulum patriota noſter *Baconus* citatus collimat, & vt putat ex *Aug.* ad *populorum* ſcilicet *conſenſionem.* Sed ſæpiùs dixi, non requiritur ad hoc vt definitio ſit infallibilis, alia receptio ſeu conſenſio, quam Prælatorum abſentium, ſeu non reclamatio ſenſu & modò quo dictum eſt ſæpè. Hæc tamen eorum poſitio, vt dixi, à fortiori dat, quod ego cum multis doctioribus ſtatui.

4. Addam verò hìc vnum notabile verbum: Nimirum quod hæc Eccleſiæ receptio eò facilius haberi poteſt, imò de facto, ſaltem *interpretatiuè* habetur (quod, vt ſæpius diximus, ſufficit) vniuerſi orbis Conſenſus, ſi ſufficienter repreſententur Eccleſiæ per ſuos Prælatos, & inſtructi fuerint de ſenſu Eccleſiarum in materijs tractandis. Nam in tali caſu rectè dicitur, quod deputati à *tota* Eccleſia ad Concilium verè generale, non tantum definiunt, ſed etiam recipiunt in nomine totius Eccleſiæ.

Quod ſpectat autem ad inſtructionem (quod præcipuum eſt) diligentiſsimè factum fuit in *Florentino.* Nam *Eugenius* 4. miſit Conſtantinopolim, *Legatum* (vt vocant) *de latere cum Prælatis*, *Magiſtris & Doctoribus tantæ rei tractandæ neceſſarijs*, & ibi in Capitula reducebantur, vt ante Concilium digererentur, vt patet in Bulla *Eugenij* in Confirmatione Electionis *Florentiæ* pro Concilio celebrando, & idem in alijs Concilijs inueniri poteſt. Imò ex Concilij *Florentini* actis manifeſtè conſtat, quod de quibuſdam rebus nunquam à *Græcis* patribus impetrari potuit, vt Synodicè ageretur. *Cauſabantur enim ſe non habere in mandatis ab illis qui eos miſerant, vt de ijs in dicto Concilio tranſigeretur*, vt notauit A Capite-fontium in ſuo tractatu *De neceſſaria correctione* Theologiæ *Scholaſticæ* l. 1. addit. *Nihilominus vnionis inter Græcos & Latinos inita pacta fuere, & omnium ſubſcriptionibus firmata: Vnionis inquam perfectiſsimæ, vt Eugenij Papæ verbis vtar.*

De *Tridentino* ſatis notæ erant cauſæ toti mundo coactionis eius. Hæreſes ſcilicet *Lutheri* vbique diuulgabantur & damnabantur, quæ in Concilio poſtea damnatæ fuerunt, & ſpecialiter Rex Angliæ contra eas ſcripſerat.

5. *Franciſcus* etiam *Mirandula* in Theoremate aliquoties citato, dicit, *vniuerſalis Eccleſiæ Decreta ea juſtè appellari poſſe, vel quæ per Pontificem eius Caput, vel per Concilium quo præſentatur in rebus Fidei neceſſarijs, decreta & approbata ſunt ab ipſa Eccleſia.* Hæc ille eleganter & doctè. Sic etiam Doctiſsimus Cardinalis *Polus* tractatu ſæpiùs citatò, hanc receptionem vniuerſalem modo toties explicato omnino requirit, ſic Synodus Generalis octaua, Sic *Gregorius Magnus*, Sic ipſum jus Canonicum, vt oſtendo in ſequenti probatione propoſitionis noſtræ, *nempe quia non cenſentur in rem judicatam tranſijſſe ante illam approbationem.*

Hoc expreſsè tenet *Gerſonius* in declaratione *veritatum quæ credendæ ſunt,* vbi dicit, *Non omnia illa quæ tradit Eccleſia ſub definitione judiciali, ſunt de neceſsitate ſalutis credenda, ſed illa duntaxat quæ ſic tradit, currente vniuerſali totius Eccleſiæ conſenſu implicitè vel explicitè, verè vel interpretatiuè.* Tunc autem cenſetur tacito conſenſu recepiſſe decreta, cum non reclamauit, Quia cui *non reſiſtitur, approbatur,* vt in c. *error* d. 80. c. *cui non reſiſtitur.*

Sic etiam clarè & fusè non tàm probat, quàm ponit ſeu ſupponit *Roffenſis* ad art. 37. *Si ſit Hæreticus qui diſſentit contumaciter ab eis, quæ communis Eccleſiæ conſenſus credenda comprobauit, quemadmodum ſuperiùs ex Auguſtino, Tertullianoq́; monſtrauimus, Hæreticus equidem habendus eſt, qui jam ex contumacia nolit credere Thomam Aquinatem eſſe Sanctum. Nam id decernente ſummo Pontifice, Eccleſiæ communis aſſenſus jamdiu credendum admiſit. Quamobrem quiſquis huic veritati, nunc vſque adeò receptæ fuerit ex pertinacia reluctatus, non poteſt non haberi pro Hæretico, quia ſibi quiddam ab Eccleſiæ ſenſu diuerſum elegit quod credat. Et id nimirum eſt, Hæreticum eſſe, modò fecerit hoc ipſum contumaciter.* Hactenus ille. Ex quibus patet eum omnia ad fidem ſpectantia in communem Eccleſiæ ſenſum reſoluere, quod hactenus aſtruximus, Et ipſe alibi ſæpe, tàm de reſolutionibus Pontificum, quàm Conciliorum agens, finaliter huc refert, & perinde eſt in ipſius judicio, ſicut etiam *Mirandulæ* (vt notaui) an definitiones ſint à Pontifice vel à Concilijs factæ, ſi ſuperuenerit Eccleſiæ conſenſus, modo ſæpius explicato.

Digitized by Google

Sic etiam doctiſſimus ille Author Dialogi, de quo egi ſæpius ſuperiùs, qui adeò approbatus eſt Pariſijs.

Denique Magnus *Vincentius Lerinenſis* per totum illud aureum opuſculum, vbi pro regula Fidei, cum Scripturis Traditiones requirit, ſub quibus, ſi quid ſapio, intelligitur Eccleſiæ receptio, ſeu ejus conſenſio in puncta declarata, aliàs non ſunt tradita. Nam quomodo Traditio poteſt eſſe, vel quomodo poteſt conſtare, niſi per Eccleſiæ receptionem, ſeu conſenſionem? adeò vt a fortiori, hoc concludatur ex ejus poſitione de Traditionibus. Legendus eſt in primo Capite ſuperiùs, vbi ipſius verba citaui.

His tamen omnibus ſubiungi poteſt *Ambroſius, De vocatione omnium gentium*, l. 1. c. 4. *De hac doctrinæ Apoſtolicæ regula, quâ Eccleſia vniuerſalis imbuitur, ne in diuerſum intellectum noſtro euagemur arbitrio, quid ipſa vniuerſalis Eccleſia ſentiat, requiramus*, &c. Vbi videtur vltimam & finalem Reſolutionem in ipſam Eccleſiam, ſeu in eius refundere conſenſum.

6 Ratio à priori huius veritatis, ſc. de receptione illa vniuerſali, ſecundum plurimorum ſententiam, eſt, Quia quamcunque hac in parte habuerit Concilium definiendi poteſtatem, mediante Eccleſia ipſa vniuerſali, accipit, cui primò data eſt. Niſi igitur ipſa conſenſerit, illâ mediante non accepit. Habet quidem, vt dixi Capite præcedenti, ſuam poteſtatem à Chriſto, quoad *rem ipſam*, æque ac Eccleſia, ſed quoad *modum* mediante illa accipere videtur multis, hoc eſt, priùs Eccleſiæ dabatur, nam illa priùs erat in rerum natura, & conſequenter priùs ſua à Chriſto recepit priuilegia, quàm Concilia. Concilia igitur poſteriùs receperunt, ſeu mediatiùs quoad modum.

Hoc aliqui putant patere ex natura *repræſentantis*, quam allegabat, & optimè ponderabat *Martinus* quintus, in hoc Capite ſuperiùs citatus. Eandem etiam Doctrinam ibi docuit *Almaynus*, quem mox iterum ad idem citabo. Sic etiam *Panormitanus*. Quo ſuppoſito, efficacitèr inferre putant intentum, & breuiter ſic vlteriùs declaratur ſecundùm principia ipſorum.

Eſſe repreſentatum in bona Philoſophia, eſt ipſum eſſe diminutum

Digitized by Google

entis realis quod repreſentatur, hoc patet ex ipſis terminis.

Quo fundamento ad propoſitum applicato, de Concilio & Eccleſia, neceſſariò inferendum eſt, quòd vt ipſum *Eſſe* Concilij, ſic pariformitèr *authoritas*, quæcunque fuerit, quam Ens illud repræſentatum, ſeu repræſentatiuum, ſc. Concilium habere dicitur ab ente reali, ſc. Eccleſia, hoc eſt, mediante illa à Chriſto deriuanda eſt. Hoc non minùs patet ex ſuppoſitione Antecedentis, quàm ipſum Antecedens. Vnde vlteriùs ſequi videtur, Quòd ſi authoritas definiendi inde deriuata ſit, hoc eſt, per illam, modò dicto, à Chriſto deſcenderit: ſi reclamarit Eccleſia, authoritas, ſeu exercitium authoritatis nullum erit, hoc jura dabunt. Neceſſarius igitur eſt Eccleſiæ conſenſus, interpretatiuus ſaltem per modum ſigni, in ipſa Conciliaria decreta, etiam in materia Fidei.

Conſequens & conſequentia ſunt apud me certa; De ipſo verò Antecedente dubitari poteſt. Ego non ſoleo facilè reijcere ſententias aliorum, putem tamen, quòd quando a Conſtantienſi & *Martino* laudato & Doctoribus dicitur, *Concilia eſſe repræſentatiua Eccleſiæ*, non intelligi debere in ſenſu illo rigido quaſi: Concilia eſſent ſolum imagines Eccleſiæ, vt vult argumentum allatum, ſed ideo dicũtur repræſentare Eccleſiam, quia faciunt Eccleſiam præſentem ſaltem in virtute, & eò magis, quò vniuerſalius fuerit Concilium. Ex quo ſequitur efficaciùs quod intendebatur, nempè, doctrinam Concilij eſſe doctrinam Eccleſiæ, & conſenſionem eius ſupponi ad definitiones Conciliorum, cum Concilia ſint ipſa Eccleſia.

Panormitanus igitur dub. 2. de Concilio *Baſil.* notat, *Quòd licet Fundamentum juriſdictionis ſit in Eccleſia vniuerſali, tamen quia impoſſibile eſt congregare Eccleſiam vniuerſalem, cum conſiſtat in vniuerſitate Fidelium, intelligitur de Concilio.* d. 1. *Eccleſia.* Poſtea dicit, *Quod ipſa vniuerſalis Eccleſia exercet ſuam juriſdictionem per Concilium repræſentans.* Multus ſane eſt *Panormitanus* in dicto tractatu in oſtenſione huius, quòd in Eccleſia vniuerſali eſt Fundamentum omnis Poteſtatis Eccleſiaſticæ, ſiue definitiuæ, ſiue contentioſæ, licet vtraque exerceatur per Concilium ſui repræſentatiuum. Et conſequenter ad

hoc bene

hoc bene dixit *Almaynus* de authoritate Eccleſiæ c. 10. §. *Ad ſecundum*, quod Priuilegium Eccleſiæ tranſit in Concilium eam immediatè repreſentans.

7. Quòd verò Concilium ad hoc, vt ſit vniuerſale, repræſentare debeat Eccleſiam in ſua latitudine diffuſam, præter rationes & authoritates allatas, omninò concluditur ex ipſa ratione quidditatiua ſeu definitione Concilij quam adfert *Cuſanus*, & quoad rem approbant omnes qui de Concilijs hactenus tractarunt. Definitio eſt hæc. *Vniuerſale Concilium eſt congregatio ſiue Eccleſia de membris vniuerſæ Catholicæ Eccleſiæ congregatis, & repreſentat ex hoc vniuerſam Eccleſiam.* Quid clarius? Eatenus igitur Concilium eſt vniuerſale quatenus repræſentat Eccleſiam Catholicam ſeu vniuerſam. Non eſt opus aliò diuagari vt quæramus probationes, cum ab intrinſeco jam petita ſit hæc veritas. Singulæ particulæ attendendæ ſunt.

Manifeſtiùs etiam hoc declaratur, ſi præcipuum Conciliorum munus hac in parte ſpectemus, quod eſt *teſtari* non *cudere* Fidem: vtique ſtatim vt aliquis nouus error in hac vel illa Eccleſiæ parte vel Prouincia excreuerit, coguntur Prælati ex ſingulis, ſi fieri poteſt, Eccleſijs, ad Concilium vniuerſale celebrandum, vt de exorto errore ſuarum Eccleſiarum ſenſum traderent, & Fidem à Patribus traditam exponerent, & hoc vniuerſo conſenſu errorem exortum nouitatis & conſequenter, falſitatis arguunt. Hic eſt & fuit cõſtans & ſolus agendi modus omnium hactenus celebratorum Cõciliorum vniuerſalium, in ſentẽtia Doctorum Pariſienſium in veſperijs ſub initium Operis, & frequenter poſtea citatis, qui nullam aliam Fidei admittunt regulam, vel limam cui ſe conformare debent Concilia. Quod verò vti dixi *præcipuum* Conciliorum munus in hoc conſiſtat, ſatis luculentè in hoc opere oſtendo, tàm in re ipſa, quàm apud Doctores noſtros *Stapletonum, Canum*, &c. poſt Sanctos Patres. Quo conceſſo, ſequitur Concilia non poſſe infallibiliter definire veritates Fidei, vel Hæreſes oppoſitas declarare eſſe tales in rebus quas teſtãtur, ſine conſenſu totius Eccleſiæ, imo Conſenſum Conciliorum eatenus valere, quatenus ſunt ipſius Eccleſiæ vniuerſalis Conſenſus per ſuos Prælatos ibi expoſitus.

Theſes.

entis realis quod repreſentatur, hoc patet ex ipſis terminis.

Quo fundamento ad propoſitum applicato, de Concilio & Eccleſia, neceſſariò inferendum eſt, quòd vt ipſum *Eſſe* Concilij, ſic pariformitèr *authoritas*, quæcunque fuerit, quam Ens illud repræſentatum, ſeu repræſentatiuum, ſc. Concilium habere dicitur ab ente reali, ſc. Eccleſia, hoc eſt, mediante illa à Chriſto deriuanda eſt. Hoc non minùs patet ex ſuppoſitione Antecedentis, quàm ipſum Antecedens. Vnde vlteriùs ſequi videtur, Quòd ſi authoritas definiendi inde deriuata ſit, hoc eſt, per illam, modò dicto, à Chriſto deſcenderit: ſi reclamarit Eccleſia, authoritas, ſeu exercitium authoritatis nullum erit, hoc jura dabunt. Neceſſarius igitur eſt Eccleſiæ conſenſus, interpretatiuus ſaltem per modum ſigni, in ipſa Conciliaria decreta, etiam in materia Fidei.

Conſequens & conſequentia ſunt apud me certa; De ipſo verò Antecedente dubitari poteſt. Ego non ſoleo facilè reijcere ſententias aliorum, putem tamen, quòd quando a Conſtantienſi & *Martino* laudato & Doctoribus dicitur, *Concilia eſſe repræſentatiua Eccleſiæ*, non intelligi debere in ſenſu illo rigido quaſi: Concilia eſſent ſolum imagines Eccleſiæ, vt vult argumentum allatum, ſed ideo dicũtur repræſentare Eccleſiam, quia faciunt Eccleſiam præſentem ſaltem in virtute, & eò magis, quò vniuerſalius fuerit Concilium. Ex quo ſequitur efficaciùs quod intendebatur, nempè, doctrinam Concilij eſſe doctrinam Eccleſiæ, & conſenſionem eius ſupponi ad definitiones Conciliorum, cum Concilia ſint ipſa Eccleſia.

Panormitanus igitur dub. 2. de Concilio *Baſil.* notat, *Quòd licet Fundamentum juriſdictionis ſit in Eccleſia vniuerſali, tamen quia impoſſibile eſt congregare Eccleſiam vniuerſalem, cum conſiſtat in vniuerſitate Fidelium, intelligitur de Concilio.* d. 1. *Eccleſia.* Poſtea dicit, *Quod ipſa vniuerſalis Eccleſia exercet ſuam juriſdictionem per Concilium repræſentans.* Multus ſane eſt *Panormitanus* in dicto tractatu in oſtenſione huius, quòd in Eccleſia vniuerſali eſt Fundamentum omnis Poteſtatis Eccleſiaſticæ, ſiue definitiuæ, ſiue contentioſæ, licet vtraque exerceatur per Concilium ſui repræſentatiuum. Et conſequenter ad hoc bene

Digitized by Google

hoc bene dixit *Almaynus* de authoritate Eccleſiæ c. 10. §. *Ad ſecundum*, quod Priuilegium Eccleſiæ tranſit in Concilium eam immediatè repreſentans.

7. Quòd verò Concilium ad hoc, vt ſit vniuerſale, repræſentare debeat Eccleſiam in ſua latitudine diffuſam, præter rationes & authoritates allatas, omninò concluditur ex ipſa ratione quidditatiua ſeu definitione Concilij quam adfert *Cuſanus*, & quoad rem approbant omnes qui de Concilijs hactenus tractarunt. Definitio eſt hæc. *Vniuerſale Concilium eſt congregatio ſiue Eccleſia de membris vniuerſæ Catholicæ Eccleſiæ congregatis, & repreſentat ex hoc vniuerſam Eccleſiam.* Quid clarius? Eatenus igitur Concilium eſt vniuerſale quatenus repræſentat Eccleſiam Catholicam ſeu vniuerſam. Non eſt opus aliò diuagari vt quæramus probationes, cum ab intrinſeco jam petita ſit hæc veritas. Singulæ particulæ attendendæ ſunt.

Manifeſtiùs etiam hoc declaratur, ſi præcipuum Conciliorum munus hac in parte ſpectemus, quod eſt *teſtari* non *cudere* Fidem: vtique ſtatim vt aliquis nouus error in hac vel illa Eccleſiæ parte vel Prouincia excreuerit, coguntur Prælati ex ſingulis, ſi fieri poteſt, Eccleſijs, ad Concilium vniuerſale celebrandum, vt de exorto errore ſuarum Eccleſiarum ſenſum traderent, & Fidem à Patribus traditam exponerent, & hoc vniuerſo conſenſu errorem exortum nouitatis & conſequenter, falſitatis arguunt. Hic eſt & fuit cõſtans & ſolus agendi modus omnium hactenus celebratorum Cõciliorum vniuerſalium, in ſentẽtia Doctorum Pariſienſium in veſperijs ſub initium Operis, & frequenter poſtea citatis, qui nullam aliam Fidei admittunt regulam, vel limam cui ſe conformare debent Concilia. Quod verò vti dixi *præcipuum* Conciliorum munus in hoc conſiſtat, ſatis luculentè in hoc opere oſtendo, tàm in re ipſa, quàm apud Doctores noſtros *Stapletonum*, *Canum*, &c. poſt Sanctos Patres. Quo conceſſo, ſequitur Concilia non poſſe infallibiliter definire veritates Fidei, vel Hæreſes oppoſitas declarare eſſe tales in rebus quas teſtãtur, ſine conſenſu totius Eccleſiæ, imo Conſenſum Conciliorum eatenus valere, quatenus ſunt ipſius Eccleſiæ vniuerſalis Conſenſus per ſuos Prælatos ibi expoſitus.

Theſes

Theſes igitur iſtarum veſperiarum laudatæ omnino cõſenſionem vniuerſalis Eccleſiæ requirunt: imò maximam in illa neceſſitatem ponunt. Sed vt docui c.12. & alibi frequenter, hoc non eſt *vnicum*, licet *præcipuum* Conciliorum munus: nam ſæpè declarant ſeu per diſcurſum deducunt veritates latitantes in principijs receptis, non igitur ſemper nudè teſtantur, eſt tamen vt dixi præcipuum munus, &c.

8. Vnde vlteriùs ſequitur, quandoquidem propter locorum diſtantias, & Bellorum & infinitarum difficultatum aliarum occurrentias, Prælati ſingularum nedum Eccleſiarum, ſed nationum difficulter poſſunt inſimul ad prædictos effectus conuenire; Nam ſubinde vel propter *anguſtias temporis* vel *alias graues neceſſitates* (vt de ſeipſo teſtatur *Aug.* Ep. 217. Epiſcopi excuſari poſſunt. Hinc dico ſequitur, quod ſub finem Concilij (meliori quo poteſt modò celebrati) Patres mittant ad reliquas Eccleſias, actus ſuos Conciliares, vt ab omnibus confirmentur per conſenſum, ſcilicet ſaltem interpretatiuum. Et tunc in rem judicatam omnino tranſijſſe cenſebuntur ab omnibus. Nec tamen dubitandum eſt, quin ſtatim obligare incipiant, ſi non appareat Eccleſiarum (non dico huius vel illius vel aliquorum proteruorum Hominum) *reclamatio*, nam præſumendum eſt omnes conſenſiſſe, ſi non conſtet oppoſitum. Vt etiam acutè obſeruauit *Mirandula* ſuperius Cap. 14. citatus, vbi poſt alia dicit, *Quoad dum vniuerſalis Eccleſia non reclamaret, neceſſariò credendum eſt.* Nota. Et eò magis quia vt alibi in hoc Capite notaui, quodammodo habetur *Actualis* omnium Eccleſiarum conſenſus in Concilio aliquatenus repræſentatus, & quo major ſeu adæquatior fuit repræſentatio, manifeſtior erit conſenſus.

Imò, quod vel maxime notandum eſt, Concilia vniuerſalia non ſolent adeò feſtinè vel occultè incedere, quin vniuerſus fere Orbis Catholicus (licet forte ex ſingulis partibus intereſſe non potuerint) jam ante Concilij diſſolutionem, intellexerit, quas materias tractarunt, & quos errores damnarunt, vt in ipſis Actis *Conſtantienſis* ſuo loco citandis, & de *Tridentino* conſtat. Nota. Et ideò jure maximo præſumi poſſunt conſenſiſſe, & ſic præſumendum cenſuerunt

omnia

omnia Concilia vniuerſalia hactenus celebrata (quod ſemper notandum eſt,) vt dixi, ſi ſaltem aduocati fuerint ex ſingulis nationibus, nec adeò attendẽdum eſt, quantum miſerint numerum Prælatorum, ſed an illi quos miſerint, fuerint tantæ legationis capaces, & de ſenſu ſuarum Eccleſiarum ſufficienter inſtructi, vt alibi notabo & declarabo fusè. *Ad hoc enim vocati ſunt.* Et ideò hac in parte obſeruaui in Chronicis noſtris aliquoties in Anglia benè conſultum. Archiepiſcopus ſcilicet *Cantuarienſis*, receptis à Summo Pontifice citatorijs, ſeu Bulla Concilij indicatiua, cogebat Synodum Nationalem, & inde ex communi conſenſu eligebantur Prælati inſtruendi & tranſmittendi ad Concilium celebrandum, vt patet ſub *Hen.* 4. pro *Piſano.* Sic etiam ſub *Hen.* 5. pro Concilio *Conſtantienſi*, & ſic de pleriſque alijs. Concilium etiam *Baſilienſe* adhuc compactum & legitimum, quoad hoc propoſitũ benè ordinauit in Seſſ. 15. *Ibidemque* (ſcilicet in Prouinciali Concilio) *eligantur in numero competenti, qui ad proximum generale Concilium, vice totius prouinciæ debeant proficiſci, quibus per ſubſidium vel aliàs prouideatur, prout de iure & Concilio Prouinciali fuerit viſum expedire: ita tamen, quòd illi qui vltra perſonas (vt prædictum eſt) deputatas ad Concilium generale accedere voluerint, aut eorum clerus nullatenus propterea grauentur.*

Hactenùs à nobis aſſerta confirmantur ex illis quæ tetigit *Silueſter V. Concilium. Quia dum agitur de Fide & Hæreſibus, cauſa communis eſt, & omnes tangit, & ideò ab omnibus Epiſcopis tractari & determinari debet*, ſecundùm illud. *Quia quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet. De re jud.* l. 6. Et huc manifeſtè ſpectat tex. in c. *Vbinam* 96. d. vbi pleniùs hoc tractatur. Requiritur igitur approbatio totius Eccleſiæ, modo ſæpè dicto, ſecundùm hunc juris textum, & omnes Doctores & ſanctos Patres, hactenùs hac in re citatos, quibus refragari non auſim, præſertim in re quæ faciliorem longè reddit Fidei noſtræ compagem, vt etiam in ſexcentis & ſolemnibus cum aduerſarijs congreſſibus expertus ſum. Sed propter aliqua quæ dixi ſuperiùs, proponam.

Digitized by Google

CAPVT XXIV.

An & quomodò admittendi Hæretici ad Concilia: & An Epiſcopus Catholicus citatus ſe abſentare poſſit?

1. Viris Catholicis facilis erit hujus quæſtionis ſolutio, nempè, Non requiri (Quæ etiam manſuetudo adhibenda eſt cum Sectarijs) quòd Epiſcopi Hæretici adſint vel approbent, licet etiam ipſi ſæpius vocari ſoleant, vt patet in *Sardicenſi*, vbi *Arriani* Præſules citati, non comparuerunt in Concilio, nihilò tamen minùs procedebant Patres Orthodoxi contra eos, & eorum cauſam, vt teſtantur acta. Et ideo aptiſſimè *Lerinenſis* c. 39. vocat Concilia vniuerſalia *Concilia Catholicorum Sacerdotum*, & c. 41. dicit id eſſe Catholicum *quòd ab omnibus Eccleſiæ Catholicæ Sacerdotibus vniuerſalis Concilij authoritate decretum*. Addit. *Si qua noua exurgeret quæſtio, vbi id minimè reperiretur* (nempè in alijs Concilijs decretum) *recurrendum ad ſanctorum Patrum ſententias, eorum duntaxat, qui ſuis quique temporibus, & locis in vnitate Communionis & Fidei permanentes, magiſtri probabiles extitiſſent: & quicquid vno ſenſu atque conſenſu tenuiſſe inuenirentur, id Eccleſiæ verum & Catholicum, abſque vllo ſcrupulo judicaretur.*

Habemus igitur ex magni *Lerinenſis* ſententia, id Catholicæ Eccleſiæ arguere ſenſum, quod à Catholicis ſolis definitur, licet Acatholici non adfuerint.

2 *Cyprianus* etiam Ep. 52 deſcribens modum quem ſeruabant tunc temporis in Concilijs, dicit, *Cùm data eſſet facultas conueniendi, copioſus Epiſcoporum numerus, quos integros & incolumes Fides ſua, & Domini tutela protexit, in vnum conuenimus, & Scripturis diù ex vtraque parte prolatis*, &c. Nulli igitur niſi Catholici admiſsi erant.

Imò Concilia Catholica ejecerunt Hæreticos à ſuis conſeſſibus, ſicut Carthaginenſe in cauſa *Feliciſſimi* & *Nouatiani* ejecit *Priuatum* hominem Hæreticum antea excommunicatum, & aliquoties con-

demnatum

demnatum, apud *Cyprianum* Ep. 55. Et certè quoad nominatim excommunicatos, eijciendi ſunt ſecundùm omnia jura, alij (vt dixi) citandi & audiendi.

3. Quod ſi aliquis ſciret in Concilio ob factionem Epiſcoporum ſe injurias paſſurum, poſſet licet vocatus ſe abſentare, nec valebit quæcunque ſententia contra eum lata, de hoc ſunt ſexcentæ inſtantiæ, præſertim in cauſis Sanctorum, *Athanaſij* in Concilijs *Tyrio* & *Antiocheno*, *Chryſoſtomi*, in conuentu *Chalcedonenſi*, *Ignatij* in *Photiano*, & aliorum. Vnde *Auguſtinus* in tertiæ diei collatione cum *Donatiſtis*, narrat conſenſum *Catholicorum* hac in parte, vbi cap. 16. difficultates tàm *Catholicorum*, quàm *Donatiſtarum* coram *Cognitore* actas ad longum exponens, poſt multa ibi legenda dicit. *Deinde Donatiſtæ longâ proſequutione agebant, vt ex illius authoritate Carthaginenſis Concilij, confirmaretur Cæciliani damnatio: quod ad tot Sacerdotes venire noluerit. Quaſi non & Primianus ad eos à quibus damnatus eſt, cum eorum factionem cognoſceret ſimili voluntate non venerit? Primianus* ille fuit vocatus ad Concilium Catholicorum & venire noluit. Paulò ſuperiùs in eodem ferè loco, ſic habet. *Cognitor cum quæſiſſet, quid de Carthaginenſi Concilio Catholici reſponderent: iterum reſponderunt non eſſe contemnendam ſimilitudinem cauſæ Primiani*, &c.

4. Dixi, & benè: ſi aliquis *Sciret*, &c. Seu vt loquitur *Aug. cum Factionem cognoſceret*: Nam non omnis leuis ſuſpicio ſufficit.

Vndè *Aug.* in Ep. nomine *Cirtenſis* Concilij ad *Donatiſtas* poſt Collationem l. 2. Retrac. c. 40. *Quid enim aliud ſolent victi homines dicere?* Semper vtique prætendunt aliquid, vt nuper *Lutherus* cum ſuis in *Tridentino*, licet iniuſtiſsimè, nempe quia certò cognouerunt ſe cauſâ caſuros. Imò aliquando Hæretici ita ſunt obſtinati in ſuis erroribus, quod omnia extrema tentare malint, potius quàm in Concilio legitimò comparere, ſicut refert *Auguſtinus* Ep. 204. ad *Donatum* Epiſcopum *Donatiſtarum*, qui citatus ad Concilium conatus fuerat ſibi vim inferre, vbi *Auguſt. Si poſſes videre dolorem Cordis mei*, &c. *Diſplicet tibi quia traheris ad Salutem, cùm tàm multos noſtros ad perniciem traxeris.* Et poſtea. *Tute volens in aquam miſiſti, vt more-*

reris, illi te nolentem de aqua leuauerunt; ne moreteris, &c.

Genium etiam eorum oſtendit Ep. 152. *Carthaginem venimus, & Nos, & Epiſcopi veſtri, & quod prius nolebant, & indignum eſſe dicebant, in vnum conuenimus*, &c. Abhorrent ſemper in veris Concilijs comparere. Quòd ſi licet ægrè compareant, difficultates tamen & hæreſes quarum accuſabantur, non libenter agitant. *Ecce Epiſcopi partis veſtræ, quos omnes elegerunt, vt pro omnibus loquerentur, conati ſunt quantùm potuerunt, vt omninò ipſa cauſa non ageretur, propter quam tantus numerus Epiſcoporum*, &c. *Venerat*, &c. Poſtea, *Quare hoc? Niſi quia cauſam ſuam malam ſciebant, & Facillime ſe poſſe conuinci, ſi ageretur, dubitare non poterant.* Hæc verba non memini apud *Aug.* legi tamen alibi citata vt ipſius, & ſic refero.

5. Dixi igitur Sectarios ſubinde ad Concilia Catholicorum conuocari, imò allici debere, non ſolùm ad puniendum, ſed audiendum: Suauiter vtique agendum, ne ad huiuſmodi extrema deueniant. Et hinc exorta eſt illa quam Patres, ſcilicet *Baſilius*, *Gregorius*, *Niſſenus* & *Synodus Ancyrana* can. 5. vocant φιλανθρωπία hoc eſt, humanitas quædam in relaxatione pœnarum Canonicarum, ne ſcilicet vt monet *Baſilius*, ex diuturnitate pænitentiæ in deſperationem cadant, vt de aliquibus notant *Zonaras*, & alij, qui inde ad *Saracenos* & ſubinde ad *Paganos* deflexerunt.

Vndè mitiſſimus *Aug.* Ep. 162. *Ipſum Hæreticum* (de Hæreſiarchis agit.) *quamlibet odioſa ſuperbia tumidum, & peruicacia malæ conſentionis inſanum, ſicut vitandum monemus, ne infirmos & paruulos fallat, ita non abnuimus quibuſcunque modis poſſumus corrigendum.* Non miretur lector eruditus, quod ſæpiùs cito magnum *Auguſtinum* etiam in omni ferè materia: nam vt rectè *D. Bonau.* in fine Opuſculi de tribus quæſtionibus ad Magiſtrum innominatum, *Pauca aut nulla ponunt Magiſtri in libris ſuis, quin illa reperias in libris Auguſtini.*

Melchiadis etiam Papæ manſuetudo hac in parte celebris eſt apud *Aug.* in corpore eiuſdem Epiſt. cuius ſententiam vocat innocentem, integram, prouidam, atque pacificam. Sequitur ſanè hac in parte *Platonem*, qui hoc quoque legis putabat eſſe perſuadere aliquid,

quid, non omnia vi ac minis cogere, vt teſtatur *Cicero* de legibus. Hæc certè erat lex veterum, ſecundùm illud *Innocentij* apud *Aug.* contra duas Epiſt. *Pelag.* l.2. c.3. *Profectò quicquid interea lenius actum eſt Cæleſtio, ſeruatâ dũtaxat antiquiſſimæ & robuſtiſſimæ Fidei firmitate, correctionis fuit clementiſſima ſuaſio, non approbatio exitioſiſſimæ prauitatis.* Lenitas ſuadenda, Hæreſis ſemper deteſtanda. Sed præ omnibus *Athanaſius* & alij Patres in Synodo quadam *Alexandriæ* habita, vt patet in eorum Epiſtola Synodica, rem noſtram Angliæ agunt, & modum procedendi edocent. Vbi ſic habetur. *Qui dicebant eſſe tres Hypoſtaſes, percunctantibus nobis qua ratione iſta dicerent, aut cur omninò iſtiuſmodi vocabulis vterentur, reſponſum dederunt ſeſe in Trinitatem credere*, &c. Poſtea. *Approbata igitur iſtiuſmodi & interpretatione ac excuſatione, viciſſim quoque & examinauimus eos*, &c. *qui dicerent eſſe vnam hypoſtaſin*, &c. *Qui & ipſi quoque affirmarunt*, &c. *hypoſtaſin eos intelligere idem eſſe cum* ουσια, &c. *Omnes denique Dei gratia poſt iſtiuſmodi verborum interpretationem, optimam & exactiſſimam Fidei eſſe, quæ Nicææ Patres inſtituiſſent approbarunt*, &c. Enumerat etiam alios Poſtea. *Cum igitur iſtiuſmodi illorum fuerit confeſſio, adhortamur vos, ne eos qui ita confitentur talemq́; interpretationem ſuæ confeſſioni accommodant, temerè condemnare aut reijcere velitis, ſed potius admiſſâ illorum excuſatione recipiendos putetis.* Poſtea. *Cæterum*, &c. *conſuletis illis qui rectè interpretantur & rectè ſentiunt, ne vlterior vlla inter vos adhibeatur diſquiſitio, ne verborum pugnis ſtudeatis ad nullam prorſus vtilitatem, ſed ſenſus cogitationeſq́; pietatis exhibete. Nam qui ita affecti non ſunt, ſed tantummodo ſuper iſtiuſmodi voculis contentioſè rixantur, & aliud quippiam præterquam quod Nicææ ſcriptum eſt, requirunt: Hi profectò nihil aliud agunt, quam quod Proximis ſuis turbidam ſubiectionẽ propinant, vt inimici & diſcordiarum ſchiſmatumq́; æmulatores*, &c. *Forſitan Dominus miſertus noſtri, coaptabit quæ ſunt hiulca & diuiſa; atq́; vnum Ouile reformabit, quo vnum habeamus Ducem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum*, &c. Hæc facile applicari & coaptari poſſunt ſtatui rerum in Anglia; Vtinam verò ex parte noſtra non ſupereſſent tales, de quibus hic *Athanaſius*, & cæteri Patres conqueruntur, qui *proximis ſuis* (ſub prætextu indiſcipli-

Digitized by Google

nati Zeli) turbidam ſubuerſionem propinant. Sed longè aliter incedendum, & eorum verbis minus proprijs indulgēdum putarunt Summi Pontifices & Patres, modò Fides in re ipſa ſaluari poſſet: & ſicut illi interpretationem Fidei *Nicenæ*, ſic hi *Tridentinæ* conformem exigere debent: non autem *ſuper iſtiuſmodi voculis contentioſè* rixandum modò interpretationem Catholicam accommodare velint; vt *Athanaſium* & cæteros Patres conciliariter congregatos per omnia ſecuti, ad faciliorem reductionem Germaniæ & Angliæ, *Hofmeiſterus* & alij docuerant. Maluerunt equidem cum *Athanaſio* & graui hoc Concilio errare, quam cum aliquibus nouellis ſapere. Nam vt ibi Patres Orthodoxi, *Forſitan Dominus miſertus noſtri coaptabit quæ ſunt hiulca*, &c. Quod omnibus modis promouere debemus. Quanta etiam hac in parte adhibenda eſt benignitas, etiam & conniuentia ad maiores Fidei diſtractiones cauendas, docet ex *Baſilio Nazianzenus* inferiùs capite trigeſimo ſexto fusè citandus, noſter etiam *Hanzeur* in 2. tomo ſuper *Auguſtinum* f. 92. eum leniter cum hæretico ſic actitantem adducit. Mirabilis ſane eſt hiſtoria quam narrat S. *Greg. Niſſenus* in vita magni Patris *Ephræm*, in causâ *Apollinarij* iam tum hæreſim ſeminantis & res nouas molientis. *Apollinarius* duos compoſuerat libros in quibus multa impia, ſcripturæque Sacræ aduerſantia comprehendebantur. *Illos verò libros, cuidam*, quam in delicijs habuiſſe ferebatur, fæminæ adſeruandos commiſerat. Quæ cum magno innotuiſſent *Ephræm*, ipſe *eiuſdem ſe opinionis eſſe confingens*, fæminam, quæ libros iſtos profanos cuſtodiebat, adijt, & de ſe, quis ſit, & quam fauſta ei ex Eremo adferat, patefecit: nonnullaque fortè id genus alia adijciens, tandem rogat, vt præceptoris ſui, ſibi ſcripta publicæ vtilitatis causâ exhibeat, vt *nobis* ſcilicet, quos tum *hæreticos* vocabat, repugnare commodiùs poſſet. Quibus capta verbis fæmina, eumque ex illis vnum, qui Apollinarij ſuſtinerent partes, reputans, libros præbuit, eos tamen ſibi celeriter reſtitui deprecans. Cæterùm *magnus* hic *Iacob*, dementem ſupplantans *Eſau*, ac Flagitioſa illa primogenita rapiens, *prudenter oppreſſit*: nam piſcis glutino omnes illinens, ita folium folio connexuit, vt cùm pars vna ab altera

tera ob firmam coniunctionem planè ſeiungi nequiret, in vnam quaſi tabulam ſinguli libri apparerent redacti. Sicque eos mulieri, à qua commodatò acceperat, *reddidit*, &c. Plura habet digna lectu. Sanctus Pater ſe Hæreticum ſimulat, imò Catholicos Hæreticos vocitat, à parte Hæreſiarchæ ſtare viſus eſt, vt his artibus paci Eccleſiæ conſulat, & *prudenter* fecit, vt contendit *Niſſenus*, nimirum cuncta prudenter pro temporis ratione moderabatur. Imò *Greg. Taumaturgus*, vt habetur in eius vita apud *Niſſenum*, *Cùm animaduertiſſet quòd* propter corporis voluptates, ſimplex & imperitum vulgus in errore ſimulachrorum cultus permaneret: quo maximè id, quod præcipuum eſt, interim in ijs aſſequeretur, nempe vt varijs ſuperſtitionibus relictis ad Deum conuerterentur, permiſit eis, vt in memoriam Sanctorum Martyrum ſe ſe exhilararent, & oblectarent, atque in lætitiam effunderentur: Quod ſucceſſu temporis aliquando futuri, vt ſua ſponte homines ad honeſtiorem & exactiorem vitæ rationem tranſirent: præſertim cum etiam Fides ad illam rem viam præmonſtraret: quæ res nimirum jam etiam in pleriſque ſucceſſit atque confecta eſt, omni voluptate à corporis oblectamentis ad *Spiritualem lætitiæ formam traducta.* Sic proceſſerunt Sancti Eccleſiæ Antiſtites, dum animas Deo lucrari intendunt, omnibus nimirum rem Dei promouere ſatagunt.

6 Quòd ſi Patrum lenitas benè attenderetur, fortè pauciores declinarent à Fide, vel citiùs reſurgerent. Addo, Quòd in modo reducendi errones, expedit aliquando non exigere ejurationem Hæreſeos, ad hoc vt in Eccleſiaſticam Communionem admittantur Sectarij, vt olim *Ioannes Antiochenus* fecit cum *Neſtorij* fautoribus, eo ſc. animo, vt melius Eccleſiarum paci conſuleret, vt notarunt aliqui poſteriores ſcriptores: Et certè non ſolemus ad erroris ejurationem nouiter conuerſos cogere, ſed diſplicentiam ejus, & reliquorum peccatorum concomitantium, cum propoſito de futuro perſiſtendi in Fide & communione Eccleſiæ, vt juris ſacramentalis eſt, exigimus. Alia quæ potiùs forum *fori* quàm *poli* ſpectant, de induſtria vt plurimum omittimus, ne vt facilè fit, abſterreantur; dixi *vt plurimum*,

nam

nam aliquandò ratio perſonæ aliud conſilium ſuggerit,ſecundùm veræ prudentiæ & pietatis regulas.

Cyrillus approbauit eorum receptionem in Communionem, modò factis ipſis,erroris ſui pœnitentiam teſtarētur,etſi palàm fateri illos puderet, vt conſtat in ejus Epiſtola ad *Maximum* Eccleſiæ Antiochenæ Diaconum. Et in hujuſmodi cauſis ſuauiſſimè conſulit *Auguſtinus* Ep.50. *vbi per graues diſſenſionum ſciſſuras, non hujus aut illius hominis eſt periculum, ſed populorum ſtrages jacent, Detrahendum eſt aliquid ſeueritati, vt majoribus malis ſanandis Charitas ſincera ſubueniat.*

Magnâ ſanè teneritudine hìc agendum, dum de Eccleſiarum & ſubindè perſonarum,præſertim notabilium conuerſione agitur. Vndè *Cyrillus* in cauſa *Chryſoſtomi*. *Et cogitationibus noſtris ad Populi concordiam inclinati, Canonibus quidem Patrum detriminentum nullum afferimus: exactè autem verborum obſeruationi vniuerſi orbis pacem præferimus.* Et per omnia concordat animarum Zelator (ſi quis vnquàm) maximus *Auguſt*. *Conſulendo & rogamus, monemus, vt ibi Concilij & pietatis ſtudeatis viſceribus abundare, vbi ſus non eſt debitam fortitudinem exercere*, &c. Sic etiam *Ioannes* 8. ex ſatis leui emendationis ſpecie & ſpe reſtituebat *Photium*, licet Patres Græci Orthodoxi clarè dicerent ipſum malè feciſſe, nec potuiſſe abſoluere ac reſtituere, quem ſui Prædeceſſores & Concilium Oecumenicum ligauerant & damnauerant, &c. vt dicit *Arcadius* in ſuis notis ad Epiſtolam *Beſſarionis*.

Fuſè & pientiſſimè hoc perſuadet *Iuo* Ep: 190. ad *Paſchalem* 2. *Etſi propter mandatorum rigorem minus licebat, factum eſt tamen quia Eccleſiaſticæ paci & fraternæ dilectioni ſic expediebat*, &c. Conuenit vtique ſummoperè ſuauis ille agendi modus, cum Oraculo illo Saluatoris, *Reges Gentium dominantur eorum, vos autem non ſic*: vbi apertum docet interuenire diſcrimen inter Imperia Poteſtatis Eccleſiaſticæ & Ciuilis, hoc ſubindè rigidum, illud mitiſſimum eſſe debet, & non ſolum vniuerſitati ſed ſingulis animabus, in quantum poſſibile eſt, proſpicere, & ad hoc ſe temperare. Secundùm illud *Aug*. Ep 159. *Alia* cauſa eſt Prouinciæ, alia eſt Eccleſiæ: *Illius terribiliter agenda eſt adminiſtratio, hujus clementèr commendanda eſt manſuetudo.* Non eſſet inconſultum

ſultum legere Synodum, quam *Quini-ſextam* vocant, can. 93. *Qualiter ſuſcipiendi ſunt Hæretici.* Vbi pro diuerſitate Hæreſum, diuerſus præſcribitur recipiendi modus, prout etiam antea *Nicænum.* Legenda eſt etiam integra Epiſtola 52. *Cypriani,* vbi omnia exactè aptat, præſertim à Paragrapho. *Alia eſt Philoſophorum,* vbi lenitatem maximè commendat.

Hæc ideò ſubjunxi, nam vt cum Oroſio dicam, teſte *Ieſu Chriſto*, odiſſe me fateor hæreſim, non Hæreticum.

6. Hactenus vt opinor rectè. Addendum tamen, quòd licet ex φιλανθρωπία illa veterum Patrum, poſſint ex paterna ſubinde miſeratione audiri; ſi tamen Hæreſes quas defendunt, fuerunt antea in vereœcumenicis Concilijs ſinodicè condemnatæ, habetur textus valdè notabilis in c. *Majorum* 24. q. 1. *Majores noſtri diuina inſpiratione cernentes neceſſariò prædicauerunt, vt quod contra vnamquamque Hereſim coacta ſemel Synodus pro Fidei vnione, veritate Catholica atque Apoſtolica promulgaſſet, non ſineret nouis poſt hæc retractationibus mutilari; ne prauis occaſio præberetur, quæ medicinaliter fuerant ſtatuta pulſandi.* Et ſubdit in fine, *Synodus ſemel geſta condemnans, vlteriùs ad noua Concilia venire non ſinet,* vt refert *Panor.* pro Concil. *Baſilienſi.* Sic rigor juris, ſed ſubinde ex gratia, ſi ſpes fuerit vnionis, audiri debent, ſecũdum illud *Proſperi* contra Collatorem c. 1. *Ecce ſaluâ Catholicæ pace victoriæ, ſalua indiſſolubilium reuerentia decretorum, parati ſumus Patronos doctrinæ emendatioris audire,* &c. Imò quod ſingulare eſt, *Photinus* condemnatus in Sardicenſi Conſilio fuit, & tamen ei conceſſa fuit collatio cum *Baſilio Ancyrano*, vt notat *Epiphanius.* Collationes quidem illæ erãt valdè frequentes in Africa, vt apud *Auguſtinum* patet in integris de ijs tractatibus; adeò vt in vna collatione 286. interfuerunt Epiſcopi Catholici, & 279. Donatiſtæ Carthagine habita; vt patet in collat. primæ diei c. 14.

Si tamen, vt dixi ante, fuerint nominatim excommunicati & obſtinati hæſerint, vel ſorduerint in ſuis peruerſitatibus, eſt notabilis textus apud *Proſperum*, in eodem libro, non longè à fine, ex ore *Cæleſtini* Papæ, *Sciebat damnatis non examen judicij, ſed ſolum pænitentiæ remedium*

Digitized by Google

medium eſſe præſtandum, &c. Et de hujuſmodi optimè valet illud *Auguſtini* in Tractatu de Paſtoribus, (quem *Auguſtini* eſſe fatetur *Beda*) c. 12. poſt multa. *Exiſtat aliquis Hæreticus, etſi non frater Diaboli, certe adjutor & filius, & ipſum dixerim perdicem animal contentioſum. Hoc enim animal (vt aucupes norunt) etiam contendendi ſtudio capitur. Contendunt ipſi contra veritatem, & contenderunt, ex quo ſe diuiſerunt. Modò dicunt: Contendere nolumus, quia jam capti ſunt.* Fruſtaneum igitur eſt hujuſmodi vocare ad Synodos Catholicas, quia ſemper *contendunt contra veritatem*, vſque dum fuerint *capti*, hoc eſt, planè obcæcati in ſuis hæreſibus: & tunc quieſcunt in illis, de quibus nulla eſt emendationis ſpes, ſicut nec erat de *Pharaone* in ſuis nequitijs, & hoc prouenit ex pœna priorum peccatorum. Et de hujuſmodi Sectarijs, qui ſc. poſt Conciliarem rei diſcuſſionem, & finalem definitionem ſuis peruerſitatibus ſic adhærent, valet illi *Auguſtini* Ep. 152. *Nulla excuſatio jam remanet, nimium dura, nimium Diabolica ſunt hominum Corda, quæ adhuc tantæ Manifeſtationi veritatis obſiſtunt.* Præmiſerat immediatè ante. *Nolite ergò eſſe ingrati tantæ miſericordiæ Dei, quæ per iſtam diligentiam* ſcilicet Conciliarem *vobis miniſtrata eſt.*

Huic etiam optimè inſeruit, quod Fidei Magiſter *Auguſtinus* habet in fine Primi libri contra duas Epiſtolas Pelagianorum. *Hæc execrabilia Dogmata tenentes & ſeminantes, adhuc inſuper flagitant audientiam, cùm damnati debeant agere pœnitentiam.* Et ideò optimè *Liberius* Papa apud *Athan.* in Epiſt. ad Solitarios. *Ij qui Arianicæ ſententiæ ſunt, eijciantur, & eorum Hæreſis Anathemate damnetur.* Poſtea. *Non enim fieri poteſt, vt locum in Synodo habeant, qui fide impij ſunt.* Nam vt optimè Philoſophus l. 4. Met. c. 3. Tex. 19. *Non eſt autem idem omnes conueniendi modus. Quidam enim perſuaſione: quidam vi indigent. Quicunque namq; propterea quod dubitent, ita exiſtimarunt, horum ignorantia ſanabilis eſt, non omnium ad ſermonem, ſed ad mentem eorum obuiatio eſt. Quicunq; verò ſermonis gratiâ dicunt, horum ſanatio redargutio eſt*, &c.

Quod verò aſſerit Doctor Pariſienſis in Reſolutionibus citatis de punitione Hæreticorum conuictorum his verbis. *Morte verò puniri poſſe Hæreticos etiam conuictos immò relapſos, vel obſtinatiſſimos (modò Sedi-*

Digitized by Google

Seditionis & rebellionis in remp. defuerit omne periculum.) Nunquam fuit totius Eccleſiæ dogma Catholicum. Quicquid autem ſit de praxi Inquiſitionis jam receptâ, Catholici plurimi, imò doctiſſimi, præcipue in Gallia noſtra hoc ſemper improbarunt, Sed hæc quæſtio facti eſt, ſeu prudentiæ non doctrinæ. Hactenus ille. De qua re iudicent Doctores. *Auguſtinus* quidem hac in re diuerſimodè proceſſit, pro minori vel maiori quam acquiſierat experientia. In Ep. 50. narrat crudelitates Hæreticorum in Catholicos, laudat etiam leges Imperiales, quibus puniri debebant, *non tamen ſupplicio capitali*, &c. Ep. etiam 127. *corrigi eos cupimus, non necari.* Addit *Nos* (ſc. Chriſtum) *occidi ab eis eligamus, quam eos occidendos veſtris judicijs ingeramus.* Legenda etiam Ep. 203. vbi inſinuat nullos eſſe cogendos ad Fidem. *Non eſt propoſiti mei, vt inuicti homines ad cuiuſquam communionem cogantur, ſed vt quietiſſimè quærentibus, veritas innoteſcat,* &c. Pulchrè oſtendit quomodò agendum in & pro conuerſione hæreticorum. In Ep. verò 204. docet quòd & quomodo cogendi ſunt ad rectam Fidem amplectendam, vbi pulchra habet de progreſſu Eccleſiæ & poteſtate eius aucta, & ſecundùm quam, diuerſimodè proceſsit. Vult verò in Ep. 158. quòd non procedatur ad punitionem mortis. *Ne paſſiones ſeruorum Dei, quæ debent eſſe in Eccleſia glorioſæ, inimicorum ſanguine deboneſtentur.* Sic etiam in Ep. 159. Tandem in Ep. 48. vbi fusè hanc materiam tractat, ſic reſoluit. *Mea primitus ſententia erat, neminem ad vnitatem Chriſti eſſe cogendum, verbo eſſe agendum, diſputatione pugnandum, ratione vincendum ne fictos Catholicos haberemus,* &c. *ſed opinio mea, non contradicentium verbis, demonſtrantium ſuperabatur exemplis,* &c. Ibi etiam declarat fuiſſe tunc pro Paganis capitale ſupplicium, non pro Sectarijs. Sed longè aliter egerunt ſemper Hæretici, vt patet apud *Athanaſium* ſæpè, & cæteros patres, & ſuo loco oſtenſurus ſum. Modum verò diuerſum pro ratione temporis, loci, & perſonarum ſemper adhibuit Eccleſia, nec viri boni eſt leuiter improbare, ſed cum *Auguſtino* Ep. 204. ad varium ejus ſtatum ſubinde referre. Nam vt declarat ipſe l. 1. contra Ep. *Parmeniani*, c. 7 & tract. 11. in *Ioh.* Morte puniebantur aliquando Hæretici: licet ſemper doceat *Eccleſiam hoc non velle*, ex quâ-

dam teneritudine, Imperatores verò Chriſtianos ad illas pœnas proceſsiſſe inſinuat ſaltem in ordine ad obſtinatos.

Vndè *S. Gregorius Nazian.* Ep. 198. *Theoterno.* *Romanis ſuæ leges ſunt: nobis autem noſtræ: At illorum leges modum excedunt, & acerbæ ſunt, atque ad cruorem vſque graſſantur: noſtræ benignæ & humanæ, nec furore aduerſus eos à quibus injuriam accepimus, vtendi poteſtatem nobis facientes*, &c. Diuerſus igitur erat puniendi modus *Eccleſiæ* à *Romano*, ſeu Ciuili in ordine ad quoſcunque reos.

Huc fortè ſpectat prolixa & per quam mitiſsima *Niſſeni* diſſertatio, in tractatu *De caſtigationem ægrè ferentibus*, vbi poſt multa ſic alloquitur Eccleſiæ filium. *Ob id liberis increpationibus te angimus peccantem*, non *corpus* pungentes, ſed *animum* cruciantes, &c. Quid igitur faciemus, cum *virgâ* non conceduntur? eumne nullâ curâ, nulla prouidentia dignabimus? Non ita ſanè: ſed cum verbis ad aliam accommodam rei ſubjectæ formam concinnè traducemus: ac quemadmodum optima condimentorum exiguo additamento ad contrarias qualitates permutantur, ex acri in dulce, & ex *dulci in acre conuerſa*, &c. Multò plura habet digna lectu: dederat verò rationem ante, multis verbis ſequentibus. *Non enim tibi verbera inferimus vt ſeruo, ſed te caſtigamus, vt liberum: tibi enim ex Sara libera genus eſt, non ex Agar ſerua. Reueremur te vt liberæ Filium: non dedecoramus, vt ancillæ progeniem.* Poſt hæc, ſubnectit verba quæ prius deſumpſi. Imò in hac Chriſtiana manſuetudine quam adhibet Eccleſia, non ſolùm vt *Nazianzenus* declarat, oſtenditur differentia Romanarum legum & Eccleſiaſticarum; ſed vlteriùs docet Synagogam ſeueriùs (quã Eccleſia ſolet) procedere ſolitam. *In lege Moſaica decades quatuor huc vſque plagarum permanent, non autem in euangelica vita: ſiquidem omnium ſermo eſt, miſericordia, & virga, adhortatio & plaga.* Poſt hæc, addit verba, quæ in hoc loco deſumpſi. De hac re iterum agam ſub finem capitis ſequentis ex Patribus, præſertim *Hilario*, quem ſpecialiter commendo noſtratibus.

CAPVT

CAPVT XXV.

De audiendis Concionibus Hæreticorum conciliariter condemnatorum.

1. CVm jam egerimus de admiſſione Hæreticorum ad Concilia, à pio Lectore quæri poteſt: an, & quomodò liceat Catholicis accedere ad Diuina Officia, vel Conciones ſolemnes Hæreticorum, qui fuerunt Conciliariter condemnati, & obitèr, an ipſi ad noſtra admitti poſſint?

Vt hæc quæſtio rectè reſoluatur, examinari debet ſecundùm principia intrinſeca, ſeu ex natura rei, ſecundum jus Diuinum, & deniquè ſecundum jus poſitiuum.

Aliqui Doctores, *Azorius*, *Becanus*, *Valentia*, & alij, præſertim *Neoterici*, ſpeculando actum *audiendi* præcisè, ſecundum naturam ſuam, & præſentiam objecti Concionum vel Liturgiarum Hæreticarum, non putarunt conjunctionem illorum terminorum, ſeu extremorum eſſe illicitam, ſpeculatiuè ſumptam, id eſt, quantum eſt ex naturis terminorum.

Ratio poteſt eſſe, quia *Auditio* præcisè conſiderata eſt actus naturalis & entitatiuè bonus, etiam reſpectu cuiuſcunque objecti ſeu rei auditæ, & in *genere* moris, Hoc eſt, quantum eſt ex genere ſuo etiam ſub conſideratione morali, eſt ſaltem indifferens, quia nuſquam prohibitus, ſpeculatiuè ſumptus: ſicut nullus actus naturalis ſeu Phyſicus eſt adeò intrinſecè malus, quin conſiderari poſſit in genere moris ſine malitia, quia vt talis non inuoluit ſuam prohibitionem, ex qua ratio illiciti ſeu mali deriuatur ad omnem actum, ſecundùm famoſum Theologorum proloquium, *Nihil malum, niſi quia prohibitum*, & alibi fusè declaraui in Problematibus.

2. Quod ſi hæc conſideratio ſpeculatiua ſufficeret ad aſſerendum ſimpliciter quoduis tale eſſe licitum: ſequeretur, *Mæchari*, *occidere*, &

quod horribilius eſt, *odiſſe* & *Blaſphemare Deum* eſſe licita, ſaltem non eſſe illicita (Theologi ſciunt quare hoc addiderim.) Proindè grauiſſimè conſuluit *Doctor Subtilis* in Tertium, Doctores debere cautè reſoluere quæſtiones morales, nam ignari non diſtinguentes ſpeculationes à reſolutionibus practicis, facilè incidunt in errores grauiſſimos, vt in præſenti materia vel maximè patet.

Titulus igitur quæſtionis intelligi debet, non in abſtractione illa Metaphyſica: ſed quandoquidem agitur de re morali, intelligi debet moraliter ſeu integrè, ſecundùm eſſe quod habet in perfecta conſideratione morali. Et ſecundùm hunc ſenſum.

3. *Dico primò eſſe intrinſecè malum.* Quod ſic oſtenditur.

Ens ſub perfecta conſideratione morali, eſt ens non ſolum in determinato genere conſtitutum, ſed cum ſuis circumſtantijs neceſſarijs inuolutum: ſed audire ſolemnes conciones Hæreticorum ſic conſideratum, eſt malum, ergò eſt intrinſecè malum. Lector eruditus facilè interijciet proſyllogiſmum breuitatis cauſa hic omiſſum, nec viris doctis neceſſarium.

Major, ex materia de actibus humanis ſupponitur. Minor probatur. Circumſtantiæ neceſſariæ, id eſt, neceſſariò coniunctæ cum frequentatione Eccleſiarum Hæreticarum, ſeu auditione concionum ſolemnium & publicarum ſunt ſcandalum vel Catholicorum, vel ſectariorum, vel amborum, periculum ſubuerſionis propriæ, &c. Hæ verò non poſſunt non connecti vel ſubſequi ad actum illum, nec poſſunt præſcindi in praxi, vt prudens Chriſtianus facile aduertet, & ex dicendis conſtabit. Quo poſito.

Subſumo: ſed actus conſideratus cum his circumſtantijs neceſſariò annexis eſt intrinſecè malus, vel non poteſt non eſſe malus. Ergò.

Si replicetur, publicas eorum Conciones, poſſe adeò priuatim adiri, vt Catholicus non diſcernatur, vndè non erit vlli parti ſcādalum, & acceſſurus poteſt eſſe adeò firmus in Fide, quòd nullum ſit periculum, &c.

Reſpondeo, quòd caſus ſit purè Metaphyſicus, nec moraliter poſſibilis, & ideò, licet poſſit aliquis ſpeculando imaginari in ordine ad hunc

hunc actum, & hanc perſonam fortè poſſe caueri ſcandalum, & periculum; tamen in rei veritate eſt ſemper ſupponendum oppoſitum, & in re morali, prout etiam in Phyſicis, putantur per ſe & naturaliter oriri, quæ vt plurimùm eueniunt ad poſitionem talium cauſarum.

Deniquè, licet, vt dictum eſt, fortè poſſet aliquis *ſpeculari* vnum indiuiduum actum, vt vnam perſonam ſine circumſtantijs prædictis, frequentatio tamen talium actuum ſemper inuoluet tàm ſcandalum, quàm periculum, *& qui amat periculum peribit in illo.*

Ob pleniorem verò huius replicæ ſolutionem.

4 Dico ſecundò, *Quòd accedere ad Conciones aſſuetus, vel diuina Officia Hæreticorum* (*de quibus in titulo*) *eſt illicitum, licet poneretur per impoſſibile, omnes prædictas circumſtantias poſſe hîc & nunc caueri.*

Hoc probabitur ex ipſa natura actus, eſſe ſcilicet ex natura ſua profeſſionem Hæreſeos, vt patebit in corpore probationis quartæ Concluſionis, vbi fusè declaratur: interea verò ſic probatur.

Actus qui ex natura ſua eſt deſtructiuus Eccleſiæ, vel corruptiuus Fidei Chriſti eſt ſemper illicitus. Sed hic eſt talis, ergò. Minor facilè ſic probatur.

Ex *diuo Paulo* ad *Roman.* 10. *Fides eſt ex auditu*: & paulò ante, *Quomodo autem audient abſq; prædicante?* Ergò audire prædicantem eſt medium ordinarium, ſeu ordinatum ad imprimendam prædicantis fidem, ſecundùm Apoſtolum, ergò vt prius. Et ideò de his agens Apoſtolus ad *Rom.* vlt. dicit, *per blandiloquentiam & aſſentationem decipiunt corda ſimplicium.* Et 2. *Tim.* 2. *Sermo eorum vt cancer ſerpit.*

Secundò probatur ex verbis Saluatoris. Conciones ſunt inſtitutæ, ſeu ſunt medium ordinatum ad erudiendum auditores in Fide à Concionatoribus profeſſa, ſecundùm illud Saluatoris *Matt.* 28. *Ite docete*, &c. ergò *audire* eodem iure & ratione eſt ordinatum ad recipiendum illam Fidem, &c. Conſequentia patet ex Regula Summularum. *Oppoſitorum oppoſita ſunt conſequentia*, & maximè valet in relatis, vt hic.

Patet etiam à poſteriori: nam ſi nullus audiiſſet *Arrium*, *Neſtorium*, vel reliquos, nullus fuiſſet *Arrianus*, *Neſtorianus*, &c.

Quod

Quod ſi concedatur præciſiones illas (de quibus ſuperius) poſſe fieri reſpectu particularium perſonarum, vt in concluſione dixi, non erit ad rem, quia hoc ſolum eſſet *peraccidens*: loquendo verò *per ſe*, ſemper, etiam in illis caſibus particularibus, ſiue de poſſibili, ſeu impoſſibili conceſſis, eſſet verum, quod ob rationes tactas & ab intrinſeco petitas; eſſet illicitum audire conciones eorum.

Hoc etiam juuat, quod leges non reſpicere poſſunt, vel debent particulares caſus, vel perſonas, ſed communitatem. Communitas verò ſeu integrum Chriſti corpus, quod eſt Eccleſia, non poteſt non lædi, imò penitùs euerti, ex acceſſu Catholicorum ad prædictas Conciones & Liturgias, &c. Ergò nunquam licet Eccleſiæ Filijs, eas audire, vel ijs intereſſe, propter illum quem habent inconſutilem nexum cum reliquo Chriſti Corpore, facerent vtique quod in ipſis eſt ad euertendam totam Eccleſiam: nam facerent actum de per ſe ordinatum & directum ad illum finem, vt probatum eſt. Nec mutabitur natura actus, ex eò quod peraccidens, hîc & nunc impediatur effectus, vt in omnibus cauſis tàm naturalibus quàm moralibus in confeſſo eſt. Vndè per neceſſariam conſequentiam infertur, actum illum eſſe ſemper illicitum.

5. Hinc S. *Johannes* noluit ne quidem lauari in eodem Balneo cum *Cerintho*. Referam, vt habetur apud *Irenæum* l. 3. c. 3. *Et ſunt qui audierunt eum* (*Polycarpum*) *dicentem quoniam Iohannes Domini diſcipulus in Epheſo jens lauari, cum vidiſſet intus Cerinthum, exilierit de Balneo non lotus, dicens quod timeat ne Balneum concidat, cùm intus eſſet Cerinthus inimicus veritatis*. Et ipſe *Polycarpus Marcioni* aliquando occurrenti ſibi & dicenti, *Cognoſce Nos*, reſpondit, *Cognoſco te Primògenitum Sathanæ*, &c. *Polycarpus* igitut ex *Iohanne*; *Irenæus* ex vtroque docet nullum cum Hæreticis, ſaltem Hæreſiarchis commercium habendum. Et certè ex doctrina ibidem tradita ab *Irenæo* etiam ex *Ioanne* facilè ſequitur, nullam prorſus cum Hæreticis vel quibuſcunque inimicis veritatis, communionem præſertim in Diuinis eorum admittendam. Hoc vt dico à fortiori ſtatim concluditur. Sed præ omnibus legatur Ep. S. *Ignatij* ad *Trallianos*, nihil aliud deſiderari poteſt. Quoties omnes Hæ-

nes Hæreticos *fugiendos* inculcat, & dat rationē: *Generant fructum mortiferum, & quem ſi quis guſtauerit; Statim morte morietur, non morte temporali, ſed æterna.* Nunquid accedere ad Conciones in quibus docetur Hæreſis eſt *guſtare?* Si ſic, ſequetur mors æterna ſecundùm hunc Apoſtolicum virum. In Ep. etiam ad *Philadelphios* poſt alia, dicit. *Qui non diſceſſerit à falſiloquo prædicatore, in gehennam damnabitur,* &c. Licebit ne ergò prædicationes accedere? Quid hîc replicari poſsit, non video.

Tertullianus de Idololatria c. 14. omnimodam vel maximè Communionem in Diuinis cum ipſis abſcindi voluit. Cap. etiam 37. *contra Gentes* agens de patientia Chriſtianorum ſub Imperatoribus in eos ſæuientibus, dicit: *Sola vobis relinquimus templa*, &c. Chriſtiani nondum imbuerant vel minimas dubitationes de licito acceſſu ad templa externa, nam alia loca numeroſitate Chriſtianorũ premebantur, vt ibi oſtendit. *Sola ipſis Fidei aduerſarijs reliquerunt templa, ibi nullus comparuit Chriſtianus: in Diuinis nullum commercium.* Et licet ſolùm ibi agat de Templis Idolorum: tamen manifeſtè ſequitur ex principijs ibi poſitis; æquè non licere intereſſe liturgijs & cæteris actibus diuini cultus apud Hæreticos.

Huc propendet *Origenes* l. 8. contra *Celſum*.

Cyprianus etiam de lapſis & l. 1. Ep. 3. ad *Cornelium*, & adhuc preſsiùs *de vnit. Eccleſ.* ſiue *de ſimplicitate Prælatorum*, & adhuc longè fortius Ep. 76. mixtiones illas abhorret.

Hoc etiam à fortiori concluditur ex doctrina, quam tam ſolemniter tradit contra eos, quos *Libellaticos* vocat in Epiſtolis 51. 54. 56. & frequenter alibi. Forma libellorum erat hæc. *Ego priùs legeram, & Epiſcopo tractante cognoueram non ſacrificandum Idolis, nec Simulachra ſeruum Dei adorare debere: & idcirco, ne hoc facerem quod non licebat, quum occaſio libelli fuiſſet oblata (quem nec acciperem niſi oſtenſa fuiſſet occaſio) ad Magiſtratum veni: ſed alio eunte mandaui Chriſtianum me eſſe; Sacrificare mihi non licere, ad aram Diaboli me venire non poſſe, dare me ob hoc præmium, ne quod liceret faciam.*

Patet libellaticos feciſſe in Scripturis Fidei profeſsionē ſine omni

Digitized by Google

æquiuocatione claram, ob hoc vero ſolum quod Fidei inimicis ad redimendam licet injuſtam vexationem, ſcilicet ne cogerentur ſacrificare, pecunias dederint, à Communione fidelium arcebantur, & pænitentes ægrè admodum admittebantur.

Hic veterum zelus, hic antiquus diſciplinæ Eccleſiaſticæ rigor. Quid igitur dixiſſent de hodierno acceſſu ad audiendas Sectariorum Conciones, facilè colligitur: Nempè, hîc non redimitur pecunijs, ne ſacrificare cogerentur, ſed re ipſa *ſacrificatur*, ne *ſacrificent*: vtique vt plurimum, non aliam exigunt Hæreſeos profeſſionem, quàm per acceſſum ad eorum Liturgias, vel Conciones.

Alios veteres audiamus.

Athanaſius in Synodica Epiſt. in *Alexandr.* Concil. *Euſeb.* &c. directa, aſſerit. *Cum Arrianis cœtus facere, eſſe profiteri Arrianiſmum.*

Beatus *Athanaſius* etiam oſtendit fuiſſe ſuo tempore conſtantem Catholicorum praxim, abhorrere cætus Hæreticorum in Diuinis, de quibus in Ep. *ad vbique Orthodoxos*, ſic loquitur. *Hæc autem multa & præſens crudelitas Babiloniorum æmulatur: vt enim illi Danielem, ita præclarus iſte Georgius* (*Arrianus Epiſcopus*) *eos qui domi orationes faciunt, ad Præſidem defert, & Miniſtros ſacrorum infenſiſſimè obſeruat*, &c. Vbi patet Catholicos *domi*, non in Templis *Orationes* ſuas feciſſe, & ob hoc ad Præſidem ipſi, & Catholici ſacrorum Miniſtri deferebantur. Poſtea. *Præoptant potiùs ita ægrotare ac periclitari, quàm vt Arrianorum manus capitibus ſuis imponi ſuſtineant.* Nulla ſacramenta ab ipſis accipere volebant, potiùs mori volebant. Et licet non faciat particularē mentionem Concionum: tamen certò certius eſt æque ſi non magis illas abhorruerunt. Deindè, cùm omnis Cōmunio in Diuinis, tàm apertè interdicatur, de Concionibus & ſingulis cæteris actibus ad Diuina ſpectantibus concluditur.

De mente *Ambroſij* abundantiſſimè conſtat (in Ep. 33. ad *Marcellinam* ſororem) qui ſpreto *Valentiniani* Imperio, *Caput ſuum* per *Galligonum* cubiculi præpoſitum minitantem, ſibi auferri maluit, quàm Eccleſiam ad Hæreticorum exercitia concedendam trahi. Et ex doctrina eius ibi ſequitur, non plus licere aditum ad eorùm templa pro

Concioni-

Digitized by Google

Concionibus, &c. quàm ad thalamum Adulteræ. *Non tibi licet illam habere. Quid tibi cum Adultera? Adultera eſt enim, quæ non eſt legitimo Chriſti Conjugio copulata,* &c. Examinet vim huius diſcurſus *Ambroſiani* ingenuus Lector, & manus mihi dabit quoad neceſſitatem conſequentiæ, de non frequentando Eccleſias Hæreticorum. Nec impedit, quod ibi præcipuè agat de non temerandis, ſeu tradendis templis Catholicorum, Hæreticis: Nam præter hoc, diſcurſus eius conuincit non licere intereſſe eorum Concionibus, vel Liturgijs, niſi dicatur licitus concubitus cum adultera. Ergo, &c.

Apud *Chryſoſtomum*, vt teſtatur *Theodoretus* l. 5. c. 33. idem erat eſſe Hæreticorum templa, & prohiberi acceſſum Catholicorum ad eorum exercitia.

Hilarius in lib. cont. *Arrian.* vel *Auxentium Mediolanenſem*, poſt alia ſic dicit. *Malè enim vos parietum amor cœpit, malè Eccleſiam Dei in terris ædificijſq́; veneramini, malè ſub his pacis nomen ingeritis, anne ambiguum eſt, in his Anti-Chriſtum eſſe ſeſſurum? Montes mihi & ſiluæ, & lacus & carceres, & voragines ſunt tutiores; In his enim Prophetæ, aut manentes, aut demerſi, Deì ſpiritu prophetabant.* Ecce carceres mallet quam Eccleſias Hæreticorum ad finem dictum adire. Neſcio quid hìc fingere poſsit iniquitas ſibi, niſi reijciendo *Hilarium*?

Auguſtinus vbique Communionem ſeu Commixtionem in Diuinis deteſtatur, vt de *Donatiſtis* notum eſt: quinimò adire diſputationes loquaciſsimorum (vt vocat Hæreticos) hominum, niſi inter maturos, diſſuadet: multò magis Conciones, *De quantitate animæ.* c. 31.

Mens ejus etiam apparet *De vera religione* c. 5. vbi vult Hæreticis qui aliter ſuadere conantur, quam veritas poſtulat, non communicanda Sacramenta: ergo minùs cum ipſis communicandum.

Manifeſtè etiam in ſolemni illa cum *Hieronymo* diſputatione, in Epiſtolis 8. & 9. In libro etiam *contra Mendacium*, & *De bono conjugali.* In his dico locis, omnem ſimulationem, præſertim in iſtiuſmodi condemnat, & dicit potius eſſe moriendum. Stilus eius paſſim hoc olet. Sic omnis Antiquitas ſecundùm illud *Auguſtini*, vel potius *Hieronymi* apud *Auguſtinum*, de quadã inter Iudæos Hæreſi, agentis Ep. 11.

Dum volunt & Iudæi eſſe & Chriſtiani, nec Iudæi ſunt, nec Chriſtiani, &c. Certè huc iſti homines deueniunt, qui volunt acceſſus ad Hæreticorum congregationes introducere.

S. Johannes Eleemoſynarius, ſcilicet Patriarcha, vt habetur apud *Leont.* c. 45. in vita eius. *Nullatenus aliquando Hæreticorum Communionis, imo coinquinationis participemini, etiamſi omni vita veſtra, ex aliqua impulſione vel neceſſitate Communionem Catholicæ Eccleſiæ non inuenientes ſine communione permanſeritis.* Ponderanda ſunt hæc eius verba.

Non me latet *Tertullianū* in l. de Idololatria, & ſæpius alibi *Paracleto Montanico* ſpiritu impulſum, & indè juſto ſeueriorem euaſiſſe; ſubinde tamen ſalubria intermiſcet ſuſpiria, quæ a ſpiritu ſaniori hauſit, & his nouis, & noui ordinis Chriſticolis propinauit. Inter cætera ſic habet. *O melior fides nationum in ſectam ſuam, quæ nullam ſolemnitatem Chriſtianorum ſibi vendicat. Non Dominicum diem, non Pentecoſten, etiamſi noſſent, nobiſcum non communicaſſent, timerent enim ne Chriſtiani viderentur.* Sic ille c. 14. Hi verò noui homines non timent, imò deſiderant non Chriſtiani videri: & ideò tot latebras quærunt, quæ ſinceritas Fidei abominatur.

Damaſcenus multus & feruens eſt in hac veritate ſuſtinenda. l. igitur 4. *de Orthodoxa Fide* c. 14. agens de ſacra Euchariſtiæ communione, ſic loquitur. *Cæterùm illud pro viribus caueamus, ne Sacramentum hoc vel ab Hæreticis accipiamus, vel illis demus: (Nolite enim dare ſanctum canibus, inquit Dominus, nec proijciatis margaritas veſtras ante porcos) ne alioqui & eorum errorem & condemnationem nobis contrahamus.* Hæc eius ratio, ſi valeat, vt valet, arguit non licere adire conciones eorum; nam faciliùs contrahitur eorum error, ex communicatione in Concionibus ad illum finem inſtitutis, quàm in Sacramentis: hoc negari non poteſt.

In Dialogo etiam aduerſus *Manichæos*, ſic habet. *Cum his conſuetudinem habebimus?* Notanda ſunt hæc verba poſtea. *Hos ad Communionem recipiemus? Quiſquis cum ijs communicat, eorum eſt ſimilis, partiſque eorum, tùm in hoc æuo, tùm in futuro erit.* Poſtea. *Præſtat Iudaiſmum profiteri, ac Iudæum mori, quàm cum Manichæis communicare*, &c. Singula

ejus

Digitized by Google

ejus verba expendenda ſunt, & niſi omnis me fallit ſenſus, cõmunionem non ſolum in *eorum* diuinis, ſed in quibuſuis noſtris, & à fortiori in eorum concionibus condemnabunt. Non quidem eadem erat occaſio apud veteres, ſpecificandi conciones, ſicut hodie: nam nulla fuit hæreſis vnquam, quæ adeò gloriabatur in pulpitis, vt hodierna Caluiniſtarum, qui totum diuinum cultum ferè pulpitis conſuunt, clariſſimis tamen & patentiſſimis conſequentijs eruitur veterum ſenſus, & quidem vnanimis, ex eorum allatis, & adhuc adferendis ſcriptis.

Ex his verò credo ſatis conſtare Patres & veterem Eccleſiam, (quod plus confirmabitur Concluſione 4. & 5.) Concionum & Liturgiarum Hæreticarum frequentationes omnes ſemper abominatos fuiſſe. Quo conceſſo, neſcio quis Chriſtianus audebit eas, vt licitas perſuadere, vel ſcripto vel facto comprobare. Omni dubio procul attentari non poteſt ſine temeritatis, ferè dixerim infidelitatis nota. Pergo.

6 Concluſio de qua hactenùs (cum ſuis prolationibus) procedit de *docere & audire formaliter*, non materialitèr: Nam docere ad confutandum, &c. ſicut audire, modò aliquis ab Eccleſia ad hoc deputetur, & cautè agatur, non eſt intrinſecè malum: Nam hoc non eſſet aliud, quàm exploratorem agere, vt in Exercitu Hoſtium ſolet fieri, quod eſt alterius conſiderationis à re hactenùs tractata, & in omni genere militiæ ſemper licuit. Hoc fecit *Iehu* Rex Iſraelitarum 4. *Reg*. 10. dùm ſimulabat ſe ſacrificaturum, vt indè occideret Sacerdotes *Baal*, & Deus laudabat v. 19.

Hoc ego dicerem, niſi *Aug*. l. contra Mendaciũ c. 2. diceret eum laudatum non ob hoc, quod vocat *impium mendacium*, & vt verum fatear, caſus eius eſt aliquantò durior noſtro; noſter verò ſequitur ex doctrina *Hieronymi*, quam expendo in Concluſione quarta.

7 Dico tertiò, *Quod eſt contra ſacras Scripturas, adire Liturgias & Conciones Hæreticorum.*

Ad *Titum* 3. *Hæreticum hominem deuita*. Ad *Rom*. 16. 17. *Declinate ab illis*. 2. *Tim*. 4. idem habetur. Ex quo ſic concluditur.

Digitized by Google

A ſimplicitèr ad ſecundùm quid, ſecundùm regulas diſtributionis ſemper valet conſequentia, ſeu à genere diſtributo ex parte prædicati, &c. Sed hic ſimplicitèr prohibetur communicatio cum Hæretico, ergò cum Hæretico Hæreticante, ſeu Hæreſes ſeminanto, præſertim ſolemniter & concionaliter populum Dei peruertente. Hoc etiam argumentum concludit per Regulam conſequentiæ affirmatiuæ à minore ad majus. ergo, &c.

Secundò ſic probatur 1. Cor. 3. *Si quis Templum Dei profanat, hunc perdet Deus*: Sed concurrere ſuâ præſentiâ, vel vllo modo ad actus ſolemnes Hæreſeos in Templo, eſt prophanare illud. Ergo. Neutra præmiſſarum indiget probatione homini Chriſtiano; nam nullo modo poteſt profanari Templum; ſi non hoc actu: & ideò Eccleſia Templa ſic profanata reconciliat.

Tertiò ſic fortitèr probatur ex Decalogo. Eodem præcepto Diuino quo præcipitur Hereticis ne ſuas Hæreſes ſeminent in perniciem aliorum, præcipitur cuilibet alteri ne frequentet, ſeu audiat eos: ſed præcepto *Non occides*, vel maximè præcipitur eis, ne prædicando ſeminent Hæreſes, ergò.

8. Dico quartò, *Quod per jura Eccleſiaſtica prohibentur frequentationes prædictæ.*

Per Concilia *Laodicenũ* ca. 32. & 33. & æquiualẽter can. 38. Per *Carthag.* etiã 3. ca. 72. prohibetur acceſſus ad eorũ diuina his verbis: *Cum Hæretico nec orandum, nec pſallendum* (vbi aliquot Britanni noſtri Epiſcopi adfuerunt ſecundùm Athan.) *Concilium* etiam *Sardicenſe*, vt apparet in Epiſt. Synod. omnibus Epiſcopis Catholicis directa apud *Athan.* Apol. 2. *Sint vobis Anathema, eo quod verbum veritatis adulterauerunt: præceptum ſiquidem Apoſtolicum eſt, Si quis euangelizauerit vobis præter id quod accepiſtis, anathema eſſe, cum his ne quis Communionem habeat præcipuè nihil commune luci cum tenebris, Hoc procul à vobis arcete: cum nulla ſit concordia Chriſto cum Belial, Cauete interim Dilecti, ne vel ſcribatis ad illos, vel eorum ſcripta recipiatis*, &c. Ipſe etiam *Athan.* dicit ſe perſuaſiſſe *Conſtantino*, vt nullum habeatur cum Hæreticis commercium. Habetur in Apol. 2. in parte Epiſt. *Conſtantini.* Hoc etiam

frequens

Digitized by Google

frequens eſt in alijs Concilijs, adcò vt videatur fuiſſe conſtans Eccleſiæ ſenſus. Et licet poſt *Conſtantienſe* & *Baſilienſe* ſecundùm *Antoninum* 3. p. & Doctores communiter ex *Martino* 5. non prohibeantur Catholici communicare cum Hæreticis in Diuinis noſtris (tempore *Auguſtini* non licuit, De vera Religione. c. 5.) hoc eſt, non teneantur excludere eos, vel euitare ipſos acceſſuros ad Eccleſias, vel preces noſtras. (quod factum fuit in leuamen Catholicorum.) Poſſumus etiam ſepelire eos in loco ſacro, & celebrare pro eis viuis ſecundùm *Nauarrum* & *Sa*, modo non ſint nominatim præciſi vel excommunicati, pro quibus tamen licet orare in *Memento* & cum illis orare priuatim, ſecundùm Doctores communiter. Prohibetur enim ſola communicatio in oratione, quæ fit Eccleſiæ nomine; valet tamen antiquum jus, quoad non communionem cum ipſis in ſuis Diuinis, ſub pænis in jure inflictis, nempè ſub Excommunicatione majori, quia nuſpiam hoc legitur abolitum.

Secundò excommunicãtur tales ipſo facto, partim quia per actum illum ſolemnem profitentur ſe Hæreticos, vt colligitur ex *Caietano* in 2. 2. q. 3. a. 2. & alijs Doctoribus grauibus, & pro Hæreticis habendi ſunt per eandem rationem.

Vtique non ſolùm diſcernitur mens hominis per verba, ſed æque per quæcunque ſigna ſeu facta ſignificantia (ſecũdùm conſuetudinem loci) mentem facientis, vt vel maximè patet apud Doctores de Matrimonio, vbi conſenſus, non verbis, ſed factis expreſſus valet ad rationem Sacramenti, & ad probationem judicialem contractus nuptialis: ſic in propoſito frequentatio concionum, ſeu liturgiarum Hæreticarum habetur, ſecundùm ſtilum communiter intelligentium pro ſufficienti manifeſtatione Hominis Hæretici, & à vulgo vi iſtius actus tales habentur. Ergo, &c.

9. Excuſant quidem aliqui Doctores ſubinde hominem à profeſſione infidelitatis exuentem habitum fidelis, & induentem infidelis v. g. inter Turcas & alios, modo abſit ſcandalum, quia *ex alijs multis cauſis ſolet fieri*, vt loquuntur ijdem Doctores. Argumentum igitur à contrario, frequẽtantem Eccleſias Hæreticorum Hæreticum ſeu profitentem

fitentem ſe Hæreticum declarat. Nam priores iſti actus ex naturis ſuis non ſunt actus Religionis omninò. Audire verò Conciones vel intereſſe Liturgijs ex natura ſua non æquè indifferenter ſe habet ad alios fines ac ad Religionem, vt patet ex ſe, & confirmatur ex ſuperius dictis & deinceps dicendis.

Deindè ratio quare Doctores dicunt inter Hæreticos licere carnes comedere diebus prohibitis, eſt, quia eſus Carnium non eſt inſtitutus ad profeſsionem falſæ Religionis, nec abſtinentia à Carnibus inſtituta eſt ab Eccleſia, ad diſcernendos Catholicos ab Hæreticis, ſed ob alios fines vulgaritèr notos ſc. ad caſtigandam carnem, &c. Vtraque hæc ratio concludit illicitum fore adire Eccleſias, &c. Nam ex oppoſito conſequentis ſemper ſequitur oppoſitum antecedentis, licet non è conuerſo. De oppoſitione verò conſequentis, nemo dubitare poteſt, nam frequentare Eccleſias, &c. tàm ab Eccleſia, quàm ab Hæreticis inſtituitur ad fines dictos, ergò, &c.

Hìc igitur valet illud *Tertulliani* de *Corona Militis. Non admittit ſtatus Fidei allegationem neceſsitatis. Nulla eſt neceſsitas delinquendi, quibus vna eſt neceſsitas non delinquendi.*

Quod verò aliqui ſibi abblandiuntur, volendo hoc etiam fieri poſſe in ſignum externæ ſolum obedientiæ, præſcindendo actum Religionis, &c.

Opportunè obuiat *Auguſtinus* Ep. 200. *Non debemus conſuetudinem ſermonis humani inepta loquacitate confundere, & in rebus decernendis frequentata vocabula, perturbata ſignifitatione miſcere.*

Actus nempè hic in communi hominum æſtimatione, non ſolum eſt actus Religionis vt ſic, ſeu in genere, ſed ſpeciem deſignat, & ideò aliud velle ſignificare, eſt *ineptè confundere* & perturbate *miſcere* quod vel minimè licet, dùm de Religione agitur. Præciſiones iſtæ, vt conſtanter doceo, valent in Scholis, rarò in foro vel templo. Et ideò rectè dicit D. *Tho.* 2. 2. q. 2. a. 1. & ex ipſo *Cajet. Non refert an quis mentiatur verbo, vel quocunque alio ſigno,* & procedit ſpeciatim in materia religionis.

Mirè, ſed fruſta, ab aliter opinantibus torquetur *Hieronymus* vltra ſuum

Digitized by Google

ſuum intentum, vt videre eſt apud *Auguſtinum* Ep. 8. & 9. vbi tota rei ſeries perpenditur, licet ſimulationem aliquam ſanctis hominibus præſertim Petro, quam etiam Chriſto tribuit ſuper *Gal.* 3. *Ipſe Dominus noſter non habens peccatũ, nec carnem peccati; ſimulationem peccatricis Carnis aſſumpſit, vt condemnans in carne peccatũ, nos in ſe faceret iuſticiam Dei*. Simulationem igitur aliquam admittit, nempe ad *faciendam juſticiam Dei*, & vt paulò ante *ob ſuam & aliorum ſalutem*. Simulatio quæ & in quantum cõſiſtere poteſt cum juſticia Dei, *ob propriam & aliorum ſalutem*, permitti poteſt ſecundùm *Hieronymum*, non alia: & ideo non quæ hic agitatur, nec exempla quibus vtitur, huc vſque attingunt. Manet ergo firmũ ſimulationem (de qua in caſu noſtro) eſſe illicitam, nec eximere eos à Cenſuris prædictis. Quod etiam apertè concluditur ex Epiſt. ſuperius citata *Athanaſij* & cæterorum Epiſcoporum in *Alexand.* Concilio. In Ep. etiam ſua ad *vbiq; Orthodoxos*, ſummè cauendum docet *ne Arrianorum perfidia, Eccleſiæ Fidei admiſceretur*: quod *cœtus* commiſcendo, fieri judicat.

11. Partim etiam excommunicantur per locum Bullæ citatum, quia ſunt fautores Hæreticorum quâ tales ſunt: nempe conjungunt ſe Cætui eorum in ſolemni & principali ſeparationis actu, neque hoc vllo modo negari poteſt.

Tertiò, excommunicantur ipſo facto per antiquum jus: *Quicunque conſulendo, fauendo aut juuando communicant cum aliquo in crimine, ob quod ille eſt excommunicatus c. Nuper, c. ſi Concubina, De ſententia Excommunicationis*: Sed ipſi Hæretici excommunicantur ob crimen non ſolum Hæreſeos, ſed etiam Schiſmatis, cuius præcipuus actus eſt facere congregrationes ſeparatas ab Eccleſia in Diuinis, verbum Dei interpretando, ſolemniter orando, & Sacramenta participando, &c. Sed accedentes ad Templa eorum, vt prius, fauent & juuant communicando cum eis in hoc crimine. Ergo.

Quartò excommunicantur vt Schiſmatici, quia hoc facto ſe ſeparant ab vnitate Eccleſiæ, licet credant omnia, vt tenet *Nauarrus* in ſecunda excommunicatione Bullæ Cænæ, vt patet in Manuali.

Ex quibus conſequens eſt, quod admitti non poſſunt ad Sacramenta

Oo Eccleſiæ,

Digitized by Google

Eccleſiæ, & non ſolùm peccant mortaliter, ſed etiam ſunt Excommunicati Sacerdotes, qui eos ad Cõfeſſiones admittunt: quia non aboletur jus antiquum hac in parte, quo cauetur ſub illa pæna, ne communicemus cum ipſis in Diuinis, vt videtur colligi poſſe ex conſtitutione *Martin*. 5. citata, & diuerſis clauſulis Bullæ Cænæ, tales Sacerdotes excommunicantur; quia eos abſoluere manentes in illa externa profeſſione Hæreſeos, eſt fauere Hæreticis.

12. *Dico vltimò, Quod eſt contra jus ciuile.* Nam *Theodoſius* prohibuit ne Hæretici haberent Congregationes, vel alij eas frequentent, vt habetur l. *Omnes vetitæ.* Cod. de Hær. & Manich.

Habetur etiam L. *Nullus.* C. de ſumma Trinitate & Fide Cathol. *Arceantur cunctorum Hæreticorum ab illicitis Congregationibus turbæ*, &c. & l. *Cuncti.* C. de Hæreticis & Manich. *Cuncti Hæretici procul dubio nouerint omnia loca ſibi adimenda eſſe*, &c.

Iuſtinianus adeò efferbuit, vt etiam omnes illorum libros & ſcripta juſserit comburi, & ſub pœna mortis prohibuit, ne quis ſeruaret vel eis vteretur, vt refert *Nicephorus* l. 17. c. 9. Sic *Conſtantinus* & alij libros ſcilicet conciliariter condemnatorum Hæreticorum.

13. Et de his agens *Becanus* c. 15. *De pœnis Hæreticorum* quærit quomodo cognoſci poteſt, quantum legi poſsit in his, ſine Excommunicatione Indicis librorum prohibitorum & Bullæ Cænæ, etiam in locis vbi iſta duo recepta ſunt.

Reſpondet vt ſolet clarè, ſicut in furto, hoc æſtimari debet à notabili damno, quod infertur Proximo, nam non eſt æquale damnum quod infertur Diuiti & Pauperi in eadem materia: ſic non eſt æquale periculum docto legenti & ignaro, nec viro conſtanti & leui. Non poteſt autem in[illegible] Excommunicatio ſine peccato mortali, nec eſt peccatum mortale ſine notabili damno legenti, ſcilicet ponendo ſe in notabili periculo. Hæ igitur circumſtantiæ attendi debent in hujus rei ſolutione, ſicut in furto. Si verò aliquis Diues haberet amplas terras, quas non colat, ſed prorſus eſſent inutiles, ſi excoluero & cepero fructus, non pecco mortaliter, quia nullum infero damnum: ſic in propoſito. Et ideò *Curiel* (vt retulit mihi quidam Grauis Doctor Duacenſis)

Digitized by Google

Duacenſis,) popularis noſter *D. Leander Benedictinus*, cui etiam aſſenſit, putauit non eſſe mortale, ſi viri docti & conſtantes legerent tales libros: Secundùm illud *Hieronymi* in Ep. 65. *Quis mihi interdicere poteſt, ne legam Inſtitutionum (Lactantij) libros, quibus contra Gentes ſcripſit fortiſſime, quia ſuperior ſententia (negabat Spiritus Sancti ſubſtantiam) deteſtanda eſt*, &c. Et paulò ante de lectione *Origenis* agens ex Apoſtol. 1. *Theſſ.* 5. dicit. *Omnia legentes, quæ bona ſunt retinentes.* Et in Ep. 76. à *Tranquillino* viro docto conſulebatur, an *Origenis* libri poſſent legi, reſpondet. *Ego Origenem propter enodationem ſic interdum legendum arbitror, quomodo Tertullianum, Nouatum, Arnobium & Apollinarium & nonnullos Eccleſiaſticos Scriptores Græcos pariter & Latinos, vt bona eorum eligamus, vitemusq́; contraria*, &c. Poſtea. *Nec propter dogmatum prauitatem, ſi quos Commentarios in Scripturas ſanctas vtiles edidit, penitus reſpuendi ſunt. Sed redeam*: Huic propoſito optimè inſeruit hiſtoria, quam refert *Euſeb.* l. 5. c. 6. aliàs 5. *Viſio quædam cælitus ad Dyon. Alex. demiſſa fuit, dum dubitaret an deberet legere libros Hæreticorum, quæ ipſum confirmauit & vox ad aures collapſa manifeſto præcepit ad hunc modum. Omnes libros quos ſumis in manus euolue ſedulò. Ratio redditur: Nam ſatis habes virium & firmitatis ad quæque, tùm conuincenda, tùm exprobanda. Atq́; hæc cauſa erat, cur in initio ad Fidem Chriſti conuerſus fueris. Addit Dyoniſius viſionem, vt poteritè conſentientem voci Apoſtolicæ (ſitis diligentes animaduerſores, & veluti traperitæ qui argentum probant) lubens equidem approbaui. D.* etiam *Bonau.* in fine opuſculi de tribus quæſtionibus ad Magiſtrum innominatum dicit, *Si quis ſtuderet in dictis hæreticorum, vt eorum ſententias declinando magis intelligeret veritatem, nec curioſus, nec Hæreticus, ſed Catholicus eſſet.*

Quod verò obijcere ſolent hæretici, vt *Gerganus* in ſuo Catechiſmo Græco, & alij communiter: ne quidem licere laicis apud nos legere Sacras Scripturas, &c. Reſpondet Caryophilus in ſua eiuſdem *Refutatione* Romæ impenſis S. Conrgegationis de prop. Fide fol. 192. *Nuda ſcripturæ lectio, eſt* veluti fructum tangere, quod nulla lex prohibet: *interpretari* verò ſcripturam, eſt veluti fructum edere; & hoc *prohibet lex*. De ſcripturis in vernacula lingua, eſt quidam Doctor lau-

datus Ordinis *S. Franciſci* Conuentualium Leodij, qui tradit lectionem laicis nullibi prohibitam; modo fidelis fuerit tranſlatio, & eò ſolùm ſpectare leges Eccleſiæ. Hoc obiter.

Auguſtinus etiam ſæpiſsimè meminit ſanctionum Imperialium contra eorum conuenticula, & ſpeciatim in Ep. 50. Epiſcopi & alij eorum Miniſtri in exilium mittuntur, ne concionando, &c. populum ſeducant. Alterius etiam meminit conſtitutionis Ep. *6*1. & in vtraque mirè laudatur manſuetudo Catholicorum, qui citra pœnam mortis puniunt, & oſtenditur Hæreticorum ſumma crudelitas, vt etiam de vnit. Eccleſiæ c. 17. vtrumque etiam fusè deſcribitur Epiſtolis 158. 160. Pro Paganis quidem erat ſupplicium capitale, non verò pro Hæreticis Ep. 48.

Acerbitates pænarum cum *Aug.* non facilè admittendæ ſunt, ſed eo modo agendum, quo explicat Epiſt. 50. ad *Bonifacium. Videtur* enim mihi, &c. *quod verè ex animo amico & tranquillo ſuſceptum tàm magnum negotium Domino opitulante peragamus* Epiſt. 161. vbi multa lectu digna ſunt. Pergo.

Non eſt opus plures Aduerſariorum rationes expendere, præter eas quas ſuperiùs tetigi contra veritatem declaratam, quia procedunt de ſpeculatiuo non practico, & ſubinde materiali non formali quæſtionis ſenſu.

14. Quod ſi aliqui aliud volunt, cauendi, non legendi ſunt, & eodem modo philoſophādum eſt de participatione ſynaxeos ipſorum; abſtrahi enim poteſt ratio panis vel vini ſimplicis à pane & vino Euchariſtico, & quod conſequens eſt, ſecundùm doctrinam eorum licitè ſumi poteſt ſub priori ratione.

Et certè videretur primâ facie ſequi ex Principijs *Adriani* 4. q. 1. de Bapt. vbi licitam vult eſſe ſimulationē Idololatriæ, caſu quo ſcandalum abſit, nec inſtet præceptum confitendi Fidem, &c. Valentia 3. p. diſp. 1. q. 3. puncti 2. dicit *Hæc ſententia videri poteſt non improbabilis*, &c. Vnde ob authoritatem & rationes horum, aliquis fingeret participationem Synaxeos quorumuis Hæreticorum non eſſe improbabilem.

Longè

Digitized by Google

Longè verò abſunt hi vel alij Doctores à tali reſolutione practica, ſed facile à peruerſis huiuſmodi ſpeculationes ſcholaſticæ ſic deprauari poſſent.

Sed *Athanaſius* in Ep. citata, oſtendit ſui temporis Catholicos quam longiſſimè ab iſta profanatione abhorruiſſe, in tantum quòd ſine ſynaxibus potiùs viuebant. *Certè iſta indignitas in cauſa eſt, quòd populi, Sacerdoteſq́ue ſeorſim, ſine ſynaxibus viuant, tacitè quidem propter vim Præſidis*, &c. Sed Libertini noſtri ſuſque deque omnia vertunt.

De hac re legendus eſt *Damaſcenus* ſuperiùs, in probatione concluſionis ſecundæ fuſè citatus, terrefaciet ſanè hujuſmodi vagæ religionis homines, ſi quid vel reſiduum habuerint timoris Dei.

15 Neſcio quid tandem reſtabit ad diſtinctionem veræ & falſæ Religionis, niſi (vt Iudæi in Italia ſolent) aliquid loco Galeri vel Pilei diſtinctum geſtare: nam in omnibus Diuinis extrinſecè conueniemus, ſecundùm principia quorundam. Nimirum, qui hoc adſtruunt, libentèr introducerent licentiam antiquam Philoſophorum, qui dùm *Athenis* in ſuis diuerſis Scholis oppoſita docerent dogmata quoad cultum, & ſubindè quoad numerum Deorum, & cætera indè ſequentia, in quibus adeò feruebant, vt ſeipſos calamis diſcinderent: tamen omnes in *iiſdem* templis Deos colebant: & ſic pedetentim loco Chriſtianæ religionis ſuperſtitionem habebimus Philoſophicam.

Certè approximant ad Hæreſim *Helcheſitarum* & *Priſcillianiſtarum*, qui docuerunt ſatis eſſe in tempore perſecutionis corde credere, licet exteriùs Chriſtum negent. Sed perſecutio eſt ſubindè neceſſaria, vt huiuſmodi falſi fratres propalentur, ſecundùm illud *Tertulliani* l. *de fuga in perſecutione. Quis eſt enim exitus perſecutionis? quis effectus alius, niſi probatio & reprobatio fidei? quâ ſuos vtique Dominus examinauit*, &c. *Hæc palea illa quæ & nunc Dominicam aream purgat, Eccleſiam ſc. confuſum aceruum fidelium euentilans, & diſcernens frumentum maturum, & paleas Negatorum. Hæ etiam ſcalæ quas ſomniat Iacob, alijs aſcenſum in ſuperiora, alijs deſcenſum ad inferiora demonſtrantes*, &c. Qui verò ſunt de numero eorum quos Deus ordinauit ad præmium, tempore perſecutionis non flacceſcunt, nec iſtis illicitis ſimulationibus

Deum & Fidem negant. De quibus iterum *Tertul.* inferius. *Eccleſia in attonito eſt, tùm & Fides in expeditione ſollicitior & diſciplinatior in jejunijs, & ſtationibus, & orationibus, & humilitate, in alterutra diligentia, & dilectione, in ſanctitate & ſobrietate. Non enim vacatur niſi timori & ſpei,* &c. Hæc ille. Quæ omnia & ſingula clariſſimè experimur in noſtri temporis Catholicis. Legantur acta Concil. *Sardicenſis*, præſertim Epiſtola Synodalis ad Ægiptios & Africanos Epiſcopos. Legatur Epiſt. *Athanaſij* ad ſolit. vit. colentes, vbi fusè perſecutiones Hæreticorum in Catholicos deſcribens, ſic loquitur : *Quis enim qui hæc facinora audierit, non putabit quiduis eos potiùs quàm Chriſtianos eſſe? Poſteà, verberari Chriſtianorum proprium eſt : flagellare autem Chriſtianos Pilati & Caiphæ officia ſunt.* Expendat æquus rerum librator hæc omnia. Diſcamus verò nos pati cum patribus noſtris, & in perſecutione proficere.

Audiant alij *Hieronymum* in Comment. in *Habacuc. Dum adhuc eſſem puer, & in Grammaticæ Ludo exercerer, omneſque vrbes victimarum ſanguine polluerentur, ac ſubitò in ipſo perſequutionis ardore Iuliani nunciatus eſſet interitus, eleganter vnus de Ethnicis : Quomodo, inquit, Chriſtiani dicunt Deum ſuum eſſe patientem & ἀνεξίκακον? nihil iracũdiùs, nihil hoc furore præſentius : ne modico quidem ſpatio indignationem ſuam perferre potuit.* Deus miros habet puniendi modos.

Vtinam certè legere dignarentur Populares noſtri quid ſcribat S. *Hilarius* ad *Conſtantium*, vbi poſt multa ad rem noſtram dicta, ſic proſequitur : *Deus cognitionem ſui docuit, potiùs quàm exegit : & operationum cæleſtium admiratione præceptis ſuis concilians authoritatem, coactam confitendi ſe aſpernatus eſt voluntatem. Si ad Fidem veram iſtiuſmodi vis adhiberetur, Epiſcopalis authoritas obuiam pergeret, diceretq; : Deus vniuerſitatis eſt, obſequio non eget neceſſario, non requirit coactam confeſſionem.* Poſteà, *Simplicitate quærendus eſt, confeſſione diſcendus eſt, charitate amandus eſt, timore venerandus eſt, voluntatis probitate retinendus eſt.* Poſteà, *Permittatur populis, vt quos voluerint, quos putauerint, quos elegerint, audiant docentes, & diuina Myſteriorum ſolemnia concelebrent, & pro incolumitate & beatitudine, Patri offerant preces. Non quiſquam peruerſus aut*

inuidus

Digitized by Google

inuidus loquatur. Nulla quidem ſuſpicio erit, non modò ſeditionis, ſed nec aſperæ murmurationis. Quieta ſint omnia & verecunda. Hæc & longè plura *Hilarius.*

Expendant Aduerſarij, & in omnibus ſuauitatem Chriſtianam oleant.

16 Concludi ergò debet, quòd tàm ex natura rei, quàm omni jure, Diuino & Humano, illicitum ſit frequentare Eccleſias Hæreticorum, de quibus in caſu, ad finem audiendi Conciones, juuandi in Liturgijs, ſeu communicandi in Diuinis.

Hoc ideo addidi, quia Doctores citati qui videntur cum aliquibus modificationibus non tàm feruidè condemnare acceſſus ad eorum conciones, &c. ſi intentè legantur, aliquandò non ſatis clarè diſtinguunt Schiſmaticos ab Hæreticis, de quibus in titulo, ponunt etiam conditiones in praxi incompoſſibiles, *vt ſine ſcandalo, ſine periculo, ad finem notandi errores Hæreticorum, & modo hoc in ijſdem locis ab alijs communiter agatur,* &c. vt apud eoſdem Doctores, & præcipuè apud *Valentiam* patet, quæ in praxi concurrere non poſſunt.

Optarem tamen quòd *Azorius* & *Becanus* ſub initiũ citati, cautiùs fuiſſent de hac re locuti. Eorum enim authoritatibus nixi & decepti aliqui *Scioli*, ex principijs eorum ſpeculatiuis, iniquitatem ſibi mentiendo, probabilem fingere volunt opinionem in ordine ad praxim. *Sed nemo vos ſeducat inanibus verbis, propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ. Nolite ergo effici participes eorum*, vt monet Apoſtolus ad *Epheſios* 5. Non me latet eos rem, alioquin claram obſcuris Amphibologijs inuoluere, vt leuiuſcula cujuſdam ſcripta oſtendunt, quæ in manibus vulgi ventilantur, ſed vt olim *Hieronymus* ad *Pammach.* Ep. 61. *Nolo verborum ambiguitates: Nolo mihi dici quòd & aliter poſſet intelligi. Reuelatâ facie, gloriam Domini contemplemur. Claudicabat quondam & Iſraeliticus populus in vtroque pede, ſed Elias, qui interpretatur Fortis Domini, Vſquequo, ait, claudicatis in vtroque veſtigio ? 3. Reg. 18. Si Dominus eſt Deus, ambulate poſt eum, ſi autem Baal, ſequimini eum.* Eſtote vel Eccleſiæ filij, vel adulteræ manifeſti ſpurij. Si ad Eccleſiam ſpectatis, Audite S. *Ignatium* ad *Magnetianos*: *Omnes in idipſum ad orationem*

tionem ſimul conuenite: vna deprecatio ſit communis, vnus animus, vna ſpes, dilectio immaculata in Fide Ieſu Chriſti, quia nihil aliud melius eſt. Omnes adunate, ad templum Dei concurrite ſicut ad vnum altare, ſicut ad vnum Ieſum Chriſtum Pontificem ingeniti Dei Patris. Deniquè attendamus ad S. *Paulum* ad *Gal.* c. 5. *Videte qualibus literis ſcripſi vobis mea manu, Quicumque enim volunt placere in carne ij cogunt vos circumcidi tantùm, vt crucis Chriſti perſecutionem non patiantur.* Huc certè collimant illi vaniloqui.

Redeamus vndè non inutiliter digreſsimus.

CAPVT XXVI.

Exponitur quo ſenſu dicatur ab aliquibus, Concilia non eſſe infallibilia.

1. EX omnibus hactenus hac in re dictis, apparet Doctores in capite 20. citatos pro errabilitate Conciliorum, ſi quid ſingulare dixerint, potius aliam quæſtionem tetigiſſe à Doctoribus frequenter motam, nimirum quid ad Concilium generale & œcumenicum conſtituendum, vel vt mauult loqui *Corduba*, quid ad hoc vt in *nomine Chriſti* & legitime congregatum dicatur, requiri debeat, quam de certis eorum definitionibus in dubium vocandis; vel vt loquitur *Baconus* in fine numeri 111. quæritur non tàm an decreta Conciliorum ſint infallibilia, quàm quando incipiant infallibilia eſſe & perfectè de Fide. Si enim conſtiterit per Eccleſiæ vniuerſalis admiſſionem ſeu non reſiſtentiam, Concilia celebrata verè fore œcumenica, de cætero non erit inter eos vel vllos Orthodoxos lis aliqua: licet in ſingulis fermè libris (de his rebus) ſcriptis noſtros authores aliter docere inſimulent, & multos ex celebribus adferant, quos legi diligentius, nec vt dixi differunt à doctrina communi, ſi paulò attentius legantur.

Vndè *Mirandula* poſtquam Theoremate. 8. docuerat illam Eccleſiæ non reclamationem fore neceſſariam, in expoſitione Theorematis addit,

addit, Diximus in Theoremate *Quoad dum vniuerſalis Eccleſia non reclamaret, quam particulam ob eorum opinionem addimus, qui credunt poſſe fieri vt Pontifex Summus & Concilium aberret*, &c. Vult igitur quòd in omni ſententia Catholica, hæc definiendi infallibilitas Concilijs nunquam negabatur. Et ideò *Petrus d'Aliaco* tàm in Veſperijs, quàm in quæſtione De reſumpta, licet duriùs reliquis de hac re videatur locutus, tàm in ſuo, quàm aliorum opinantium nomine, de quibus dicit: *Probabiliter reſpondent aliqui, quod Conc. generale poteſt errare*, &c. *tamen quando, & in quantum Concilia vniuerſalia acceptantur ab Eccleſia vniuerſali infallibilitatem eis tribuit.* Vndè in *reſumpta* reſpondendo ad quoddam argumentum, dixit, quòd *illi qui ſunt in Concilio Generali*, &c. *non propter hoc ſunt in fide confirmati, nec valet replicatio, quia non ſic poteſt argui de Eccleſia vniuerſali.* Nam *licet ſit viatrix, tamen confirmata eſt in Fide vniuerſalis Eccleſia, nec talis confirmatio repugnat ſtatui via*, &c. Ex quo ſequitur manifeſtè, quòd ſi definitiones Concilij ſint acceptatæ, ſeu non reclamatæ, ab Eccleſia vniuerſali, jam ſunt Fides ejus, & conſequenter infallibiles, & hoc tàm in judicio ſuo, quàm in cæterorum qui cum *Aliaco* conueniebant in duriori, illo loquendi ſtilo, quos illa ætas videtur plus cæteris genuiſſe. Quoad ſenſum verò illum explicitum, vel implicitum, verum vel interpretatiuum vniuerſalis Eccleſiæ, per modum ſigni legitimi Concilij requiſitum, præter Doctores citatos, tenent & alij infiniti in terminis, alij in conſequentia neceſſaria ad illa quæ ponunt principia. Et reuera abſtrahendo ab omni opinione, & loquendo ad rem ipſam: Quandoquidem ſecundùm regulas quas hactenùs poſuerunt Doctores de modo diſcernendi Concilium verè vniuerſale, ſit negotium valde perplexum, multi etiam multa objectare ſoleant, ex nimia ſubinde cauillandi libidine contra Conciliorum rectos procedendi modos, quibus ea illegitima eſſe, ſeu *in nomine Chriſti* non congregata eſſe contendunt, in quibus non parum faceſcunt nobis moleſtiæ: in his verò omnibus, hoc ſaltem modo multum diminuetur difficultas, arguendo *à poſteriori*, ex ipſa ſc. receptione Eccleſiæ: vtique ſi Eccleſia pro vniuerſali receperit, non erit opus ſcrupuloſius indagare minutiora, adeò vt hæc receptio

Digitized by Google

nobis manifeſtet, quodnam Concilium æſtimari debeat tale.

Denique in hoc ſenſu bene dicit *Occhamus* de mente *Aug.* quam ibi refert 3. Dial. tract. 1. l. 3. c. 24. *ſiue fuerint Summi Pontifices, ſiue alij, ſiue ſcripſerint aliquid in Concilio generali, ſiue extra, conſimile de ijs judicium eſt habendum, vt in his quæ ſcientiæ vel juris ſunt, non ideo aliquid putetur certitudinaliter modo prædicto (ſcilicet infallibili) eſſe verum, quia ipſi ita ſcripſerunt, niſi id vel per Scripturam Diuinam, vel rationes irrefragabiles, aut operationem miraculorum, aut per approbationem Vniuerſalis Eccleſiæ perſuadere voluerint.* Quam eius doctrinam tutiſſimam æſtimo, & ab omnibus fermè Catholicis amplexam.

Huc vtique reſpexerunt *Corduba, Petrus* à *Soto* & plurimi alij volentes tunc ſolum aliquid ex Concilijs generalibus reijciendum occurrere poſſe, quando *defectus aliquis eorum quæ ad legitimam Concilij Concluſionem neceſſaria ſunt, contingit*, vt locutus eſt *Petrus* à *Soto* ſuperius Capite 10. Quod certè in re idem prorſus eſt cum illa opinione *Waldenſis, Mirandulæ*, & cæterorum; licet in ipſis ſingularem aliquibus viſa ſit continuiſſe doctrinam, ſed vtramque ſententiam expendent doctiores, & illam licet ſpecie tenus minus in Scholis amplexam, nimirum quia ab aliquibus Theologis male intellectam, judicabunt re quidem vera eſſe communiorem opinionem.

2. De huiuſmodi Concilijs verè œcumenicis ſic loquuntur Patres *Baſilięſes* in Reſpōſione Synodali: *Nec quiſquā illud dicere præſumat, Quòd aliquod generale Concilium legitimè congregatū inualidū ſit, aut errare poſſit: quia ſi hic pernicioſus error admitteretur, tota Fides Catholica vacillaret, nec aliquid certi in Eccleſia haberemus: quia qua ratione poteſt errare vnū, poſſent errare & reliqua. Hieronymus* etiam tanti æſtimauit veri Concilij Generalis authoritatem, vt in fine Diſputationis contra *Luciferianos*, dicat. *Poteram omnes diſputationum tuarum riuulos hoc vno Eccleſiæ ſole (nempe* Concilij Generalis authoritate) *ſiccare.*

Quod ad *Auguſtinum* ſpectat, locum in initio citatum expendi, nec inficias eo quin citatæ opinioni modo expoſito, hoc eſt quoad errabilitatem in leuioribus & ſuperfluis fauere videatur; ſufficit verò mihi quod dicat in alijs locis frequenter, meritiſſimè Hæreticum reputari

putari debere, qui non adhæſerit definitionibus Concilij plenarij; ex hoc enim, vt alibi notaui excuſat *Cyprianum* ab hæreſeos macula, quia nondum res erat in Concilio plenario deciſa. l. 1. de *Bapt.* cont. *Donatiſt.* c. 18. quod etiam ſatis inſinuat l. 2. c. 4. Nec tamen hoc dicere poſſet, niſi credidiſſet Concilia vniuerſalia eſſe ſimpliciter infallibilia, quicquid dicant aliqui Neoterici Scriptores: ne quidem potuiſſet dicere talem eſſe Schiſmaticum, quia *non obedientem*: ſed Hæreticum ſine injuria non potuiſſet appellare niſi pertinaciter errantem in Fide. Nec tamen hoc poſſet dici de aliquo non adhærente Conciliari definitioni, niſi illa definitio eſſet Fides: Nec certè argueret Fidem, ſi Concilium errare poſſet, vt ex ipſis terminis conſtat.

Ex notiſſima igitur illa *Auguſtini* doctrina de Homine Hæreticante, qui non adhæſerit Definitionibus Conciliorum, prorſus ſequitur in judicio ſuo, Concilia, vt dixi, eſſe infallibilia: & certè hoc ipſum conuincit contra eoſdem *Authores*, omnes alios Patres fuiſſe eiuſdem ſententiæ, cum frequenter eundem loquendi Stilum adhibuerint.

Vndè *D. Petrus Chryſologus* ſerm 132. titul. de vnitat. Fidelium. *Vbi ſunt qui præſumunt Eccleſiæ conuentum poſſe cõtemni, & ſolitarias preces venerandæ congregationi autumant anteferri: ſi duobus vel tribus ſimul poſitis medium ſe futurum, & omnia ſe promittit, quæ poſtulatus fuerit, præſtiturum? Qui nil negat tam paucis; quid in Concilijs & congregatione Sancta Sanctorum poſcentibus denegabit?* Sed Redeam ad *Auguſtinum*.

3. *Petrus* quidem à *Soto in aſſertione Catholica* tit. de *Concilijs* videtur in Compendium reducere omnia quæ in alijs locis. *Auguſt.* de authoritate Conciliorum etiam vniuerſalium dixit, nec tamen infallibilitatem tribuit ſimpliciter abſolutam, ſi præſcindatur Eccleſiæ receptio, ſeu conſenſus. In libro ergo. 2. de Bapt. cont. *Donat.* c. 3. dat ijs poſt Scripturam ſummum locum. 4. etiam & 9. Capitibus, eorum authoritati & Eccleſiæ conſenſui certiſſimam Fidem adhibendam aſtruit. In Ep. etiam ad *Ianuarium* eorum authoritatem ſaluberrimam eſſe ait, & inſaniæ eſſe de eorum definitionibus dubitare affirmat. Notandum illud verbum *Dubitare*. Hæc ſumma.

Hoc addo, quia aliàs infallibilem planè fatetur Eccleſiam Catho-

Digitized by Google

licam, vt nunc & alibi inſinuaui, & infinitis alijs patet apud eum locis, & conſequenter Definitiones Conciliorum ab Eccleſia receptas, ſeu non rejectas. Et certè illis *nolle primus dare vel ſummæ impietatis eſt, vel præcipitis arrogantiæ*. De vtilit. credend. c. 17. Vnde meritiſſimè dicit *Gerſonius* lib. de vita ſpirit. lectione 2. Determinationem Eccleſiæ ritè factam (*ſuppono in his quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria*) *errare non poſſe*. Notanter dicit *ſuppono*, quia apud Chriſtianos hoc per modum principij ſuppoſitionem requirit, non probatione indigere debet.

Aliqua tamen loca *Auguſt*. omiſit *Soto* l. 1. cont. *Donat*. c. 7. *Donec plenario totius orbis Concilio quod ſaluberrimè ſentiebatur, etiam remotis dubitationibus firmaretur*. Non licet igitur *dubitare* poſt definitiones Conciliares. l. etiã. 2. c. 4. multum tribuit Conc. vniuerſalibus. l. etiã 7. c. 53. Nec putem vllum apud *Aug*. ſupereſſe locum pro infallibilitate Concilior. notabilem, præter ea quæ hîc adjeci, & aliàs pro re nata citaui. Nec vllus Orthodoxus hæc negare poteſt: Hæretici enim ſunt de quibus *Paulus*. 2. *Tim*. 3. *Qui ſemper diſcunt, & nunquã ad Scientiam veritatis perueniunt*, nempe quia non hærent Eccleſiæ judicio vniuerſali. *Leo*, etiam Ep. 77. ad *Athan*. jubet quẽdam *Atticum* Præſbiterũ aut acquieſcere Chalcedonenſi Concilio, aut *excommunicari*, & hoc apud veteres eſt frequentiſſimum, & ipſorum Conciliorum Stilus ordinarius, & Fidelibus jure maximo Formidabilis. Nam ſine dubio veriſſimè dici poteſt de Concilio verè vniuerſali, quod olim *Tertul*. contra *Gentes* c. 39. loquens de magna ſui temporis Prælatorum cautela: *Hac in re & judicatur magno cum pondere, & apud cæteros de Dei conſpectu, ſummumq́, futuri judicij præjudicium eſt*. Certè dum Conciliorum vniuerſalium authoritatem tractant Doctores, *magno cum pondere*, iudicant pro maxima quæſtionis grauitate, vt ex hactenus aſſertis patet & in ſequentibus adhuc manifeſtius erit.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XXVII.

Quot Eccleſiarum Congregatio requiratur ad Concilium vniuerſale?

1. VEritas Propoſitionis noſtræ in prioribus capitibus aſſertæ non frigidè declaratur, ſi expiſcemur quid Patres vlterius præter ea quæ hactenus dixi, requiſierint ad verum Concilium vniuerſale. *Auguſtinus* l. 3. de Baptiſ. c. 4. deſcribens Generale Concilium quod in *Cypriani* cauſa cogebatur, enumerat totius Orbis regiones quas dicit conſtitiſſe *Latinis*, *Græcis*, *Barbaris & Hæbreis*. Sic etiam fecerunt Patres Sardicenſes in Epiſtola Synodica ad vniuerſi Orbis Epiſcopos. In initio enim Epiſtolæ omnes pænè nationes ferunt interfuiſſe Concilio, & hinc Synodi vniuerſalis dignitatem conciliauit. Prout etiam *Athanaſius Apol.* 2. contra *Arrianos* de eodem Concilio agens, enumerat omnes Prouincias mundi, & inter cæteras Britanniam noſtram. Et ideò ſeptima Synodus act. 6. judicauit Concilium *Conſtantinop.* contra *Imagines* non fuiſſe Generale, quia ſonus non exijt *Indictionis* in omnẽ terram, & etiam quia non habebat omnes *Patriarchas* nec eorum *Delegatos*, quod vt plurimum ſecundum veterem Eccleſiæ praxim, ad Concilium œcumenicum requirebatur, vt rectè notauit *Bellarminus* poſt *Cuſanum*, tùm alibi, tùm præcipue lib. 2. c. 18. vbi ſic loquitur. *Ex hoc euenit quod in Synodis vniuerſalibus conſiderari debet, an ſit ordinata Cõgregatio, quæ ex vnione Synodica repræſentare habeat vniuerſalem Eccleſiam, puta ex Papa, Patriarchis, & Prouinciarum Capitibus*, &c. Et rectè quidẽ *Cuſanus*, nam in primo Concilio ſcilicet Apoſtolico, quod eſt norma Poſteriorum, ſic actitatum legimus: Non ſolum Apoſtoli interfuerunt, ſed legati Eccleſiarum Gentium ſcilicet *Paulus & Barnabas* miſſi erãt, vt Acta huius Cõcilij teſtãtur. Vndè rectè obſeruauit *Cardinalis Polus* de Concilio q. 7. *Ideo à Græcis eiuſmodi Conuentus* σύνοδος οἰκουμενικὴ *appellatur quaſi dicas, Orbis terræ ſparſos populos*

Digitized by Google

pulos & nationes Fidem ſuam profitentes, aliquo modo conuenire dicere poſſumus. Igitur quoad hoc bene dixit *Charonus* de *veritate tertia* l. 3. ſufficere ad Concilium Generale, quod aliquis accedat ex ſingulis, prouincijs, vel ex majori parte Prouinciarum, & quod celebriores,& quod omnes Prouinciæ aduocentur. Et conſequenter ad receptiſſimam hanc doctrinam, dixit *Stephanus Gardenerus* celeberrimus olim Epiſcopus Wintonienſis & Summus Angliæ Cancellarius, in Epiſtolis ſuis quæ habentur in Chronicis Regni (tunc in Carcere exiſtebat ob Fidem Catholicam) ad Comitia Regni directis, quibus de jure intereſſe debuerat, *Quod ſi aliquis qui habet jus aſſidendi in Concilio vniuerſali, impediretur à Præſidentibus vel Rectoribus Concilij, præſertim dum de Religione tractatur, quo minus intereſſe poſſit, quicquid in tali caſu determinaretur, ſecundùm leges totius orbis, irritum & inane judicaretur, ob injuſtam ipſius abſentiam*. Verba notatu digna. Si hoc eſt verum de vna perſona, quid de Prouincia?

2. Vndè *Roſſenſis* in art. 29. requirit ad Concil. Plenarium Pontificis & ſingularum Prouinciarum aſſenſum.

Conterraneus Noſter Guilielmus Nubrigenſis, in ſua Hiſtoria, à Noſtratibus quidem citatus, agens de Concilio Generali Lateranenſi ſub Alexandro celebrato ſic ſcribit. *Quod autem conuocandi Concilij intentio ſatis ſincera non fuit, Romanæ auariciæ prouiſio patefecit. Multi enim euocati, quibus iter eundi ad Concilium difficile vel intolerabile videbatur: interuentu pecuniæ impudentiùs turpiùſq; exactæ, quam præſtitæ relaxari meruerunt*, &c. Hæc dico eius verba non impediunt Concilium fuiſſe Generalè, quandoquidem legitimè vocabantur, legitime etiam impediebantur ex intolerabilitate itineris (quam ipſe fatetur) nec illa quanta quanta nummorum exactio hoc impedire poterat, vt facile judicabit lector ex Principijs poſitis, licet putem falſum eſſe quod narrat. Quomodo ſcilicet Eccleſiam vniuerſalè repræſentare poſſunt (quod in omnium judicio neceſſum judicatur) ſi tam Nobilis Eccleſiæ pars ex injuria abſuerit vel non fuerit aduocata? Et ideo *Baſilius* Epiſt. 75. non aliter deſcribit Communionem totius Eccleſiæ quam in Commu-

Digitized by Google

in Communione *Epiſcoporum per orbem terrarum in Fide Conjunctorum*, & ibidem enumerat fere ſingulas orbis partes in eadem Fidei ſocietate coadunatas. Patres denique Græci in Concilio Florentino ſeſſ. 25. ſic ſtatui volebant: *Ne* (ſcilicet Papa) *conuocet Synodum œcumenicam ſine Imperatore & Patriarchis, ſi conueniant: quod ſi aduocarentur, & non veniant, ne propterea impedimento ſint, quo minus Synodus fiat; aduocari ergo debent omnes.* Quod credo certiſſimum: licet ſecundùm eos & veritatem, non ſit neceſſarium omnes adeſſe. Vtrumque etiam apertè tenuit *Ambroſius* vt patet in actibus Concil. Aquilegienſis in cauſa *Palladij* Hæretici, qui negauit cauſam ſuam, quæ ſcilicet erat cauſa Fidei, cognoſci poſſe propter abſentiam Orientalium Epiſcoporum: cui reſpondet *Ambroſius*, eos fuiſſe vocatos, & hoc ſufficere ad Concilium vniuerſale conſtituendum, licet non potuerint adeſſe. Et eodem plane modo reſpondent noſtri Iuriſperiti, minorem ſcilicet partem Eccleſiæ poſſe pronunciare, ſe conſtituere Concilium Generale, & apud eos eſſe totam Iuriſdictionem Concilij in iſtiuſmodi occurrentijs, vt *Petrus de Monte* concludit in libello de poteſtate Papæ, vt refert *Felinus* in cap. ſuper liter. in c. Charta v. *An ſua ſit Juriſdictio* de reſcript. cui aſſentit *Philippus Decius* in ſuo Concilio pro Eccleſiæ authoritate.

3. Demum quod referunt aliqui contra Concilia poſteriora celebrata in Eccleſia Latina, non ideo eſſe vniuerſalia, quia Græci non adfuerunt.

Reſpondet *Cuſanus* de Concor. l. 2. c. 15. & c. 20. *Hodie (proh dolor) Catholicæ vniuerſalis Eccleſia & Parochialis Romanæ Sedis vnum eſt Concilium, cum tota Eccleſia redacta ſit, ad illum tantum Patriarchatum.* Et conſequenter ad hoc *Barlaamus* in Epiſt. ad *Demetrium*, poſt multa ſic dicit. *Quare ſi putas neceſſarium eſſe Generalibus Concilijs ad totius complementum, & quatuor intereſſe Patriarchas, & audias poſt Schiſma, Generalia aliqua Concilia per Papam eſſe facta: noli quærere vtrum & Schiſmatici Patriarchæ illis interfuerunt: ſed ſi eorundem Patriarcharum Fideles viuentes & vniti ſuo Capiti Patriarchæ interfuerunt: non oportet plus hoc quæri, Generalia enim Concilia non ex Hæreticis & Schiſmaticis, ſed ex Ortho-*

Orthodoxis & Eccleſia vnitis colligi debent. Hæc ille. Et certè *Cyprianus* Epiſt. 69. videtur fundamenta jam tum ad hanc opinionem jeciſſe, dicens, *Eccleſia tamen à Chriſto non recedit, & illi ſunt Eccleſia, plebs Sacerdoti adunata, & Paſtori ſuo grex adhærens.* Dixi ex communiori Doctorum, Concilium eſſe vniuerſale, quod repræſentat Eccleſiam vniuerſalem, ſed ſecundùm *Cyprianum* illa eſt Eccleſia vniuerſalis quæ adhæret ſuo Paſtori, & *non multitudo* quæ diſceſſit, vt ibi loquitur *Cyprianus.* Ergo.

4. Ex quo ſequitur ſecundùm mentem *Cuſani* & *Barlaami* & etiam *Cypriani* Concilium vniuerſale hodie æſtimari debere, quod hunc Patriarchatū ſufficienter repræſentat; cum in illo diſtrictio conſiſtat, & fere circumſcribatur Eccleſia vniuerſalis, exceptis Indorum Epiſcopis, & alijs in Regionibus Schiſmaticorum & Infidelium ſubinde latitantibus, qui etiam vocari debent. Græci etiam Schiſmatici poſſunt conuocari, ſiue venerint necne; Sic etiam alij Epiſcopi Schiſmatici & ſi venerint, audiri, ſecundùm ſuperius dicta. Hoc vtique petebant Græci dum citarentur ad *Baſilienſe* & *Florentinum*, ſcilicet *vt de Fide diſputarent, vt viderent quid eſſet tenendum.* Vnde in eorum ſaluo Conductu, *poſtularunt quod liberè poſſent proponere, reſpondere, & contradicere, & facta vnione ipſorum, ſiue non, liberè poſſent redire.* Sic refert *Panorm.* de Concil. *Baſil.* dub. 1. & à Patribus tàm Baſileæ, quàm Florentiæ concedebatur. Sic etiam factum legimus in *Tridentino* pro Proteſtantibus, & eſt vſus Eccleſiæ, non ſolum citare ad puniendum, ſed etiam ad audiendum. Nec mirum *quia citatio eſt judicij fundamentum in c. quoniam de proba & in §. fi. inſti. de pœn. temere litigantium,* &c. Quod ſi citati non venerint, excluduntur, propter eorum contumaciam, & jus totum Concilij in præſentibus reſidet, vt colligitur ex *Innoc.* in c. *Cum nobis:* & de conſenſu vtriuſque Eccleſiæ ſic decretum fuit in *Florentino*, vt ſuperiùs notaui.

Puto igitur ſuperiùs citata ex *Ambroſio* & Græcis in *Florentino* eſſe veriſſima, præſertim ſi poſt Concilium, Acta omnibus Catholicis in reliquis orbis partibus exiſtentibus mittantur, vt ea vniuerſim innoteſcant, & ſaltem negatiuè approbentur. *Almaynus* etiam in ſuo de authoritate

thoritate Eccleſiæ tractatu, C. 10. dicit ex *Cuſano, quod Concilium ſi ſit vniuerſale, debeat de qualibet Eccleſia particulari aliquis eſſe, qui gerat vices eius, vel ſaltem debeat eſſe ſufficienter vocatus.* *Syluester* verò ad Concilium requirit, quòd omnes vocentur, & quòd ſaltem duæ partes omnium Epiſcoporum orbis interſint, addit: *vel fortè major pars ſufficit.* Quod dicit de vocatione eſt certiſſimum. Et *Roſſenſis* ad art. 29. ſimpliciter requirit cunctos præmoneri, quorum intereſt adeſſe. De numero vero qui neceſſariò ex Prouincijs aduocatis intereſſe debent, iterum tango cap. 37. & oſtendo ex antiquorum judicio non requiri tàm magnum numerum, ſed habiles perſonas, & de ſenſu ſuarum Eccleſiarum inſtructas.

Octaua verò Synodus Act. 5. vocat Concilium Generale, *Conuentum orbis terræ vel conſenſum totius Eccleſiæ.* Vel vt loquitur *Gregorius Magnus, quæ vniuerſali ſunt conſtituta conſenſu* d. 16. c. *Sicut vnde* 6. c. 61. requirit pro conditione reconciliationis Hæretici Neſtoriani, *vt promittat venerandas Synodos, quas vniuerſalis Eccleſia recipit, ſe recipere & venerari.* Non igitur ſatis eſt ad ſtatuendum Concilium vniuerſale, vt legitimum de ſeipſo teſtimonium præbeat, licet hoc velit doctiſſimus *Vega* ſuper *Trid.* hoc enim Concilia illegitima & ſchiſmatica fecerunt, vt rectè obſeruat *Bellarminus*, & proinde aliunde hoc petendum eſt, nempe ex regulis ſeptimæ & octauæ Synodorum iam aſsignatis, vel ex definitione Concilij Generalis, quam ſuperiùs attuli ex *Cuſano*: cùm ſecundùm *Hieronymum*, Ep. 85. & veritatem, *Orbis Eccleſia ſit omnes Gentes & nationes, vnum Chriſtum adorantes, vnam obſeruantes Regulam*, &c.

5. Conſequens eſt illud Concilium ſolum eſſe œcumenicum, quod conſtat ex omnium nationum Prælatis, quia aliàs non erit totius Eccleſiæ repræſentatiuum, vt patere videtur. Quod per ſe loquendo eſt verum, ſecundùm hanc rationem *Hieronymi* & definitionem datam: per accidens verò cenſebitur eſſe totius orbis repræſentatiuum, ſi omnes nationes fuerint vocatæ, licet nō aduenerint Singulæ, modo earum magna pars adfuerit, & ipſi ſint ſatis inſtructi de ſenſu Eccleſiarum: ſic factū eſt in quatuor Concilijs, quæ ſicut quatuor Euangelia ab

Digitized by Google

Eccleſia recepta ſunt, vbi non tantus erat numerus Occidentalium Patrum, erant tamen optimè inſtructi, vt in Actis patet. Illam verò inſtructionem præcipuè ſpectandam eſſe iudico, & certè hoc videtur ad Concilium œcumenicum ex intrinſeca eius ratione, & ideo alijs omiſſis. Hæc duo requiri & ſufficere, ſcilicet omnium nationum (ſi fieri poteſt) aduocationem, & ſaltem notabilis partis bene inſtructæ præſentiam firmiſſimè tenendum cenſeo. Nec aliter capere poſſum quomodo poſſit dici, vel eſſe Concilium vniuerſale ſeu repræſentare Eccleſiam vniuerſalem. Et ad hoc inſtitutum, eſt notabile dictum S. *Leonis* Papæ in Ep. 49. ad *Martianum Auguſt. Credebamus clementiam veſtram id deſiderio poſſe præſtare, vt præſenti neceſſitate reſpectâ differri ad oportunius tempus Sacerdotalem Synodum juberetis: Vt vocatis de cunctis Prouincijs Sacerdotibus verè poſſet eſſe vniuerſale Concilium,* &c. Agit de Chalcedonenſi. Non igitur erat *verè* vniuerſale in judicio *Leonis*; niſi *ex cunctis* Prouincijs, & tamen erat vniuerſale in ſexcentis locis apud eum. Nempe quia aliunde ſupplebatur hic defectus. Nam S. *Leo feſtinauit* ſaltem per literas certior fieri de *ſenſu* ſingularum Eccleſiarum, vt patet in multis apud eum Epiſtolis ad eas hac de re directis, & earum reſponſalibus, & tandem ſuperuenit orbis receptio. Sic *Conſtantinopolitana* prima Synodus ſupplebatur ab Occidentalibus & in Concilio Romæ habito. Sic etiam fere omnia Concilia vniuerſaliſſima ſupplebantur ab Occidentalibus, vt patet ex alibi dictis, & etiam in Corpore Conciliorum.

Sed hîc ſupereſt non parua difficultas: Nam aliquæ materiæ erant de conſenſu Patrum vtriuſque Eccleſiæ definitæ in *Florentino* (quas alibi recenſui;) in quibus patet in Actis, quòd Græci non erant ab Orientali Eccleſia tota inſtructi. Et ideò primò reſponderunt *Eugenio* (vt etiam refert A Capite Fontium) quòd non poſſent de illis Synodicè agere, licet *Beſſarion, Rhutenus, Trapezuntius,* ac *Mytilenſis* Epiſcopi Latinis addictiores, ſuas priuatas opiniones, facilè accommodarent nobis. Omnes tamen Græci dixerunt, ſe ſine totius Orientalis Eccleſiæ authoritate, quæſtionem illam tractare non poſſe, cum pro illa tantùm de Spiritus Sancti Proceſſione Synodus conuocata fuerit, &c.

Quo

Digitized by Google

Quo tamen nonobſtante, ex diligentia *Eugenij* adducti fuerant ad conſentiendum tribus ex quatuor punctis.

Hinc obijci poteſt, eos ſuas priuatas ſententias non publicam Eccleſiæ retuliſſe ſententiam, & ideo non Fidem declaraſſe.

Ad hoc reſponderi debet, quòd quando in Concilio plenè repræſentatur Eccleſia, non adeo indigent inſtructione præuia, quia ipſi ſunt Eccleſia quodammodo, vt alibi docui: Et ideo ſufficit, quòd ſuperueniat conſenſus Eccleſiæ diſperſæ tacitus, modo quo etiam ſæpius docui.

Imo licèt non adeo plenè fuerit repræſentata, ſed meliori quo poteſt modo, vt dixi ſupra, ſufficit ille conſenſus ſuperueniens ad Fidem: Nam per ſe ſolus ſufficit, etiam ſine Concilio: Sed tunc non erit Concilium vniuerſale, nec ex illo titulo arguetur Fides ex declaratione ibi facta, ſed aliunde, ſcilicet ex infallibili teſtimonio præſentis Eccleſiæ, modò de hoc conſtiterit.

Enucleatè verò *Maximus* in diſp. cum *Pirrho* hanc rem deſcribit. *Subit me admiratio quomodo Synodum voces, quæ non eſt habita, vt leges & canones Synodici & Eccleſiaſtici jubent; nec enim Epiſtola Encyclica ex conſenſu Patriarcharum edita eſt, neq; locus, neq; dies conueniendi decretus: non fuit aliquis actor accuſator; Qui conuenerunt Epiſtolis commendatitias non habuerunt, nec Epiſcopi à Metropolitanis, neq; Metropolitani à Patriarchis, non Epiſtolæ neq; ſubſtituti ab alijs Patriarchis miſſi ſunt. Quis igitur particeps rationis Synodum velit appellare; quæ ſcandalis & diſcordijs cunctum orbem repleuit?*

Speculandæ ſunt huius regulæ particulæ, vt ſciatur quid & quot exigant Canones Synodici ad vltima complementa Concilij, quæ valde confirmant hactenus à Nobis requiſita ad Concilia Generalia, præſertim quod dicit de neceſſitate Epiſtolarum Encyclicarum ad reliquas orbis partes tranſmittendarum. Et ideo Sardicenſe Concilium in Ep. Synodica omnibus Catholicis Epiſcopis inſcripta in fine ſic habet. *Hæc ita ſcriptis mandata Sacrum Sardicenſe Concilium ad eos qui intereſſe non poterant, miſit, qui ipſi quoq; ſuis ſuffragijs decreta Synodi approbarunt,* &c. *Nazianzenus* etiam hanc ipſam praxim declarat in Ep. ad *Cle-*

Digitized by Google

donium his verbis. *Omnino autem oſtendant vel per Synodalem libellum, vel per Epiſtolas Communionis Indices. Nam hic Synodorum mos eſt*, legatur etiam quid ſub finem Capitis 37. de hac re dicturus ſum, vbi ſpeciales aliquot objectiones adijcio & ſatisfacio ad hanc veritatem dilucidandam.

7. Nec vniuerſim recipitur Gloſſa illa antiqua d. 17. c. 1. quòd ſufficiat ad Concilium Generale congregari ſub vel à Summo Pontifice; infinita vtique huiuſmodi ſunt quæ nunquam inter œcumenica cenſebantur, etiam in judicio Summorum Pontificum, vt patet de Concilio *Melchiadis* Papæ, *Sylueſtri* Predeceſſoris, & habetur. 13. q. 2. *placuit*. Quod tamen *Gregorius* haud inter Generalia numerauit. Imo *Roffenſis* in art. 39. longe vlteriùs progreditur, dicens, Quædam fuerunt Concilia per Pontificis authoritatem congregata, ſed abſque Spiritu Sancto, quale fuit Concilium *Stephani ſexti*, (quemadmodum *Platina* ſcribit) aduerſus Prædeceſſorem ſuum *Formoſum*, cuius acta magis odio percitus, quam vllo charitatis affectu reprobauit. Similiaque nonnulla ſecuta ſunt, quum (vt *Platina* tradit) longo tempore poſt hæc fieri conſueuit, & acta Priorum Pontificum ſucceſſores aut infringerent, aut omnino tollerent. Dilucidum igitur ex ijs eſſe poteſt multa Concilia frequenter erraſſe, ſed nos de plenarijs loquimur, quæ per Pontifices conuocata fuerunt, quibus ijdem plenum in ſpiritu ſancto præbuerunt aſſenſum, &c. Vbi diſtinguit talia à generalibus Concilijs.

8. Ex his poſterioribus Capitibus elicitur. Primò. *De neceſſitate ſalutis credendum eſſe, Eccleſiam vniuerſalem non poſſe errare in neceſſarijs ad ſalutem.*

Secundò, quòd conſequitur ex priori, *Eâdem neceſſitate credendum eſſe Concilia vniuerſalia non poſſe errare*, &c. *Et ideò, eadem neceſſitate adhærendum eſſe eorum in Fide definitionibus neceſſarijs.*

Tertiò, *quòd licet re quidem vera nullum ſit Concilium, vel definitio conciliaris, quæ prædictâ neceſſitate fideles hodie obligant, quæ non fuerint ab Eccleſia ſic recepta: illa tamen receptio ſolum requiritur ad modum extrinſeci complementi, adeò vt rectè concipiatur Concilium in aliquo priori in ſe eſſe infallibile.*

Digitized by Google

9. Hæc eſt ſumma ad quam principaliter collimaui à Capite 21. cætera ſunt adjectitia, licet ſubindè neceſſaria.

Sed petet aliquis quid tenendum ſit, ſecundùm Doctrinam hactenus traditam, de opinionibus Doctorum circa Infallibilitatem Summi Pontificis, ſeu Doctrinam ab ipſo definitam, quæ ſecundùm aliquos generat Fidem, ſecundùm alios, non. Ad ſolutionem autem hujus dubij inſtituimus.

CAPVT XXVIII.

An & quomodo Papa ſit infallibilis?

1. AD veritatem hâc in parte concipiendam, aliqua aduertenda cenſeo.

Primò, dum de Infallibilitate prædicta agitur, vel intelligi poteſt in ordine ad talia puncta, quæ per manifeſtam Eccleſiæ atteſtationem ſemper acceptata fuerunt tanquam de Fide: & in illis Summus Pontifex Fidem judicialiter & infallibiliter declarare poteſt, & ſic ſæpè factum eſt, & fœliciter practicauit *Leo* decimus, in cauſis & caſibus *Lutheri*. Et tota Eccleſia Catholica nullo modo refragata, quinimò poſitiuè ſuffragata eſt; & ideò bene dicit noſter *Caſtillo*, loco alibi citato, cum *Salazar.* c. 43. §. 6. & *Ægidio de Præſentatione* q. 8. a. vnico §. 1. *In tali caſu non debere expectari Concilium Generale, ſed poſſe Summum Pontificem hoc præſtare, proptereà quòd Patres Eccleſiæ in Concilio congregantur, vt communiorem ſenſum Eccleſiæ aperiant & declarent, quòd præſtant ſuis ſuffragijs, quibus definitiuam tradunt ſententiam, poſteà à Summo Pontifice declarandam, quòd excuſari poteſt, quando communis totius Eccleſiæ ſenſus notorius & apertus omnibus eſt*, &c. Et certè omnes Hæreſes quas vel *Sociniani*, vel cæteri id genus nouelli noſtri homines hodiè profitentur in Anglia (quæ tamen in infinita diuiſæ ſunt fruſta, vt olim obſeruabat *Auguſtinus* de *Donatiſtis*) nihil prorſùs noui adferunt, veteres Hæreſes ex conſenſu totius Eccleſiæ jam olim damna-

tas, reſuſcitant, & ideò hîc non eſt opus Concilio, quicquid aliqui eorum ſugillent.

Vndè *Auguſtinus* contra duas Epiſtolas *Pelagianorum* lib. 4. c. 12. dicit, *An verò congregatione Synodi opus erat,* vt aperta pernicies *damnaretur? quaſi nulla Hæreſis aliquando niſi Synodi congregatione damnata ſit,* &c. Poſteà. *Verùm iſtorum ſuperbia,* &c. *hanc etiam gloriam captare intelligitur, vt propter illos Orientis & Occidentis Synodus congregetur.*

2 Secundò, intelligi poteſt de Doctrina publicè quidem recepta, ſed non conſtat, an ex origine diuina, vel ſolum ex conſuetudine Eccleſiaſtica orta fuerit, ſicut in cauſa *Cypriani*, vt alibi in hoc opere fuſè oſtendo: vbi nec ipſe, nec reliqui Epiſcopi Africani ſtatim acquieſcebant ſententiæ Summi Pontificis, vt etiam refert *Auguſtinus*, nec ex hoc titulo Hæreſeos condemnat, ſecus verò poſtquam à Concilio fuerit deciſa, vt patet ſexcenties apud eum in cauſa *Donatiſtarum*, vt ſæpius oſtendi in ſuperioribus, & etiam in hoc ipſo Capite.

Vel intelligi poteſt de concluſione ex præmiſſis de Fide neceſſariò deducta, vbi interuenit diſcurſus humanus.

Vel tandem de re, de qua nondum adeo certò conſtat, an reliquæ Eccleſiæ acceptarint, vel oppoſitum non receperint. Et in his tribus caſibus, multi putant, ex principijs datis, requiri Concilium Generale ad infallibilitatem Fidei.

3 Et hinc videmus Summos Pontifices in rebus grauiſſimis diſtuliſſe reſponſiones vſque ad Concilium. Sic refert *Arcadius* in notis ad Epiſtolam *Breſſarionis* de *Honorio*, quem dicit ideò vetuiſſe nomina vnius vel duplicis voluntatis: Quia nondum celebrabatur Concilium de ea re, & ſic conuenerat cum *Sophronio Hieroſ.* & *Sergio Conſtant.* Epiſcopis. Res eſt obuia. Sic *Greg.* 7. in hoc capite citatus, & alij frequenter.

Et ratio probabilis poteſt eſſe hæc. Quia ad hoc vt aliquid ſit infallibiliter definibile, debet conſtare per aliquod medium infallibile, illud quod debet definiri, eſſe veritatem, à Deo antiquitùs reuelatam, vt ſæpius notaui: vbi ſemper dixi, quòd Concluſio definienda debet habere identitatem cum præmiſſis *de Fide*: ſed non conſtat

ſimplicem

Digitized by Google

ſimplicem Papæ definitionem eſſe medium ad hoc infallibile: nam de hoc aliud quæritur medium etiam infallibile, vel ex conſenſu Eccleſiæ vniuerſalis, vel de Scriptura euidenti, de nullo verò horum ſatis conſtare videtur, ſaltem ad hoc, vt ſit de Fide, & oppoſita ſententia, hæreſis; & in hoc ſenſu puto eſſe communem opinionem ferè omnium Doctorum, etiam *Bellarmini, Petigiani, Suarezij,* ſi benè expendantur.

4. Dubitari verò non poteſt ab homine Catholico, nedum Chriſtiano (in quantum ego ex antiquitate judicare valeo) quin Summus Pontifex poſſit, imò (cum omni reuerentia dicatur) ſubinde debeat determinare ad vnam partem quæſtiones exortas, etiam vel maximè in materia Fidei, ſecundùm illud *Hieronymi* ad *Damaſum*, & habetur in Ep. 25. apud *Auguſtinum. Obteſtor Beatitudinem tuam, vt mihi Epiſtolis tuis, ſiue tacendarum ſiue dicendarum Hypoſtaſeon detur authoritas,* &c. Idem etiam habetur in Epiſtola *Pauli* Patriarchæ titularis Conſtantinopolitani ad *Vrbanum* 5. vbi agens de quibuſdam propoſitionibus Imperatoris *Cantacuzani* addit. *Quæ profectò ſcripta Summo Pontifici oſtendam, vt ea vel improbet vel confirmet.*

Idem etiam habetur, tùm frequenter alibi, tùm in epiſtola *Hormiſdæ Papæ*, quam conſulenti ſe *Poſſeſſori* reſcripſit, & referunt Africani illi Epiſcopi in Sardinia exules, in epiſtola Synodica operibus *Sancti Fulgentij* inſerta. Huc etiam manifeſtè tendit, & à fortiori conuincit illud Patrum *Mileuitanorum Innocentio*, vt conſtat apud *Auguſtinum* Ep. 92. & plenius in Ep. 93. quæ eſt Reſponſoria *Innocentij*, vbi poſt alia ſic habetur? *Per omnes Prouincias de Apoſtolico fonte petentibus reſponſa ſemper emanant, præſertim quoties Fidei ratio ventilatur, arbitror omnes Fratres & Coepiſcopos noſtros non niſi ad Petrum, id eſt ſui nominis & honoris authorem referre debere, veluti nunc retulit veſtra Dilectio, quod per totum mundum poſſit omnibus Eccleſijs in commune prodeſſe,* &c.

Huc etiam tendit Epiſtola 90. Concilij Carthaginenſis ad *Innocentium* contra *Pelagium* & *Cæleſtium. Hoc geſtum Charitati tuæ intimandum duximus, vt ſtatutis noſtræ mediocritatis, etiam Apoſtolicæ Sedis adhibeatur authoritas,* &c. vbi vltra Concilium, *Auguſtinus* & Patres videntur

velle

velle ſuperuenire *Sedis Apoſtolicæ authoritatem*, Quod notabile eſt, & in corpore Epiſtolæ confirmatur.

Innocentius etiam in Reſponſoria, quæ eſt Ep. 91. hoc etiam oſtendit: *Antiquæ Traditionis exempla ſeruantes, & Eccleſiaſticæ memores diſciplinæ, veſtræ Religionis vigorem non minus nunc in conſulendo, quam antea cum pronunciaretis, vera ratione firmatis, qui ad noſtrum referendum approbaſtis eſſe judicium, ſcientes quid Apoſtolicæ Sedi, cum omnes hoc loco poſiti ipſum ſequi deſideremus Apoſtolum, debeatur*, &c. Iudicium ergò Sedis Apoſtolicæ videtur ſecundùm *Innocentium* & Concilium etiam in doctrinalibus eſſe vltimum. Ep. etiam 95. quæ eſt *Auguſtini, Alipij* & aliorum, *Hoc à te probari volumus, tuis reſcriptis de communi participatione vnius gratiæ conſolari*, &c. Ad quid hæc, niſi habuiſſent Pontificis reſponſa eſſe indubitatæ Fidei? Quod etiam declarat *Auguſt.* dum de Communione paruulorum agens, dicit S. *Innocentio quid reſpondeas, qui paruulos definiuit*, &c. Vbi certè videtur tribuere certitudinem Fidei reſolutioni *Innocentij*.

Integra etiam Eccleſia Lugdunenſis ſub *Remigio* tùm militans, videtur æquiparare ſententiam Pontificis, decretis Conciliorum in materia Fidei. Hæc habentur verba contra *Pelagianos*. *Pudeat eos definire quod neſciunt: timeant ſtatuere, quod nullum Sanctorum Patrum Concilium, nullum Apoſtolicæ Sedis Pontificium; nullum Eccleſiaſticorum Dogmatum decretum hactenus inueniant ſtatuiſſe.*

Egregium certè eſt quod habet *Cyrillus Alexandriæ* in l. Theſauri, apud *Turrecrem.* l. 2. ſum. de Eccl. c. 7. *A Romano Pontifice noſtrum eſt quærere, quid credere, & quid tenere teneamur, ipſum rogantes, ipſum venerantes præ omnibus, quoniam ipſius ſolius eſt reprehendere, corrigere, ſtatuere, diſponere, ſoluere, & ligare, loco illius qui ipſum ædificauit & elegit.*

Gregorius etiam Ep. 52. ad Epiſcopos Galliæ, ſic ſcribit. *Si quam contentionem, (quod longè faciat diuina potentia) de Fidei cauſa euenire contigerit, aut negotium emerſerit, cuius vehemens fortaſſe ſit dubietas, & pro ſui magnitudine judicio Sedis Apoſtolicæ indigeat, examinata diligentiùs veritate, relatione ſua ſtudeat, ad noſtram perducere rationem, quatenus à nobis valeat congrua ſine dubio ſententia terminari*, &c. Hanc *Gregorij* doctrinam

Digitized by Google

doctrinam adferre volui propter Noſtrates, quorum aliqui eum ad aliâ contorſerunt.

Hoc abundè probat *Roffenſis* in *veritate tertia*, vbi ſic concludit. *Adeſt ergo, (nemini dubium eſt) in Eccleſia poteſtas Iudiciaria, ſufficiens ad omnem controuerſiam*, &c. *diſſoluendam*, &c. *Quæ nimirum apud nos Cathedra Petri iuſtè cenſetur.*

Alia huius generis teſtimonia adferre perquam facile eſt, ſed in hac materia ſicut in alijs omnibus ſelectiora, & à pleriſque minùs obſeruata adhibere intendo.

5. Et hinc Grauiſsimi Doctores (licet oppoſita ſententia tribui ſoleat Galliæ & Angliæ) tenent ſententiam ſummi Pontificis, obſeruatis ſcilicet obſeruandis, ſeu præmiſſâ debitâ conquiſitione, pronunciatam, & toti mundo, non huic vel illi loco propoſitã, Fidem generare, etiam in caſibus quos ſpecificaui §. *Secundò intelligi poteſt*. Et ſine omni dubio eſt opinio ſummè probabilis ſecundùm regulas quas poſiuit *Ariſtoteles* in *Topicis*: imo videtur eſſe ferè certa, adeò vt ſi aliquem audirem qui huiuſmodi Põtificales deciſiones *temere* reijceret, haberem ſuſpectum: nec contradicit ſuperiùs dictis ex communi Doctorum.

Hoc expreſſè tenet *Diuus Thom.* 2. 2. q. 1. a. 10. vbi fusè hoc probat, & poſt eum multi ex ſuis, & in hoc ſenſu dicit. q. 11. a. 2. §. ad tertium, Quòd authoritas Eccleſiæ vniuerſalis principaliter reſidet in Summo Pontifice. Et in priori loco, articulo 10. dixit, ad eius *authoritatem pertinere finaliter determinare ea quæ ſunt Fidei, vt ab omnibus inconcuſſa Fide teneantur.*

Celotius quidem hanc ſententiam ſuſtinet, licet cum reſtrictionibus. Primò bene diſtinguit *Tribunal* Pontificis in quo agitantur iuris & facti quæſtiones vbi errare poteſt, à Cathedra in qua etiam Pontificem conſiderari poſſe, vt priuatum Doctorem, & quod conſequens eſt, poſſe errare aſſerit, in qua poſteriori clauſula diſſentio, vt ſuo loco oſtendo.

6 Loqui ex Cathedra, vt œcumenici Pontificis conſiderationem aſſumit, non ſubijcitur errori, vt *Celotius* ibi docet, modò tres condi-

Digitized by Google

tiones adhibeat, quarum vel vna ſi defuerit, ex edicto vniuerſalis Doctoris, ad priuatæ perſonæ conditionem deuoluitur. Primum ex parte materiæ, quam vult eſſe *Propoſitionem veram verè reuelatam*, & quidem Prophetis & Apoſtolis, vt vult D. *Thomas*. Quibus adjungo (ait) Concilia, Patres, Traditiones, &c. Secundam in inquiſitione requirit, *vt neque ſolus iudicet*, *neque temerè pronunciet*, &c. Quapropter, in Concil. quodam Romæ, dum Patres rem de qua agebatur, totam in *Zachariæ* Pontificis arbitrio conſtituerent, ſapienter reſpondit, &c. *Non vt Nobis ſolùm viſum fuerit, ſed pariter cum Sanctitate veſtra eſt pertractandum.*

Infinita propemodum hujus rei argumenta apud veteres adferre poterat. Dabo vnum vel alterum ſolemne.

Iulius in Epiſt. ad Epiſcopos in Antiochia, &c. vt habetur in Apolog. 2. *Athanaſij: Tametſi ſolus ſim qui ſcripſi, non meam tamen ſolius ſententiam, ſed omnium Italorum, & omnium in his Regionibus Epiſcoporum ſcripſi. Ego autem omnes nolui ſcribere*, &c. *Certè ad conſtitutum tempus conuenere Epiſcopi, & ejus ſententiæ fuere, quam vobis iterum ſignifico. Quapropter Dilectiſsimi, etiamſi ſolus ſcribo, ſcribere me tamen communem omninm ſententiam vos ſcire volo.* Et in hoc ſenſu ibidem in Concil. Rom. exiſtens dicit ad *Arrianos. Corrigitur & imprimis*, &c. *Nihil nobis ſcribere voluiſtis? an ignari eſtis hanc conſuetudinem eſſe, vt primum nobis ſcribatur, vt hinc quod juſtum eſt definiri poſsit.*

Huc etiam ſpectat illud *Cypr.* l. 1. Ep. 3. de quibuſdam Schiſmaticis agens. *Nauigare audent ad Petri Cathedram & Eccleſiam Principalem*, &c. *Nec cogitare eos eſſe Romanos, ad quos perfidia non poteſt habere acceſſum.* Vbi quo ad iudicia Fidei, complectitur Cathedram *Petri* cum ipſa Eccleſia Romana.

Celotius verò ſic progreditur. *Tertia, vt toti Eccleſiæ abſolutè & præcisè proponat*, eum pronunciando Hæreticum, aut ei *Anathema* imprecando, qui aliter ſenſerit: aut affirmando ſtatuere ſe & definire de Conſilio fratrum ſuorum, &c. Hactenus *Celotius* l. 4. de Hierarch. Iuriſdictionis c. 10.

Hæc eius ſententia ex his ſuis reſtrictionibus compilata, aliquantò differt à

Digitized by Google

differt à priori, vt facile judicabit eruditus lector, & fere coincidit cum alia quam diſcutio c. 21. §. *Quid importat ex Cathedra reſpondere*, &c. ſpecialiter probatio ex *Zachariæ* reſponſo quam adfert, non parum juuabit illam.

Conſequenter verò ad ſententiam hîc tactam, quæ & communior eſt,& vt dixi fere certa, dicit *Auguſtinus* l. de peccato Originali contra *Pelagium* & *Cæleſtium* c. 7. *Cæleſtius D. Papæ Innocentij literis non eſt auſus obſiſtere, imo ſe omnia quæ Sedes illa damnauerat, damnatarum eſſe promiſit*, &c. Poteſt etiam legi *Auguſtinus* Ep. 166. in fine, poſt *Hieronymum* ſuperiùs citatum.

7. Suſpicor verò aliquos eſſe, qui dum omnimodam huic ſedi Infallibilitatem tribuere prætendunt, omnem ab ea auferre conuincuntur, nimirum ad ſuos conceptus aſtruendos, poſteriores Pontifices & Synodos prioribus opponunt. Annon hoc eſt omnem Infallibilitatem auferre? Hos pungit *Tuamenſis* in præfatione citanda alibi. Et meritò, Nam vt de quibuſdam ſuperciliosis Religioſis agens *Auguſt.* non longè ante finem Ep. 89. ſubdit. *Talia diſputare, qualia iſti diſputant non eſt militare, ſed rebellare.* Sed quicquid ipſi effutiant, cùm de Religione agitur, *Pontifices Maximos, non Zenonem, aut Cleantem, aut Chryſippum ſequor. Cic.* de Nat. Deorum. l. 3. Certè videntur eſſe ex illis *multis*, de quibus Apoſtolus, qui cauponantur verbum Dei.

8. Notandum tandem in omni ſententia, & à fortiori ſequitur ex principijs datis, Quòd propter euitandas graues Eccleſiæ perturbationes ex diſsidijs Doctorum, meritò fieri poteſt, & ſubinde debet Pontificum prohibitio etiam ſub cenſuris, ne amplius iſtiuſmodi materiæ publicè agitentur vſque dum Eccleſia definiat, cui parti adhærendum fuerit, & omnes ad mandatum Pontificis acquieſcere tenentur. Sic fecit *Paulus* 5. in materia de auxilijs antea grauiſsimè agitata. Sic etiam idem, & fortiùs *Gregorius* 15. pro parte negante immaculatam Conceptionem B. Virginis.

Hoc dico in ſententia omnium qui Catholici cenſeri volunt, etiam ipſorum qui non adeò liberales erga Sanctam Sedem cenſentur. Vndè in Reſolutionibus, quas alibi citaui, ſic habetur: *Poteſt Summus Pon-*

tifex, vbi vrget aliqua neceſſitas, nec poteſt Concilium Generale opportunè congregari, quicquid neceſſum fuerit ad tollendum Schiſma vel ſcandalum, canonica infallibilitate diſcernere. Cui tota Eccleſia, ſaltem vſquedum Concilium Generale haberi poterit, redere tenetur.

Tandem non eſſet importunum ſaltem per tranſennam reſoluere duo dubia, quæ facilè occurrere poſſunt.

CAPVT XXIX.

DVO EXAMINANTVR.

Primum, An Sacerdotes ſine vllo prorſus Epiſcopo poſſint celebrare ſeu conficere Synodum legitimam in ordine ad prætactos effectus?

Secundum obiter tangitur, quæ munia exercere debent & poſſunt Laici in Concilijs?

1. AD vtrumque ſine argumentis breuiter reſpondeo, Quòd licet inter viros doctos ſæpiùs diſputatum ſit, An, & quomodò ſimplices Sacerdotes admittendi ſint ad Conſeſſus Conciliares, nimirum an vt *Aſſiſtentes, Conſultores, Conſentientes*, vt communis eſt forma Conciliorum? vel an etiam cum Epiſcopis, vt *Judices, Decidentes, Definientes?* &c. quòd ex *gratia*, aliquandò; ex *jure* nunquam factum putamus: licet alij etiam Catholici diuerſum hac in parte habeant ſuum ſenſum, vt apud Doctores videre eſt. Quòd verò ſubſcripſerint aliqui ſubindè non Epiſcopi, patet in actis plurimorum Conciliorum, ſpeciatim, *Florentini, Lateranenſis* & *Tridentini.*

De antiquioribus habentur monumenta in Corpore Iuris, & refert *Panormitanus* in fine de Concilio *Baſilienſi. Reperio quòd Leo Papa Synodum congregauit Romæ, cum cuncto Clero & Populo Rom. vt c. in Syn. 63. d. vbi Papa vocauit ad Concilium Epiſcopos, Clericos, ac Iudices diuerſarum Prouinciarum. Ad idem c. in nomine Domini 23. d. vbi legitur Epi-*

ſcopos,

Digitized by Google

ſcopos, Abbates, Præſbiteros & Diaconos interfuiſſe, & conſediſſe in Concilio. Et c. Conuenientibus 1.q.1. probatur idem de Monachis, vel ſaltem de Abbatibus, exponendo Monachos pro Abbatibus, vt exponitur in Gloſſ. &c. *Anaſtaſius 19. d. vbi expreſſa ſit mentio de Epiſcopis, Præſbiteris, & cunctis Clericis Eccleſiæ Catholicæ, & c. 1. 15. d. ſit mentio de Præſbiteris in genere. Item in Conſtantienſ. Senenſ. & Piſan. temporibus noſtris fuerunt admiſſi etiam inferiores. Et idem vidimus in Concil. Baſil. vndè admiſſi, ſiue de jure, ſiue de gratia, vocem habuerunt, nec poterant excludi, nec fuerunt excluſi. Quinimò videntur in poſſeſſione vocis dandæ.* Hoc etiam expreſſè tenet de Abbatibus & Generalibus Ordinum *Celotius* de Hierar, l. 5. c. 14.

Quoad *Panormitanum*, putem, quòd illa poſteriora verba ſolum in defenſione *Baſil.* Synodi adjecit, friuolum enim eſt quòd addit ex hoc. quòd fuerint admiſſi, *ſiue de jure, ſiue de gratia,* ipſos eſſe in poſſeſſione vocis.

Et ideò, tàm ab intrinſecis rei principijs, quàm ex Patrum authoritate, præſertim *Aug.* conſtabit, illis ad effectum prædictum, nullum jus competere, licet ex gratia, vt rectè oſtenſum eſt, ipſis ſubindè conceſſum fuit, vt etiam ſatis declaratum fuit in Concil. magno Chalcedonenſi: vbi quidam Abbas, nomine *Martinus* Act. 1. dùm rogaretur ſubſcribere, reſpondebat, *Non eſſe ſuum, ſed Epiſcoporum, & laudabatur reſponſum.* Debent tamen vocari, ſecundùm multos antiquos Canones, vt *Antiſidorenſi* Can. 9. & alibi; Quod verum eſt, non ſubticeo.

Definit tamen *Ioannes Major* in ſuis Commentarijs in *Matt.* Concilium vniuerſale hoc modo: *Concilium eſt congregatio ex omni ſtatu hierarchico quorum intereſt, conuocata ab ijs quibus incumbit, ad tractandum communi intentione de vtilitate publica Chriſtiana.* Ex his verbis videtur velle cum *Panormitano*, ſimplices Sacerdotes debere intereſſe. Sed non indiget noua reſponſione, hæc ejus definitio eſt valdè indefinita, nec certè admittetur ſecundùm regulas Peripateticas, Sed hoc miſſo.

2. Nunquam ab Eccleſiæ incunabulis in hunc vſque diem, vel à longè quiſpiam mortalium audiuerit, aliquem hominũ conuentum Sacerdotum *Synedrium,* ſeu πρεσβυτήριον, vt vocatur Act. 22. 5. ſine

Epiſcopis coactum vel celebratum, veræ Synodi vel Eccleſiaſtici Concilij, præſertim in definiendo veritates Fidei, ſibi authoritatem arrogaſſe. Vtrumque horum dictorum, ſcilicet de defectu iuris in Sacerdotibus, & multò fortius in Laicis ad ſuffragandum in Synodis ſeu comitijs Eccleſiaſticis conſtabit ex doctrina & praxi omnium veterum. Vndè non ſolùm *Auguſtinus* tum alibi, tum lib. 2. contra *Iulianum*, c. 10. verſus finem, ſed ipſe ibidem *Iulianus* vocat Synodum *Epiſcopale Iudicium*: vbi etiam vocatur *Epiſcopalis Synodus*. *Auguſtinus* etiam in Collatione diei 3. cum *Donatiſtis* c. 12. ſic loquitur. *Legi cæpit* etiam *Epiſcopale Iudicium Melchiadis Romani Epiſcopi & aliorum cum illo Gallorum & Italorum Epiſcoporum*. Et Epiſt. 68. apud *Aug.* vbi *Conſtantinus* Imperator vocat Synodum, *Epiſcopale Iudicium*. Et Clerici Catholici ibi vocant aliud Concilium, *Epiſcopale Iudicium*. Sic etiam lib. *De vnitat. Eccleſiæ*. c. 16.

Patet etiam apud *Ruffinum* l. 10. vbi vocat *Nicænum*, *Epiſcopale Concilium*. Etiam *Oroſius* Præsbiter de Arbitrij libertate dicit: *In conuentu veſtrum vna vobiſcum Ioanne Epiſcopo* præcipiente, *conſedi*: Non aliter conſedere debet Præsbiter in Concilijs. Hoc etiam declarat *Baſilius* Epiſt. ad *Chilonem*. *Tene clam eſt Dei ſanctione conſtitutos Epiſcopos pro ſolenni ritu & conſuetudine aduocare ſolere ad Synodalem conuentū*, &c?

Et certè hic eſt ſtilus ordinarius veterum, vt præter citatos patet apud *Athanaſium* in Epiſt. ad ſolitariam vitam agentes, vbi vocat *Nicenum*, *Iudicium Epiſcoporum*. Apud *Theodoretum* l. 2. c. 7. Vbi vocat Synodum *Sardicenſem*, *Congregationem Epiſcopalem*. Et quod præ ceteris eſt aduertendum Can. 38. Apoſtolorum vocat *Epiſcoporum Concilia*.

Tandem pro Anglia ſatis conſtat apud *Bedam* in Hiſtoria l. 4. c. 5. & 17. & 28.

Quod ſi aliter fieret, ſequi oportet Conſilium octaui Concil. Generalis actione. 8. *De abolendis Chirographis injuſtis & vniuerſis actis Conciliabulorum. Quæ vniuerſa præcepto Imperatoris & Synodi cōbuſta ſunt.*

3. Si tantus fuerit veterum rigor quoad ſuffragia Clericorum, quid de laicis dici debeat, facile ſequitur. Vnde *Baſilius* Imperator in Syn. 8. ſic loquitur. *De vobis autem laicis tàm qui in dignitatibus, quàm*

qui

qui abſolutè verſamini, quid amplius dicam non habeo, quam quod nullo modo vobis licet de Eccleſiaſticis cauſis ſermonem mouere, neque penitus reſiſtere authoritati Eccleſiæ, & vniuerſali Synodo aduerſari, &c.

Vnde Patres in Epiſt. Concil. *Alexandr.* omnibus Epiſcopis in cauſa *Athanaſ.* inſcripta, contra *Conciliabulum* ab *Arrianis* contra regulam Eccleſiaſticam celebratum, ſic clamant. *Qua fronte talem conuentum, Synodum appellare audent, cui Comes præſedit?* Poſteà. *Imperatorium hoc negotium, non Synodale æſtimari debet.* Vbi plura & admodum grauia à Patribus orthodoxis hac in cauſa dicuntur. Vt verum fatear, vt antiquis illis, ſic hodiernis Sectarijs qui Fidei declarationes, & Synodales Conuentiones à laicis petunt, rectè dicitur illud in Epiſtola citata. *Nihil illis Synodi curæ ſunt, ſed inanem ſpeciem Synodi prætexunt, vt ſublatis Orthodoxis viris, ea quæ verâ & magnâ Synodo de Arrianis* (de Puritanis) *ſtatuta ſunt, demoliantur.* Et certò certius, hîc eſt ſpiritus noſtrorum Antiepiſcoporum contra omnia jura & Canones Eccleſiæ. Quod & omnes Eccleſiaſticæ *regulæ* veneratores, vel ſaltem Chriſtianorum Monumentorum non contemptores hoc facilè dabunt. Imo quotquot ſolemnes Hæretici hoc ipſum confeſſi ſunt, exceptis pauculis & obſcuris illis, de quibus egi ſuperiùs, & ideò *Euſebiani* in *Nicæno* conuentu ab Eccleſia rejecti, &c. cæpere Epiſcopis, ſi qui contradicerent, inſidias ſtruere, & pro ijs ſubmotis, Hæreticos in Eccleſias inducere: vt quando vellent, Synodos cogerent habituri eos ſibi adſtipulatores, quos ob id de induſtria ad Epiſcopalem Ordinem *ſubuexerunt*, &c. vt teſtatur *Athanaſius* de Actis *Seleuciæ*: Hæretici igitur neceſſitatem Epiſcoporum hac in parte agnouerunt.

Non igitur hic multum immorandum, cum jura ſint cuiuis tàm manifeſta, & ipſamet conſtans Eccleſiæ praxis, non tàm arguat jus, quàm ſit ipſum jus. *Petrus* quidem *Marca* in ſua *Sacerdotij & Imperij concordia* putat ex judicio *Gregorij* 7. l. 9. c. 28. in cauſis ſaltem mixtis ex Clericis & Laicis Concilium conflari poſſe: verba *Gregorij* ſunt: *Se curaturum, vt Generalis Synodus congregetur in loco tuto & ſecuro, ſicq; opportuno, vt ad eum poſſint vndique terrarum clericalis Ordinis & Laicalis, amici vel inimici ſine timore conuenire.* Sed ſalua huius Doctoris pace

non

non ſatis perſpicio, quomodo hinc eliciatur Laicos poſſe eſſe Iudices, licet mixtio cauſarum diminuat difficultatem, vtiqne contra tales cauſas hîc non agitur, ſed ſolum agitur de cauſis Fidei.

Poſa quidem aduocat Laicos Principes, & etiam ſubditos ad examinationem & Conſultationem Fidei, & inſinuat hoc eis competere de jure naturæ, Negat tamen eos eſſe Iudices. In hoc omnes conueniunt. Sed de Laicis poſtea.

4. Poſſunt quidem non Prælati per modum conſenſus Academici controuerſias exortas *Doctrinaliter* declarare, non verò *judicialiter* terminare, vel ad eorum judicia complectenda alios obligare: nam hoc Prælatorum eſt, vt etiam ad *Hæb.* 13. legitur. *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubijacite illis, ipſi enim peruigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.* Et certè in nulla re magis vigilare debent, quam ſanam doctrinam proponendo, quod propriè Synodorum eſt.

Cum igitur Apoſtolus hac in parte reſtringat populi inſtruendi obedientiam ad Præpoſitos, clarum eſt quod in eius ſententia Præpoſiti ſeu Prælati, hoc eſt illi qui de jure diuino ſunt tales, ſoli habent jus, vi eiuſdem juris ad vocem definitiuam ſeu obligatiuam in Concilijs, reliqui qni interſunt ex *gratia* non *jure* definiunt. Vndè vlterius ſequitur, quod omnes animarum Præfecti ſub Epiſcopis non habent jus ad illud, cum vt alibi dixi *in Apologia Epiſcoporum*, nulli ſunt Prælati ſub Epiſcopis de jure Diuino inſtituti, quod fuſius ibi oſtenſum eſt. Epiſcopos verò ſic fuiſſe inſtitutos præter Patres ibi citatos docuit *Athanaſius* in Ep. *ad vbique Orthodoxos. Id enim & Eccleſiaſticos Canones ſoluit, & Ethnicos ad Blaſphemiam & ſuſpicionem cogit, vt putent non legibus, rituq́ Diuino, ſed nundinatione & potentia Epiſcopos conſtitui*, &c. Vtinam aliqui huius ſæculi Scriptores ſatis huiuſmodi malis præcauiſſent, qui fortè ſubminiſtrarunt occaſionem Hæreticis, tàm impiè in ipſum ſacroſanctum Epiſcopatus Ordinem inſurgendi.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XXX.

Quas partes habeant Laici, præſertim Principes in Concilijs, diſputatur & fusè declaratur.

1. QVas partes agere poſſit, vel debeat Populus Dei in Concilijs, à fortiori patet ex Apoſtoli doctrina recitata: illorum vtique eſt *Parêre*, non *Imperare* vel *docere*, quod etiam amplius pateſcit ex hoc, quòd cum ſtatus Eccleſiæ non ſit ſtatus popularis, in quo Populi ſuffragijs, quæ ad rem Populi pertinent, vel jubeantur, vel vetentur, vt rectè obſeruauit Cardinalis *Polus* Popularis noſter, in ſuo tractatu de *Concilio*, & probat ex textu D. *Pauli* adducto; conſequens eſt, quòd eorum non eſt aliquid ſtatuere, jubere, vetare, vt in Populari ſtatu fieri ſolet, ſed prorſus vt juſſis Prælatorum obtemperent, quorum eſt de animabus illorũ rationem reddere, ſecũdùm Apoſtolum: vndè eſt illud Act. 20. *Attendite vobis, & vniuerſo Gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei quam acquiſiuit ſanguine ſuo.* Et illud *Petri* 1. Ep. c. 5. *Paſcite qui in vobis eſt gregem prouidentes.* Ex quibus, & hujuſmodi alijs textibus, clarum exiſtit, munus docendi, & ſpirituale alimentum quouiſmodo ſubminiſtrandi ad Epiſcopos præcipuè & in recto, ad Presbyteros etiam ſecundariò, ad Populum verò nullatenus pertinere. Quinimò ſi hoc ſemel permitteretur, ſtatim ſequeretur illud quòd *Ariſtoteles* habuit pro maximo abſurdo *Pol.* l. 2. c. 7. *Præterea autem & judicandi de magnis rebus, poteſtatem habent homines contingentes.* Sacra etiam cum Profanis adeò confunderentur, vt illud Lacedæmoniorum denuò obtineret, quod in eodem Capite refert Philoſophus. *More Majorum ſic apud eos definitur, vt qui Commeſſationum particeps eſſe nequeattis ad Reipublicæ gubernationem non admittatur.* Rectè tamen monet ipſe c. 9. Quòd *qui magnam habent poteſtatem, ſi ipſi nullius pretij ſint, multum nocent.*

2. Licet, vt dicturus ſum, poſſint Concilijs intereſſe, ſicut Act. 15.

Digitized by Google

inConcil. Apoſt. fuit multitudo Laicorum, non tamen ibi habetur, conquiſitionem illam magnam factam eſſe ab illis, minùs rei definitionem, vt patet, licet admitti poſſint ad quæſtionis inquiſitionem. Nam vt rectè addit *Polus* in reſponſione ad *quæſtionem ſeptimam. Patet quidem locus omnibus & ſingulis exponendi, ſi quid vel ſibi, vel Eccleſiæ opus eſſe cenſeant.* Et hoc viliſſimus ex Populo, tanquam Ouis à Paſtore petere poteſt, aliàs Laici *ſtare* deberent in Concilijs, vt notauit *Cypr.* Ep. 30. *Collatione Conciliorum cum Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, Confeſſoribus, pariter ac ſtantibus laicis facta*, &c. Et hic mos conſtans & notus erat, quod in Ep. 27. & alibi communi quaſi cognomine vocat eos *ſtantes. Quando Eccleſia in Epiſcopo & clero, & in omnibus ſtantibus ſit conſtituta*, &c. Nunquam verò, vt dixi, permiſſum eſt ijs in Concilijs ſententiam dicere, quod apud ipſum *Cypr.* (qui tamen in plurimis locis abundè fauit laicis, vt patet Ep. 12. & 14. omiſsis alijs eius Epiſtolis) ſatis colligitur ex Ep. Concil. *African.* de Lapſis, vbi ſolum hoc tribuitur Epiſcopis, tum ex Concil. *Carthaginenſi* in tertio tomo operum *Cypr. de Baptiſmo Haret.* vbi ſoli Epiſcopi ſubſcripſerunt. Et ideò *Athanaſius* in Epiſt. ad *omnes vbique ſolitar. vit. colentes* contra *Arrianos* agens, qui etiam laicos ad ſuum numerum augendum introducere volebant, ſæpius arguit *Concilium Eccleſiaſticum Conſeſſum eſſe, & ideo non laicorum, licet ipſi vt noſtri, ex coacta multitudine ex Bubulcis, opilionibus & Forenſi vulgo*, &c. *ſuos conſeſſus faciebant: Noſtri etiam Caſtaſcopos ſuos habent vt illi, hoc eſt Exploratores, qui cum minimè ſint Epiſcopi, longè maculoſiſſimi ſunt*, vt loquitur ille. Et vt alibi *Athan.* in eadem Epiſtola. *Patres Populorum & Fidei Magiſtri tolluntur, & impij in Eccleſias introducuntur.*

Hos antiquiſsimos libenter lego, vt quo propiores Apoſtolis, genuinam Eccleſiæ diſciplinam eruamus.

3. Imperatores verò ſuas etiam partes habent, nimirum cum Sacerdote Summo & Paſtore, in Concilijs; Principes & Sacerdotes tanquam in caulas capita Gregis congregat Imperator, vt patet in *Niceno.* Suam etiam potentiam adhibere poteſt, vt *Conſtantinus*, ad frangendas Sacerdotum contentiones, vt ſic omnia tranquillè diſcutiantur,

Digitized by Google

tur, & peractis Concilijs, vt decreta præſertim Fidei per orbem promulgentur. Nec ſane opus eſt aliò excurrere, vt Imperatoris munus inquiramus, quam ad *Conſtantinum* in *Niceno*: nam omnes Numeros Imperatoris Chriſtiani *Conſtantinus* in illo Concilio prorſus impleuit, vt acta Concilij teſtantur, & præcipuè ipſius Oratio de pace ad Patres, & etiam in Ep. ad Eccleſias, quæ in eodem habetur Concilio, & in alijs ad Eccleſias *Alexandrinam* & *Nicomedienſem* contra *Euſebium* & *Theognium*. Vndè *Caſtillo* diſp. 14. de Concil. ad q. 4. §. *Ad quartum* explicans officium Imperatorum vel Regum in Concilijs, quatuor ponit, Quæ tamen fere comprehenduntur in iſtis duobus à me expoſitis v. g. primò, vt ferant opem Epiſcopis in Concilio.

Secundò vt ſint teſtes eorum quæ in Concilijs decernuntur.

Tertiò vt Epiſcopi ſint liberi & ſecuri ab inſidijs inimicorum. Quartò ad executionem decretorum, vt ſcilicet Principes præcipiant obſeruari.

4. Et ideo Imperatores poſſunt facere, prout in Concilijs. 6. & 8. legimus factum, ſcilicet ſubſcribere definitionibus Epiſcoporum tanquam ſuſcipientes, vel authoritate Imperiali aliquod robur ſuperaddentes in ordine ad Gubernium externum, non verò vt definientes vel decidentes, vt Iudices; prout etiam in ſecundo *Arauſicano* fecerunt Patricij & Conſules, ſic etiam in alijs legimus Secundùm illud *Poſſidonij cap.* 18. in vita *Auguſtini*. *Et hoc tale de illis Eccleſiæ prolatum judicium etiam pijſſimus Imperator Honorius audiens & ſequens, ſuis eos legibus damnatos inter Hæreticos haberi debere conſtituit. Vnde nonnulli ex eis ad ſanctæ Matris Eccleſiæ gremium vnde reſilierant, redierunt*, &c. Tam fauſtus plerunque eſt effectus, dum intra proprios ſuæ poteſtatis terminos ſiſtitur.

5. Vnde *Ioannes Antonius de Saura* S. Theologiæ Doctor Hiſpanus, approbante Patre *Hieronymo* Villa Noua Societat. IESV in opere cui titulus. *Votum Platonis de juſto examine doctrinarum & de primis inſtantijs alijſque recurſibus præſertim in cauſis Fidei* Cap. 23. par. 1. tractans hanc quæſtionem. *Quam partem habeant ſæculares in examinandis negotijs Fidei*, dicit, *Quamuis certiſſimum ſit in iſtiuſmodi negotijs Principes &*

Digitized by Google

Magiſtratus ſæculares nullam habere authoritatem decidendi, eoſdem tamen habere, & ab initio naſcentis Eccleſiæ habuiſſe votum deliberatiuum & conſultiuum. Id probari ait ex Concilio Apoſtolorum habito *Hieroſolymis* Anno Chriſti 37. Cuius exemplar ad hæc vſque tempora obſeruatum eſſe aſſerit: & in eius comprobationem adducit mandata Procuratoria Principum & Rerum publicarum *Legatis* ad Concil. *Later.* & *Triden.* data, & ab iiſdem Concilijs admiſſa, ac ſignanter *Cæſaris Caroli.* 5. ex quo hæc refert verba. *Noſtrum locum vt Oratores & Mandatarij noſtri habere, res & negotia Religionis & Fidei & alia quæcunque in prædicto Concilio tractanda, vna cum alijs ibidem ſtantibus Reipublicæ Chriſtianæ Principibus, eorumue legatis, Oratoribus, Mandatarijs conſultare, agere, & tractare, illiſque omnibus & per omnia adeſſe, conſilium votum & decretum noſtro nomine dare impertiri atque interponere.* Hactenus ille. Quod quidem dicitur, *votum & decretum dare,* &c. Debet intelligi ſecundùm prius dicta, ſcilicet conſultare, agere & tractare. Votum ergo conſultiuum ſeu tractatiuum, non definitiuum prætendit Imperator. Decretum etiam ſubſcriptiuum, nempe quia modo ſuperius explicato ſubſcribere poſſunt Imperatores & Principes decretis Prælatorum.

Scio tamen aliquid eiuſmodi factum vt refert *Aug.* Ep. 162. importunitate Hæreticorum illorum Africanorum Donatiſtarum, quatenus Imperator reſcinderet actus Conciliares B. *Melchiadis* & reliquorũ Epiſcoporum. *Dedit aliud Arelatenſe Concilium, non quia jam neceſſe erat, ſed eorum peruerſitatibus cedens.* Poſtea. *Non enim eſt auſus Chriſtianus Imperator,* &c. *vt de Iudicio Epiſcoporum qui Romæ ſederant ipſe judicaret.* Poſtea. *Eis ipſe ceſſit* vt de illa cauſa, *poſt Epiſcopos judicaret, à ſanctis Antiſtibus poſtea veniam petiturus.* Prouocatus fecit, ſed veniam petiturus. Non ergo putauit eſſe ſui juris, vnde Optatus l. 1. contra *Parmenianum* hac de re agens, Imperatorem adfert ſic loquentem. *O rabida furoris audacia! ſicut in Gentilium cauſis fieri ſolet, petitis à me in ſæculo iudicium, cum ego ipſe Chriſti iudicium expectem.*

Totum hoc apparet in *Chalcedonenſi* luculenter.

Summa

Summa eſt Hæc.

6. Imperatores Concilia conuocant aliquando. Vnde *Martianus* ad *Leonem; Si oneroſum eſt, vt tu ad his partes venias, hoc ipſum nobis proprijs literis tua Sanctitas manifeſtet: quatenus in omnem Orientem, & in omnem Thraciam & Illiricum ſacræ noſtræ literæ dirigantur, vt ad aliquem definitum locum qui nobis placuerit, omnes Epiſcopi conueniant.* Imò *Gregorius* in Regiſto hortatur Francorum Regem Synodum *iubere* congregari contra Simoniacos. De hoc ſunt multa monumenta, & in hoc *Auguſtinus* non culpauit Imperatorem loco citato, eò quod coegerat Synodum, ſicut nec alibi contra *Donatiſtas* ſæpius, vt etiam l. 1. contra Epiſ. *Parmeniani* c. 5. vbi dicit. *Ex arbitrio eius à Iudicibus Epiſcopis cauſam cognitam quibus præfuit Melchiades Romanæ vrbis Epiſcopus,* &c. *Cognitio* cauſæ ſemper Epiſcopis pertinet (hoc frequenter habetur apud *Aug.*) *Præſidentia* ad *Rom.* Epiſcopum, *Indictio* tamen loci; & etiam *Conuocatio Epiſcoporum* propter mixtionem cauſæ: ſcilicet quia pacem regnorum ſubinde tangere poſſet, aliquando prudenter ipſis permittitur: imò nec deneganda eſt ipſis conſenſio Chriſtiana determinationibus Patrum, ſecundùm illud *Auguſtini* eodem l. c. 9. *An fortè de Religione fas non eſt vt dicat Imperator, aut quos miſerit Imperator?* Immo cõniuerunt aliquando Eccleſiarum Prælati, dum Imperatores, ad quos licet injuſtè appellarunt Hæretici, judicarunt abuſiuè loquendo in materia Fidei, hoc eſt, non diſcuſſerunt ſeu examinarunt judicia Epiſcoporum, niſi poſtmodùm *veniam petituri*, quia hoc eſt contra jus: ſed propter peruerſitates Hæreticorum, judicia Patrum denuò pronunciarunt, ſeu ſuis calculis propter obedientiam externam confirmarunt. Et in hoc ſenſu putem loqui *Auguſtinum, quod fas eſt Imperatoribus de Religione dicere,* ſed hoc non eſt Iudices agere. Ad ipſos etiam ſubinde ſpectare poteſt ritè decreta promulgare, ſecundùm illud Patrum Catholicorum in Ep. Synod. *Arim.* ad *Conſtantium. Imperator Conſtans ab obitu ſuo dignus omni memoria, hanc Fidem omni cura & diligentia conſcriptam promulgauit.* Nec vllo jure poteſt vlterius protendi Principum poteſtas in his cauſis. Et ideò *Athanaſius* ad ſolitariam

Digitized by Google

vitam degentes, vocat *Conſtantium Antichriſtum*, quia faciebat ſe *Principem Epiſcoporum*, hoc eſt judicem in cauſis Eccleſiaſticis, præſertim quæ ſunt Fidei: licet nemo plus tribuat Imperatoribus, vt patet in multis Epiſtolis apud eum vltrò citròque miſsis, quæ habentur in Apol. 2. *Hoſius* etiam in Epiſt. ſua *Conſtantio* apud *Athan. Ne te miſceas Eccleſiaſticis, neque nobis in hoc genere præcipe, ſed potius ea à nobis diſce. Tibi Deus Imperium commiſit, nobis quæ ſunt Eccleſiæ concredidit & quemadmodum qui tuum Imperium malignis oculis carpit, contradicit Ordinationi Diuinæ, ita & tu caue, ne quæ ſunt Eccleſiæ ad te trahens, magno crimini obnoxius fias*. Plura habet. *Conſtantius* in contemptum Eccleſiæ dicere ſolebat, *Quod ego volo, pro canone ſit*. Epiſcopi verò Catholici ſuadebant *ne Eccleſiaſtica corrumperet, neue Rom. Imperium Eccleſiaſticis Conſtitutionibus immiſceret*.

7. Et in hoc *Panormitanus* de Concil. *Baſil.* prope finem bene ſic loquitur. *Reſpectu Imperatoris ſolum fuit dubietas facta, an in caſu Fidei cum tractatur de nouo articulo tangente Fidem, Imperator debeat intereſſe in Concilio. Vnde text. in c. vbinam. 86. d. ita Imperatorem alloquitur. Vbinam legiſtis Imperatores, Anteceſſores noſtros, Synodalibus conuentibus interfuiſſe? Niſi forſitan in quibuſdam, vbi de Fide tractatum eſt: quia vniuerſalis eſt, quia omnium communis eſt: quod non ſolum ad Clericos, verum etiam ad Laicos & ad omnes omnino pertinet Chriſtianos.* Poſtea. *Idem videtur ſenſiſſe Martianus Imperator, qui in prima Actione Chalc. Synodi, inter cætera dixit, Nos ad Fidem confirmandam, non ad potentiam oſtendendam, exemplo Religioſiſſimi Principis Conſtantini, Synodo intereſſe volumus, & veritate inuenta, non vltra ipſius doctrinis à vero diſcordet.* Poſtea. *Ex quibus verbis puto inferendum, quod Princeps & alij Laici interſint in cauſa Fidei ad tractandum cum alijs, ſed non ad idem dicendum,* &c. Poſtea. *Nam Laicis non licet judicare iſta ſpiritualia vt c. bene quidem 86. I.* Poſtea. *Quinimo dicit Ioan. And. quod etiam in cauſa Fidei, non eſt neceſſe Laicos vocari ad Conſiliũ: cũ ibidẽ definienda poterunt poſtea in prædicationibus publicare.* Dicit etiam Notabile verbũ, *quod Laici poſſunt ad Concilium venire pro juſtitia petẽda vel defendẽda, & alleg. c. nouit de judic. Ego allego text. optimũ in c. 1. de Sponſa. Aliter tamen in cauſa Fidei ſenſit gloſſa in d. c. fi. & gl. in c. Adrianus.*

Digitized by Google

nus. Sed quicquid ſit in alijs Laicis, puto quod Principes jure ſuo debent admitti vbi tractatur de Fide, non ad potentiam oſtendendam ſeu definiendam, ſed ad Fidem conſeruandam: cum de pace Eccleſiæ & eius integritate teneantur Deo reddere rationem, vt in c. Princeps. 14. q. 5.

Hæc ſunt omnia quæ habet: & ideò fuſiùs recito, quia falsò citatur & perperam intelligitur à multis, cum ipſe plane conueniat cum hactenus à me dictis, & vt puto cum veritate & cum omnibus veteribus.

8. Concludam igitur cum *Damaſceno* orat. 2. de Imaginibus. *Regum partes non ſunt, vt Eccleſiæ leges præſcribant: conſidera enim quid D. Apoſtolus dicat. Et hos quidem in Eccleſia poſuit; primùm Apoſtolos, deinde Prophetas, tum Paſtores & Doctores. Ad Eccleſiæ conſtitutionem non adhibuit Reges.* Poſtea. *Verbum non locuti ſunt vobis Reges, ſed Apoſtoli & Prophetæ, Paſtoreſque & Doctores.* Poſtea. *Regum eſt ciuilis adminiſtratio: Eccleſiaſtica verò conſtitutio, Paſtorum atque Doctorum.* Hoc fuſè proſequitur S. Doctor.

Ratio verò omnium horum eſt, quia in vna Eccleſia, membra fecit Deus, vt eſt vox Apoſtoli, quam apertè interpretans *Gregorius* Theologus, eum qui in ijs eſt, ordinem commendat, dicens. *Hunc ordinem teneamur fratres, hunc ſeruemus; hic quidem ſit auris, ille verò lingua, hic autem manus; hic verò aliquid aliud; hic quidem doceat, ille verò diſcat.* Et paulò poſt. *Et diſcẽs in docilitate & ſuppeditans in hilaritate, & opem ferens ac ſubminiſtrans in alacritate, ne ſimus oẽs lingua, quod eſt promptius, oẽs Apoſtoli, ne oẽs Prophetæ, ne oẽs interpretemur. Et poſt quædã, Cur te ouiũ paſtorem facis? cur caput efficeris, cùm ſis pes? Cur Imperator eſſe conaris, cum relatus ſis in numerum Militum? &c.* Pulcherrimè hoc proſequitur idem *Nazianzenus in Orat. de moder. in diſp. & Orat.* Imò caſu quo animarum Præſules errẽt, addit S. Doctor: *Neſcitis fratres quo verſemur in periculo, qui hìc magnificè præſidemus, & leges vobis priuatis ponimus; quod & cogitata & dicta, & geſta omnia expendantur à Deo, nec à Deo tantum; ſed etiam à maiori parte hominum, qui rerum quidem ſuarum tardi ſunt iudices, alienarum verò ſunt paratiſſimi cenſores, & faciliùs maxima alijs quam nobis minima condonent.* Quam veraciter iniquam *Laicorum* in Eccleſiæ *Prælatos edacitatem* pungit Sanctus hic Prælatus, ſi quis alius animarum

rum

Digitized by Google

rum zelator. *Chryſoſtomus* epiſt. ad *Philip*. hom. 9. in c. 1. ad *Gal*. 7. ſeu in ſermone *Quod non ſint obijcienda Sacerdotibus probra*: Siue inquit vera ſint ſiue falſa, quæ Sacerdotibus obijciuntur, damnum ſibi creant qui obloquuntur. Quam ob cauſam? Quia ſi vera ſint, ita quoque ſibi nocent, ferendo iudicium de Magiſtris, & peruertendo ordinem. Si enim de fratre non oportet iudicare, quanto minus de Magiſtro?

9. Non me tamen latet *Farellum*, vt teſtatur *Caluinus* in Epiſt. ad *Sadoletum* Cardinalem, & poſt ipſum alios, omnibus modis contendiſſe vt *Seniores* quos vocant populi, ad regimen Eccleſiæ & præſertim ad Synodos conflandas, vt *vocales* & *ſuffragatores* etiam in rebus diuinis introducere, potius per fas & nefas intrudere poſsint: nec contenti ſunt, vt ſubinde ad res arduas, *Conſilij* cauſa aduocentur, vt olim Patres Philoſophum licet Gentilem in re Philoſophica libenter audiebant, & in *Niceno* vnus ſimplex laicus, habita Patrum licentia Philoſophum in ſuis argutijs turgeſcentē proſternebat, & ad Fidem conuertebat: ſed *Nouatores illi Geneuetici* Cathedras Patrum Aſſeſſorias & ipſis Iudicibus proprias ambiunt. Quod ab initio Prædicationis Fidei nuſpiam auditum eſt, ſecundum illud *Athanaſ*. ad Solitarios, *Quando ab æuo condito auditum eſt? Quando judicium Eccleſiæ authoritatem ſuam ab Imperatore accepit?* Quid igitur de *Senioribuss* illis dixiſſet? Prætenderunt verò (vt patet apud Chamierum de Alſtidio in cap. 4. de membris Eccleſiæ, & alibi tetigi in Apolologia Epiſcoporum c. 8. præter alios textus, quos non adeo feruidè vrgent) tritiſsimum illud *Pauli* ad *Timotheum* 1. Tim. 5. 17. *Qui benè præſunt Presbyteri duplici honore digni habeantur: maximè qui laborant in verbo & doctrina.* Quam vero ineptè & inſulſè contorqueatur hic contextus ad ſenſus tam peregrinos, non eſt aliò conuertendum, vt ſtatim cuiuis pateſiat, quam ad ipſam contextus ſeriem: quippe ibidem docet *Thimotheum* quomodo ſe gerere deberet in Sacerdotum regimine, qui & quomodo puniendi, qui & ob quod honorandi: De laicorum gubernio fusè egerat in ipſo Capitis initio, *ſeniorem ne increpaueris, &c.* Sed hic de laicis ne *gry* quidem.

Omnes demum veteres & *Neoterici* Expoſitores per *Preſbiteros* Dei

Dei Sacerdotes vnanimiter hactenus intellexerunt, nec aliter intelligere potuerunt, niſi *Gebennenſes* qui omnia tàm ſacra quàm profana inuertere & ſubuertere ad nouum ſuum Monopolium ſtruendum moliuntur; ſuas etiam fantaſias, non Apoſtoli mentem plebeculæ ſuæ obtrudere malunt; ſed irriſoriè, vt etiam ex ſuperiùs dictis manifeſtum eſt. Rectè igitur his applicatur illud Græcorum adagium *τὰ ἄνω οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς, quæ ſupra nos nihil ad nos.* Nec illud Actuum. 1. vbi mulieres ſanctæ, & inter reliquas, *Mater* Iesv, interfuerunt Concilio Apoſtolorum in electione *Matthiæ*, plus vrget: quia licet illæ juuabant orationibus ſuis, non tamen eligebant, nihil verò impedit, quo minus intereſſe poſſint. Deinde non tangebatur ibi Fides. Vnde ſane longè aliter Chriſtus Dominus Populũ Dei inſtruendum docet, dum non ad Cathedras illas Populares & fanaticas, ſed ad Apoſtolos & ſuos ſucceſſores remittit *Lucæ* 10. v. 16. *Qui vos audit me audit, qui vos ſpernit me ſpernit.* Vbi populum *Auditores*, Apoſtolos judices & Doctores conſtituit Chriſtus.

10. Denique parilitas illa Epiſcoporum & Sacerdotum, & illa non diſtinctio Cleri & Laicatus, quã fingunt Caluiniſtæ apud *Chamierum* & ſuos, exploſa eſt per omnem Antiquitatem: vt fuſè oſtendi in Apologia Epiſcoporum.

In re igitur exotica longius non hærendum. Hoc ſolum capiant ex *S. Ignatio* Ep. ad Philadelphenſes, *quotquot ſunt Chriſti, ipſi ſunt Epiſcopi* & loquitur de vera ſignificatione Epiſcopi, vt diſtinguitur à Sacerdotibus, &c. Vbi manifeſtè vult nullum poſſe eſſe membrum Chriſti, qui non obediat Epiſcopo, ita vt *Ly Epiſcopi* ſit genitiui caſus.

Obſeruatu verò dignum eſt quod refert *Athanaſius* in Ep. ad Solitarios verſus finem, vbi *Arriani* Gubernatores, tàm Eccleſiaſtici quàm Ciuiles excitabant Laicos contra Epiſcopos Catholicos & eorum ſequaces: Triſtes ſanè enarrat ex populari illo tumultu mox actas Tragædias, *Subſellia, Thronũ ſc. Epiſcopalẽ menſam ligneam, Tabulas Eccleſiæ & cætera quæ poterant, foras elata combuſſerunt ante veſtibulum in magna platea & Thura inſparſerunt. O quis hæc audiens non fleuerit? Imo quis non ne iſta audiat, aures occluſerit?* &c. Sed non procul eſt vnidicta diuina, vnus

magnâ vi Thronum ſcilicet Epiſcopi *conuellens*, &c. *effuſis viſcerib us corruit, alter oculis captus ſubitò memoriam perdidit & viſum ad tempus*. Examinet lector an non per omnia reſpondeat præſens rerum ſtatus Antiepiſcopalis & Po pularis.

Qui verò ſincerè deſiderat intelligere ſenſum Eccleſiæ primitiuæ & potius Apoſtolicæ de neceſsitate Epiſcoporum in ordine ad hactenus diſputata: legat Epiſtolas *S. Ignatij*, ſolum vndecim numero, ſed lõgè grauiſsimas: ſpecialiter legat primam quæ eſt ad *Trallianos*, & ſecundam & alteram, quæ eſt ſexta ad Smirnenſes; & ſpondeo, manus dabit ſi Chriſtiano agatur ſpiritu. Deſcribit exactè diſtinctas functiones Epiſcopi, Sacerdotis & Diacon. &c.

CAPVT XXXI.

De diuerſis Conciliorum Nomenclaturis.

1. OBſeruandum vel maximè, apud veteres, Concilia diuerſas Nomenclaturas obtinuiſſe, quæ ſi non ſedulò aduertantur, confuſionem pariunt. Mentionem enim faciunt Synodi *Majoris* quæ ſecundum *Zonaram* in Concil. *Conſtant.* 2. Can. 6. intelligitur de ea, ad quam omnes Diœceſeos Epiſcopi conueniunt. Diœceſis vero tunc regna integra comprehendebat, & omnes eorum Epiſcopos: & Prouincia tunc temporis, idem quod nunc Diœceſis ſignificabat, vt ibi facilè colligitur.

2. Subinde & *perfectæ Synodi* meminerunt, vt Concilium *Antioch.* can. 16. 17. quæ ibidem explicatur eſſe, cui adeſt *Metropolitanus* cum ſuis Epiſcopis Prouincialibus, adeo vt idem importet quod *Concilium Prouinciale* in ſtilo hodierno.

3. Aliquando etiam Synodos vocant *Locales*, quas diſtinguunt ab œcumenicis ſolum, vt *Zonaras* in præfatione ad *Nicenum* primum. Aliquando etiam *plenariæ* dicuntur, quæ non aliud quam quod jura hodierna per *Nationale* intendunt, prout aliqui intelligunt *Auguſtinum*

ſtinum, vbi dicit plenaria poſterioribus aliquando emendari. Per *Regionale* etiam intelligit *Nationale* l. 3. c. 2. contra *Donat.* de Bapt. Imò & Generale ſubinde *Nationale* importat, vt etiam notari poteſt, præſertim in *Toletano* quarto, Canone. 3. vbi nationalis Synodus Generalis vocatur, verba ſunt. *Generalis Hiſpaniæ & Galiciæ Synodus celebretur*, cum manifeſtum ſit Synodum ex duabus illis Regionibus conflatam haud excedere Nationalem. Eodem modo, in Præambulis ad Canon. 1. dicitur: *Et quoniam nos Generale Concilium agimus*, & tamen ex Patribus Hiſpaniæ & Galiciæ oriundis ſolùm conſtabat. Imò quod magis mirandum eſt, Synodi nationales ſubinde *vniuerſalium* titulo congaudebant, vt patet in Synodo Toletana ſexta, vbi in Capitulo primo, numero nono, Patres de quadam Synodi 4. Toletanæ conſtitutione agentes, ſic loquuntur. *Viduæ quoque ſicut vniuerſalis jam dudum ſtatuit Synodus, profeſſionis, vel habitus ſui deſertrices, ſuperiori ſententia condemnentur*, & paulò ſuperius numero 2. quintam Toletanam, *vniuerſalem* etiam nominant, dicentes: *Proinde vniuerſalis authoritate Concilij cenſemus, vt hi dies Litaniarum, qui in Synodo præmiſſa ſunt inſtituti, eodem tempore quo juſsi ſunt excoli, annuo recurſu omni obſeruatione habeantur celeberrimi*, &c. Patet verò in quinta Toletana Canone ſeu numero primo, illam de Litanijs factam fuiſſe conſtitutionem.

4. Hæc omnia diligenter attendenda ſunt, præſertim dum de Fide tractatur. Nam vt colligitur ex d. 18. *Epiſcoporum Concilia quæ non ſunt œcumenica, inualida ſunt ad definiendum, licet neceſſaria ad corrigendum, & exhortandum*, & quæ aliàs definita ſunt, conſtituere & indicere poſſunt; imò & etiam diſcutere poſſunt cauſas Fidei in Concilijs plenarijs definiendas, vt alibi oſtendi ex *Auguſtino*. Vndè *Aurel.* Carthaginenſis in prefat. Concil. Mileuit. dicit: *Quædam de cauſis Fidei, vndè nunc quæſtio Pelagianorum, in hoc cætu ſanctiſsimo primitus tractentur.*

Addo quod non ſolùm diſcutere, ſed etiam conciliariter determinare poſſunt dubia in vel circa Fidem exurgentia, ſed non vltimatè definire. Hoc vtique eſt ſolùm Conciliorum Generalium.

5. Hoc dico *per ſe* loquendo; *per accidens* tamen poteſt in illis determinationibus finaliter ſiſti, ſcilicet cum nulla de iſtis punctis cele-

Digitized by Google

brentur Concilia plenaria, modò ſatis aliunde conſtet de *Eccleſiæ vniuerſalis acceptatione*, & hunc fuiſſe morem antiquum Eccleſiæ, nec reprobatum, alibi oſtendo in cauſa *Pelagij*. De qua Hæreſi agens *Auguſtinus* in Epiſt. 106. modum condemnationis narrat. *Miſſæ ſunt itaq; de hac re ex duobus Concilijs, Carthaginenſi & Mileuitano, relationes ad Apoſtolicam ſedem, antequam geſta Eccleſiaſtica, quibus apud Epiſcopos Prouinciæ Paleſtinæ Pelagius perhibetur eſſe purgatus, vel in manus noſtras, vel in Africam perueniſſent. Scripſimus etiam ad beatæ memoriæ Papam Innocentium, præter Conciliorum relationes, literas familiares, vbi de ipſa cauſa aliquantò diutius egimus. Ad omnia nobis ille reſcripſit eodem modo, quo fas erat, atq; oportebat Apoſtolicæ ſedis Antiſtitem.* Poſtea. *Vbi videbis ſeruatâ erga hominem moderatione quæ debuit, ne damnaretur ſi praua damnaret, ipſum tamen nouellum & pernicioſum errorem ſic Eccleſiaſtica authoritate compreſſum, vt multum miremur eſſe adhuc quoſdam, qui per quemlibet errorem gratiæ Dei conentur obſiſtere, ſi tamen hæc geſta didicerunt.* Epiſt. etiam 47. optimè vt vbique ſolet, eandem quæſtionem tractans, modum procedendi in illa condemnatione exponit. Verba ſunt digna lectu, propter aliquos qui ſuas nouas opiniones *Auguſtini* doctrinæ præferunt, cum verè non ſit tam *Auguſtini* quam totius Eccleſiæ. *Vobis dirigenda eſſe credidimus, quibus cognoſcatis quemadmodum Catholica Eccleſia, in Dei miſericordia, Pelagianæ hæreſis venena repulerit. Quod enim ſcriptum eſt ad Papam Innocentium Romanæ vrbis Epiſcopum, de Concilio Prouinciæ Carthaginenſis & de Concil. Numidiæ, & aliquantò diligentius à 5. Epiſcopis, & quæ ipſe ad 3. iſta reſcripſit. Item quod Papæ Zozimo de Africano Concilio ſcriptum eſt, eius reſcriptum ad vniuerſos totius orbis Epiſcopos miſſum, & quæ Poſteriori Concil. plenario totius Africæ contra ipſum errorem breuiter conſtituimus, &c.*

Ex his facilè videt lector eruditus quibus gradibus ex Prouincialium Conciliorum definitionibus, ad vniuerſam Eccleſiam deuentum eſt. Quod etiam ſummariè tangit *Proſper* in reſponſione octaua ad Capitula Gallorum. *Cum ducentis quatuordecim Sacerdotibus, quia Conſtitutiones contra inimicos gratiæ Dei, totus mundus amplexus eſt veraci profeſſione,* &c. Vbi finaliter ſiſtitur, ſcilicet ſi totus mundus definitiones

finitiones Conciliares licet ſolum Prouinciales amplectatur.

Sic in Hæreſi *Nouati* negantis omnem reconciliationis & ſalutis ſpem lapſis. De qua re agens *Cypr.* Ep. 52. dicit. *Ac ſi minus ſufficiens Epiſcoporum in Africa numerus videbatur, etiam Romam ſuper hac re ſcripſimus ad Cornelium Collegam noſtrum, qui & ipſe cum plurimis Coepiſcopis habito Concilio, in eandem nobiſcum ſententiam pari grauitate & ſalubri moderatione conſentit. Euſeb.* l. 6. Hiſtor. Eccleſ. c. 33. quomodo in alijs partibus obtinuit, enarrat. Præterea etiam per ſingulas quaſque Prouincias, de hac re magna deliberatione habita, decretis ſignificabatur, quid facto eſſet opus, &c. Super quibus tota Eccleſia Hæreſim illam damnauit.

Patet etiam in *Photino* & *Sabellio* condemnatis in Concil. Rom. ſub *Syluestro*, res eſt obuia.

6. Diximus tamen & verè, *per ſe loquendo*, definitiones Fidei ad vniuerſalia ſpectare, ad quæ etiam ſpectat opportuna remedia prouidere contra publica & vniuerſalia vitia. Et ideò *Auguſtinus* Epiſt. 64. agens de frequenti ebrietate non ſolum apud Africanos, ſed per *Italiæ maximam partem, & in alijs omnibus, aut propè omnibus tranſmarinis Eccleſijs*, etiam in honorem Martyrum, *nec ſolùm per dies ſolemnes, ſed etiam quotidie*, vbi oſtendit ad Sanctorum Martyrum ſepulchra, ad loca Sacrorum hoc fieri ſolere: tandem de remedio cum *Aurelio* Epiſcopo ipſe Præſbiter agens dicit. *Sed tanta peſtilentia eſt huius mali, vt ſanari prorſus, quantum mihi videtur, niſi Concilij authoritate non poßit.* Concilia igitur vniuerſalia (nam de alijs non poteſt ibi tractare *Auguſt.*) non ſolum definire habent quæ ſint Fidei, ſed etiam in ordinatione morum corrigere.

6. Oecumenica verò quæ ſint, diximus ſuperiùs & fusè capite præcedenti: & certè quæ ibi appoſui ad enodandam & ſuperandam hanc magnam & perplexam difficultatem de modo ſciendi Concilia vniuerſalia, diligenter attendenda, & penitus inſpicienda ſunt: nam omnia Concilia quæ hactenus ab Eccleſia pro vniuerſalibus recepta ſunt, declarant, & quæ deinceps pro talibus haberi poſſunt, docent. Succinctè quidem egi, omnes tamen quæ adferri poſſunt obiectiones

Digitized by Google

quoad regulas ibi datas, vti ſpero, dilui: quas etiam facilè ſuperabit Lector eruditus, ſi dignabitur diligentiùs applicare. Ex diuerſis igitur nomenclaturis facilè patet non multùm attendendum, quali vel quoto honoris titulo appellentur, ſæpius enim quadam humanitatis, vel reuerentiæ ſpecie Patres malunt excedere, quam ad Eccleſiaſticæ regulæ rigorem ſuos ſemper ſermones cōponere. Sed ſi velimus nec fallere nec falli in decernendo Synodum vere vniuerſalem, à non vniuerſali, regula Eccleſiaſtica in ſuperiori Capite expoſita, ſemper vt dixi, attendenda eſt. Vel ſi magis metaphyſicè agere malumus, ipſam Concilij vniuerſalis definitionem à *Cuſano* capite præcedente datam ſpeculemur, ſecundùm modificationem quam in curſu Capitis applicui, & ſtatim apparebit veritas.

CAPVT XXXII.

Authoritates Sanctorum an & quomodo ſequendæ? & incidenter de Indulgentijs.

1. QVod dixerunt aliqui, licet aliàs celeberrimæ authoritatis Doctores, vt *Michaël Medina* l. 1. *De Sacrorum Hominum continentia* c. 5. quod etiam antea in Conſultationibus, (ſeu quas vocarunt) Congregationibus Theologorum Concilij *Tridentini* prædicarat, & inſtantius confirmarat; *Hieronymum*, *Ambroſium*, *Auguſtinum*, *Primaſium*, *Chryſoſtomum*, *Theodoretum*, *Oecumenicum*, & *Theophilactum* eundem cum *Arrio* tenuiſſe errorem de æqualitate Epiſcoporum & Sacerdotum, ab Eccleſia verò rectè fuiſſe in *Arrio* damnatum, licet in ipſis aliàs Catholicis diſſimulatum.

Pace tanti viri (cuius judicium in reliquis magnifacio) mihi ſanè hoc Paradoxum videtur vel maximum, Eccleſiam ſolere definire pro veritate Catholica, cuius oppoſitū à tanta multitudine SS. & grauiſſimorum Patrum vnanimiter teneretur, nec de hoc vlla inſtantia dari poteſt, præſertim in re tam graui; & ſi in ejus examinatione remorati ſunt, vt in illa materia conſtat, & in Apologia Epiſcoporum oſtendi:

Nunquam

Digitized by Google

Nunquam equidem Eccleſia in Concilijs ſibi vſurpauit hanc authoritatem, vt in omnibus Concilijs conſpicuum eſt, nam vt rectè *Hormiſda* Papa Epiſt. 21. quæ legitur in Synod. Conſtantinop. ſub *Menna* Patriarcha, *Quod ſi ſunt, quæ Religionis aliquo colore contecta ſint, vires habere nequeunt, quæ tantis authoribus reluctantur.* Et paulò ſuperiùs, *Quicquid aduerſus regulas Patrum de quibuſlibet commentarijs profertur, abijcite.* Vnde *Zoſimus* Papa 25. q. 1. *Contra ſtatuta Patrum condere aliquid, vel mutare, nec huius ſedis poteſt authoritas.* Et *Vrbanus* Papa ibidem Canone *ſunt quidam. Vbi Sancti Patres ſententialiter aliquid definierunt, ibi non nouam legem Romanus Pontifex dare, ſed potius quod prædicatum eſt, vſque ad animam & ſanguinem confirmare debet.*

Hinc *Aug.* Ep. 28. dicit. *Beatus Cyprianus non aliquod decretum condens nouum, ſed Eccleſiæ Fidem firmiſſimam ſeruans, ad corrigendum eos qui putabant ante octauum diem Natiuitatis non eſſe paruulum baptizandum,* &c. In materia igitur Fidei nihil nouandum ſecundùm *Auguſt.*

Etiam *Leo* ad *Pulcheriam Auguſtam* in Synod. Chalced. ſic clamat. *Conſenſiones Epiſcoporum Sanctorum Regulis repugnantes in irritum mittimus, & per authoritatem B. Petri Apoſtoli generali prorſus definitione caſſamus.* Et meritò. Talibus enim (vt cum *Auguſtino* aduerſus *Iulianum* Pelag. l. 2. c. 10. loquar) *poſt Apoſtolos, S.* Eccleſiæ *Plantatoribus, Rigatoribus, Ædificatoribus, Paſtoribus, nutritoribus, creuit, qui Diuinæ familiæ Dominica cibaria fideliter miniſtrantes, ingenti in Domino gloria claruerunt.* Et ideò διδασκαλίας τῶν ἁγίων omnes ſemper excipiebant, vt notauit B. *Maximus* & quidni? Eccleſiam etenim ipſos derelinquere & doctrinam ipſis in illo genere, in ratione ſcilicet Fidei incognitam, vt Catholicam determinare, nunquid eſſet nouos cudere Fidei articulos? Nouis niti reuelationibus? Eſſet mehercule *Euangelizare præter id quod Euangelizatum eſt*, quod tam grauiter prohibuit Apoſtolus ad Gal. 1. vel vt loquitur Ep. 1. ad Timoth. c. 1. v. 3. Hoc eſſet ἑτεροδιδασκαλεῖν quod ibi inſinuat eſſe proprium Hæreticorum, aliter ſcilicet docere quam à Patribus didicerunt, quod etiam ſumme cauendum docet ad Hebræos. 3. v. 1. & addit rationem, ne ſuper effluamus, hoc eſt, ſemel moto fundamento, perdamus omnia.

Siſtendum.

Siſtendum igitur in vijs & veſtigijs veterum.

Nam vt rectè *Canus* l. 7. c. 3. ex *Waldenſi* & *Lerinenſi Quod major pars Patrum ſenſerunt, id eſſe Catholicæ veritatis*, nempè caſu quo reliqui non deſciuerint. Sic in Symbolo in Oriente addebatur, Patrem *inuiſibilem* & *impaſſibilem*, licet duo *iſti ſermones in Eccleſia Romana ſymbolo non habeantur*, vt notat *Ruffinus* in ſua Symboli expoſitione, addit: *Conſtat autem apud nos additos, hereſeos cauſa Sabellij, illius profectò quæ à Noſtris Patri-paſſiana appellatur*, &c. *Vt ergo excluderetur talis impietas de Patre, videntur hæc addidiſſe majores, &c.* & hæc additio non reprobabatur à cæteris, & judico quod pro ſenſu totius Eccleſiæ habebatur. Quod ſi reliqui, licet pauciores, reclamarint, Theologo argumenta firma præſtare non poſſunt plurium Patrum authoritates, vt elegantiſsimè *Canus*.

Et hoc non impertinenter vrgebant Patres Græci in *Florentino* pro ſua cauſa, vſque dum melius conſtaret de vnanimi Patrum conſenſu: nec recuſabant Patres Latini eos Patrum diuerſitatem objectantes, audire. Vnde fatetur *Beſſarion* in opere ſæpius citato. *Nos alios ſanctos contrarium affirmantes oſtendere non poteramus*, *eoſdem ipſos Occidentales aliter dicentes alibi*, *minimè oſtendebamus*, & hinc tandem finita eſt lis. Addit *Beſſarion*: *Attamen non deerant qui & alio abundarent reſponſo, nimirum erraſſe Occidentales Sanctos, & in hoc deceptos eſſe. Hoc autem Catholicam Fidem nobis euertere manifeſtum eſt. Si enim Fides noſtra pendet à Sanctis, hi verò falluntur in Fidei veritate, Fides euerſa eſt.*

2. Hoc intelligi debet ſecundùm prius dicta, nempè ſi reliqui non deſciuerint: quod ſi alij graues Sancti oppoſitum docuerint, Fides non erit. Non enim euincunt certam & Apoſtolicam Traditionem, vbi inter SS. Patres iſtiuſmodi diuerſitas cruduerit, niſi Eccleſia tum præſens illas paucorum opinationes exploſerit, vt patet in cauſa *Cypriani* & multis alijs

Quid verò Patres ſenſerint de illa Controuerſia, de Epiſcoporum ſcilicet inſtitutione & authoritate; alibi in *Apologia Epiſcoporum* nuper à me edita, fuſè expendi; per tranſennam verò notabo quid *Irenæus* Apoſtolis ferè Contemporaneus, tam ſuo quam totius Eccleſiæ nomine

in hac

Digitized by Google

in hac re poſteris reliquit, præſertim cũ ad præſens inſtitutũ inſeruit. Aduerſus Hæreſes ergo ſic ſcribit l. 3. c. 3. *Traditionem Apoſtolorum in toto mundo manifeſtam, in Eccleſia adeſt perſpicere omnibus qui vera velint audire, & habemus annumerare eos, qui ab Apoſtolis inſtituti ſunt Epiſcopi in Eccleſijs, & ſucceſſores eorum vſque ad nos*, &c. Nec dubium eſſe poteſt, quin Epiſcopos vt Eccleſiæ Prælatos, Præſbiteris diſtinguat, vt in modo loquendi apparet, ſic igitur ad mentem eius arguitur.

Quod ab omnibus Eccleſijs eſt receptum, eſt Traditio Apoſtolica & diuina: (Hæc duo confundit) ſed præfectura Epiſcoporum eſt ab omnibus Eccleſijs recepta, ergo, &c. Hoc eius & vniuerſæ Eccleſiæ de hac re judicium, *Cyprianus* etiam non adeò longè poſterior in Ep. 27. citans illud *Matthæi, Tu es Petrus & ſuper hanc Petram*, &c. eodem planè modo, Epiſcoporum Ordinationem & Eccleſiæ rationem, ſimul & ſemper ab ipſis Apoſtolis ſucceſsiuè decurriſſe contendit, & hoc in multis Epiſtolis iterat. Quis igitur SS. Patres receptiſsimæ & vniuerſaliſsimæ & ſucceſsiuæ huic *Traditioni* de Epiſcoporum & Præſbiterorum diſtinctione contraueniſſe, audire vel ferre poteſt?

3. Nota. Non me tamen latet perquam plurimos Orthodoxos, tenere, non ſequi ex eo quod omnes Sancti Patres hoc vel aliud admiſerint, etiam in materia graui, id ideo de Fide ſtatim pronunciandum. Sed adhuc probandum eſſet eos contrariam opinionem damnaſſe; & eodem modo ſi Eccleſia Catholica in tota ſua Latitudine, & à fortiori, ſi Concilium vniuerſale, hanc vel illam veritatem amplecteretur, niſi euinci poſſet, contrariam ab Eccleſia vt Hæreticam explodi, priorem de Fide haud ſtatui poſſe.

Ratio horum in hoc conſiſtit, quòd tàm SS. Patres, quàm ipſa vniuerſa Eccleſia, vnius præ alia opinionis electionem facere poſſunt ex medijs quæ ipſis certiora videntur, licet ad Fidem aſtruendam non ſufficiant, & de aliquibus inſtantias dari poſſe confidunt, vt de Aſſumptione B. Virginis inſtat *Canus* in locis.

Concilium etiam Viennenſe in materia de virtutibus in Baptiſmo infuſis, affirmatiuam vt probabiliorem à tota Eccleſia ſequendam docet: cur non etiam in alijs rebus vniuerſim vni parti adhæreri poſſet

opinatiuè non definitiuè? imò ſexcenta ſunt, quæ à Concilijs etiam Generalibus opinatiuè tenentur, in Scholis tamen Theologorum communiter reijciuntur. Alia etiam, quæ in Concilijs poſitiuè aſſeruntur, apud Theologos ſaltem, non vt de Fide acceptantur, vt illud de pura Spiritualitate Angelorum in Concil. Lat. c. 1. *Firmiter de Fide Catholica*, nempè quia nec illa prioris, nec hæc poſterioris generis ſtrictè definiuntur, ſed probabiliter decernuntur, licet in illo Lateranenſi annectant Patres, *Firmiter credimus & ſimpliciter confitemur*. Nec tamen putant Theologi hæc verba ſufficere ad definitionem Fidei declarandam in hac re, quia non eſt Principalis Concluſio ad quam collimat Concilium.

4. Sed quia video hanc ſolutionem multis viris doctis haud facere ſatis: imò putant ſimilibus, vt dicunt, euaſionibus omnia licet maniſeſtiſsima poſſe eludi, ideò conſequenter ad alia mea fundamenta de modo cognoſcendi & decernendi definitiones Conciliares, faciliores ad huiuſmodi occurrētias adhibui ſolutiones, quas faſtidio eſſet repetere.

Rectè tamen dicit *Bellarminus* l. 2. de Concil. c. 12. *In Concilijs maximam partem Actorum ad Fidem non pertinere, ſed tantum ipſa nuda decreta, & ea non omnia, ſed tantum quæ proponuntur tanquam de Fide*, &c. Cui etiam conſonat *Canus* de locis l. 6. c. 4. ad 4. & l. 5. c. 5. q. 4. *Innocentius* denique *tertius* in c. A Nobis. De ſent. Excom. dicit. *Indicium Eccleſiæ nonnunquam opinionem ſequitur, quam & fallere ſæpè contingit & falli.*

Optimè igitur dicit *Auguſtinus* in Ep. 28. *Contra Cypriani aliquam Opinionem, vbi quod videndum fuit, fortaſſe non vidit: ſentiat quiſque quod libet, tantùm contra Apoſtolicam Manifeſtiſſimam Fidem nemo ſentiat*, &c. Et eodem modo in materia morum in Fide fundatorum, ſecundùm illud eiuſdem *Auguſtini* paulò inferius. *Contra Eccleſiæ fundatiſſimum morem nemo ſentiat*, &c.

5. Illud etiam quod inſinuarunt alij, & frequenter obiectant Hæretici, *Durandum*, *Antoninum*, & inuictiſsimum Martyrem *Roſſenſem*, vt notat *Bellarminus* l. 2. de *Indulgentijs* cum *Cajetano* aſſerere, Indulgentias niti ſola Eccleſiæ authoritate, veteribus verò non fuiſſe adeo cog-

nitas,

Digitized by Google

nitas, quod etiam inſinuat *Suarez* to. 4. ſect. 2. inſolens eſt loquendi modus, & vt opinor falſus, nec vſpiam à Concilijs vſurpatus, hoc nempe vt rectiſsimè *Vega*, eſſet duntaxat Dei & habentium Spiritum Propheticum, nouis vtique reuelationibus, non antiquis niti, vt euidens eſt. Et hinc Patres in *Trident.* longè aliam Indulgentiarum inuenerunt Originem, vt patet ſeſſ. de Indulgentijs. *Cùm poteſtas conferendi Indulgentias à Chriſto Eccleſiæ conceſſa ſit, atque hujuſmodi poteſtate diuinitus ſibi tradita, antiquiſsimis etiam temporibus illa vſa fuerit*, &c. Poſtea. *Sacrorum Conciliorum authoritate probatum in Eccleſia retinendum eſſe docet*, &c.

Ecce à Chriſto hanc poteſtatem deriuant, & ne videatur recens inuentum, additur, atque huiuſmodi poteſtate *Diuinitus* ſibi tradita, *antiquiſsimis etiam temporibus* illa vſa fuerit, &c.

Chriſtum ergo fundatorem, Sancti Patres conteſtes adferunt. Et vt omittam alios, *Tertull.* omnium primus, quem vt Magiſtrum ſequitur *Cyprianus* in lib. ad Martyres, ſi benè ſapio, Indulgentias tangit, dicens, *Pacem quidam in Eccleſia non habentes, à Martyribus in carcere exorare conſueuerunt*, &c. Hoc eſt, dum Eccleſia pro grauioribus delictis pænitentias infligebat, à Martyribus, id eſt, interuentu Martyrum relaxationem exorabant. Quod eſt Indulgentia in ſenſu *Trid.* vt patebit, & notandum eſt quod dicit fuiſſe hac de re tunc temporis *conſuetudinem*, *Nam exorare conſueuerunt*, &c. Dicit etiam ibidem Martyres petentium deſideria ponderantes; merita quoque ſingulorum, & delictorum genera expendentes, pacem aliquibus conceſsiſſe libello ſignatam.

6. Et hinc obſeruandum eſt, vel maximè nihil eſſe de Fide, vi huius Concil. in materia de Indulgentijs, præterquam quod SS. Patres & Eccleſia antiqua practicarunt. *Roſſenſis* etiam quicquid alij dicunt, qui eum alienis oculis inſpexerunt, in examine art. 18. dicit. *Euangelium fauere & Generale ſubſcripſiſſe Concilium, ac recentiorum Interpretum cætum vniuerſum.* Subdit quidem. *Neque enim à veteribus hæc res in quæſtionem venit.* Quod longe aliud eſt quam dicere, Indulgentias Eccleſiæ ſolum niti authoritate. Eccleſia quidem vt alibi fusè oſtendo, definire poteſt

recurrendo ad *Euangelium ſi faueat*, & ad *vniuerſum* præſentis Eccleſiæ ſenſum, licet à Patribus res nunquam in quæſtionem venerit. Centies hoc in Concilijs factum eſt, & alibi in hoc opere adfero *Auguſtinum*, ſic de alia re reſpondentem. Dicit quidem *Roffenſis*, quod *quamdiu nulla fuerit de Purgatorio cura, nemo quæſiuit Indulgentias*, ſubdit, *Nam ex illo pendet omnis Indulgentiarum exiſtimatio. Si tollas Purgatorium quorſum Indulgentijs opus erit?* Poſteà. *Cœperunt igitur Indulgentiæ, poſtquam ad Purgatorij Cruciatus aliquandiu trepidatum erat.* Nuſpiam dicit Indulgentias authoritate ſola Eccleſiæ vel Conciliorum niti, ſed ibidem oſtendit eas eſſe antiquiſsimas & Euangelio conſonas, *licet in principio* naſcentis Eccleſiæ nullus fuerit earum vſus. Quod nihil eſt contra inſtitutum meum ſi totum concederetur, quod tamen non concedendum eſt.

7. Non vigebant quidem tunc temporis Indulgentiæ, quoad formas illas Conceſsionum quibus vtitur Summus Pontifex in hodierna Eccleſiæ diſciplina, nempè quia *à veteribus hæc res in quæſtionem non venit*, formalitates & apices noſtros neſcierunt, ſubſtantia verò rei in vſu erat: vt conformiter ad teſtimonium allatum *Tertulliani* ſtat *Cyprianus*, qui tùm alibi in diuerſis Epiſtolis præſertim 10. & 11. & alijs de quibus poſtea, tùm *de lapſis* clariſsimè non tantùm narrat: ſed diſcutit Eccleſiæ praxim, & tandem reſoluit. *Mandant aliquid Martyres fieri? ſi juſta, ſi licita, ſi non contra ipſum Dominum, à Dei Sacerdote facienda ſunt*, &c. *Si petentis fuerit religioſa moderatio.* Quod etiam ſatis luculente exprimit Ep. 23. vbi *Luciani* Confeſſoris hac in parte, in verecundiam taxat, nempè quia *manu* ejus ſcripti libelli gregatim multis, nomine *Pauli darentur*.

Laudat verò ibidem moderationem *Mappalici* Martyris, quem *cautum & verecundum vocat, legis ac diſciplinæ memorem, quia nullas contra Euangelium literas fecerat, ſed tantum domeſtica pietate commotus, matri ſuæ & ſorori quæ lapſæ fuerunt, mandabat pacem dari, &c.* Sed redeam ad priorem locum, vbi per totum egit *de remiſſione peccatorum* ad mandata Martyrum, &c. ſcilicet ad oblationem libelli ob Martyrum *merita* oblati à lapſis, & hac in re moderationem requirit. Alias addit.

Nec

Digitized by Google

Nec quicquam ſibi vſurpat & vindicat humana ſententia, niſi annuat & cenſura diuina.

Non igitur negat rem ipſam, quam aſtruxerunt tunc temporis omnes Chriſtiani, ſed temeritatem tàm Martyrum quàm Epiſcoporum nimis facilè relaxantium, taxat.

In Epiſt. 11. ſic eos hanc ob cauſam alloquitur. *Et quomodo audio fortiſſimi & chariſſimi fratres, impudentiâ vos quorundam premi, & verecundiam veſtram vim pati, oro vos quibus poſſum precibus, vt Euangelij memores & conſiderantes quæ & qualia in præteritum anteceſſores veſtri Martyres conceſſerint, quam ſolliciti in omnibus fuerint, vos quoq; ſollicitè & cautè petentium deſideria ponderetis, vtpote amici Domini, & cum illo poſtmodum judicaturi, inſpiciatis & actum & opera & merita ſingulorũ, ipſorum quoq; delictorum genera & qualitates cogitetis,* &c. *Sed & illud ad diligentiam redigere & emendare debetis, vt nominatim deſignetis eos, quibus pacem dari deſideratis, audio enim quibuſdam ſic libellos fieri, vt dicatur: Comunicet ille cum ſuis*, quod nunquam à Martyribus *factum eſt.* Modus agendi vt tam in hac, quam 10. Epiſt. patet, erat. Actâ juſto tempore pænitentiâ, ſecundùm diſciplinæ ordinem ad Exomologeſim veniebant peccatores, & per impoſitionem manuum Epiſcopi & Cleri, ius Communicationis accipiebant, ad petitionem verò Martyrum his omiſſis, Euchariſtia dabatur, & hoc aliquando per aucupatores pecuniarios à Martyribus obtinebatur. Quod vbique valde reprehendit *Cyprianus*, & modum Martyribus proponit, vt fiat conformiter ad judicia Dei. Neſcio certè quid deſit ad *Tridentini* Indulgentias, ſi ſobriè omnia expendantur, nam relaxantur pœnæ peccatis debitæ, non ſolum in ordine ad crudam diſciplinam, ſed ad diſciplinam Eccleſiæ pro peccatis in judicio Dei ſatisfactoriam. Hoc vbique clamat *Cyprian.* vt etiam in alijs Epiſtolis eſt obuium, & ſpecialiter Epiſtolis 13. & 14. *Occurrendum puto fratribus noſtris, vt qui libellos à Martyribus acceperunt & prærogatina eorum apud Deum adjuuari poſſunt*, &c. Epiſt. etiam 12. *Qui libellum* (inquit) *à Martyribus acceperunt, & auxilio eorum adjuuari apud Dominum in Delictis ſuis poſſunt*, &c. Et adhuc clarius in Epiſt. 21. quæ eſt *Celerini* ad *Lucium. Rogo itaq; Domine, & peto per Dominum no-*

Digitized by Google

ſtrum IESVM CHRISTVM, *vt cæteris Collegis tuis meis Dominis referas, & ab eis petas, vt quicumque prior veſtrum coronatus fuerit, iſtis ſororibus noſtris Numericæ & Candidæ tale peccatum remittant.* Sic etiam Epiſt. 30. & 31. Nullus igitur deinceps ambigendi locus; imò certè bis in Ep. 21. & bis in Epiſt. 30. vtitur *Cypr.* nomine *Indulgentiæ* in eodem prorſus ſenſu quo Eccleſia hodierna.

8. Quod ſpecialiter noto, eſt, Quòd tunc tẽporis non videtur hæc relaxandi ſeu remittendi poteſtas, in Summis Pontificibus ſolùm reſidiſſe, ſed in ſingulis reſpectiuè Epiſcopis, cuius & adhuc eſt veſtigium in iure & praxi. Sed hoc videtur œconomiam Eccleſiæ ſpectare. Ratione cuius multa reſtricta & reſeruata ſunt Sedi Apoſtolicæ, quæ antiquitus æquè conueniebant Epiſcopis, quoad limites ſuorum epiſcopatuum, vt fusè diſcuſsi, & declaraui ex Sanctis Patribus & Scholaſticis in *Apologia Epiſcoporum* ſub Titulo. *An & quomodo Epiſcopi ſuccedant Apoſtolis*, fortè non pœnitebit lectorem ibi legere.

Sacerdotes quidem aliqui, abſente Epiſcopo ad requiſitionem Martyrum relaxabant pœnas, ſed meritò perſtringit eos *Cyprianus* Epiſt. citata. Sed quod eſſet Indulgentia in ſenſu *Tridentini* dubitari non poteſt ab ingenuè legentibus, & æquè facilè ex reliquis veterum monumentis colligitur.

9. Redeam igitur ad Patres *Tridentinos*, qui cautiſsimè ſubnectunt, vt in Indulgentiarum diſpenſatione, Prælati caueant, ne *diſciplina Eccleſiaſtica diſsipetur.* Quorſum hoc? quid Indulgentiarum diſpenſatio, cum Eccleſiaſtica diſciplina? Hæc forum fori, illa Poli vt plurimum tangit cauſas, nec externum Eccleſiæ Regimen offendit, curſum judiciorum non interrumpit, vt praxis quotidiana & per totam Eccleſiam diffuſa probat, debita nempè Deo, rarò Eccleſiæ ſoluit. Pœnitentias quidem in confeſsionibus injunctas, Indulgentiæ remittunt, vt etiam confeſſus eſt *Cajetanus Adriano 6.* dum Germaniæ ſtatum poſt ſuam legationem retulit, vt etiam notat *Bellarminus*, imò *Iacobus* Angularis contra *Weſſelum*, (qui longè ante *Lutherum* reſpuere videtur, & ad hoc eum citat *Lutherus*) in hoc præcipuè conſiſtere voluit.

Quod verò dicunt multi Eccleſiam ſolum ſoluere poſſe à pœnis ſuo foro ob-

ſoro obnoxijs: non reijcit ille, addit verò pœnas ex æternis in temporales commutatas, in Sacramento Pænitentiæ, iam de foro eſſe Eccleſiæ, & ideo de talibus ſatisfacere poſſe per Theſauri applicationem, &c. Sed hoc non diſsipat Eccleſiaſticam diſciplinam, non enim pænitentias publicas & ſolemnes infligit Sacerdos in foro illo ſecretiſsimo; Quod ſi modus antiquus reſumeretur (vt contendebāt aliqui in *Trid.*) imponendi pœnitentias Canonicas, quæ per Indulgentias ſubinde remitti ſolebant, & in iudicio multorum Theologorū erant verè Sacramentales, vt etiam ſuo loco oſtenſurus ſum, nempè ob peccata etiam ritè confeſſa inflictæ (licet *Doctor Subtilis* putarit illum modum agendi in publico eſſe contra eſſentiam Sacramentalis Confeſsionis) ſi ille modus dico, de nouo inualeret, periculum eſſet ex frequentioribus Indulgentijs diſsipandi vel ſaltem diminuendi Eccleſiæ diſciplinam, ſed præſens Eccleſiæ gubernium hâc in parte per Indulgentias lædi non poteſt.

10. Non credo tamen hoc leuiter à Patribus in Concilio pronunciatum, Indulgentias enim quam cautiſsimè in *genere* ſolùm definiunt, reliqua ad Scholas Theologorum remittunt, de Theſauro verò ne hilum, alibi tamen à ſummis Pontificibus hoc etiam determinatur. Mirantur autem multi, quomodo in & à Concilio non fuerit excuſſum, cum *Lutherus* hoc vel maxime vrgeret. Sed apud virum Orthodoxum non dubitari poteſt, quin ex aliquo graui conſilio, non oſcitanter Patres tàm hîc, quàm alibi, omiſerint vel admiſerint materias à *Lutheranis*, vel alijs Sectarijs, tunc temporis agitatas. *Leo* quidem *Decimus* hoc abundè perſtrinxerat in Bulla contra *Lutherum*, vbi etiam alios eius errores condemnarat, quos Patres etiam in *Trid.* pro re nata conuellunt, licet hunc contra Theſaurum ne quidem tangant. *Doctor* tamē *Subtilis* 4. d. 17 q. vnica. in fine *hæc habet: Nec eſt incredibile multos eſſe in Eccleſia. qui per annū viuant ſine mortali: imò per Dei gratiam multi multo maiori tempore ſine peccato mortali ſe cuſtodiunt, & multa opera perfectionis exercent, de quorum meritis Theſaurus Eccleſiæ congregatur.* Hæc igitur erat doctrina in tempore *Scoti*, licet Patres *Tridentini* cautiſsime egerint, dum Fidem docuerunt. Non obſtante verò hac Pa-

trum

trum magna in definiendo cautela, clamant Moderni aliqui ferventiores Sectarij, contra ſacram hanc de Indulgentijs definitionem, ſed aerem verberant. Qui Concilium legerunt, denuò legant, accuratiùs expendant, & polliceor longè alium ſenſum (quem etiam fatebuntur rectiorem) ab illo quem antea conceperant ſe in Concilio experturos. Vndè Sapientiſsimus *Vrbanus Octauus*, (cuius memoria ſemper in benedictione ſit ob ardentiorem quem exhibebat zelum in patriæ noſtræ reductionem) in Profeſsione Fidei, quam à Græcis exigebat, de articulo Indulgentiarum agens ad mentem *Tridentini*, hanc ſolum credendi formam proponebat n. 24. *Indulgentiarum etiam poteſtatem à Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarumq; vſum Chriſtiano populo maximè ſalutarem eſſe.* Scholarum apices non tangit, rem in genere ſolùm proponit, dum Fidem excutit.

In Concil. *Later.* magno can. 62. materia hæc Indulgentiarum cautiſſimè tractatur, & in veterem Eccleſiæ praxim ſe refundit, & abuſus Prælatorum taxat, & reformare contendit.

11. Quod ſi Eccleſiæ ſolius authoritati nixi, cõtra Eccleſiæ veteris ſenſum, ad definitiones acceſsiſſent, peccaſſent grauiſsimi illi & orthodoxi Patres (quod vel cogitare nefas) contra receptam illam *Stephani* Papæ regulam, quam ad *Africanos* tranſmiſit, & refert *Lerinenſis* c. 9. *Nihil Nouandum niſi quod traditum eſt*, & *Cypr.* Ep. 74. & alibi ſæpè reſumit ex *Stephano*. Longè etiam ante *Stephanum* ipſe Spiritus Sanctus apud *Iudam* Apoſtolum in ſua *Catholica* omnibus Chriſtum colentibus intonat, *Chariſsimi omnem ſollicitudinem faciens ſcribendi vobis, deprecans ſuper certari ſemel traditæ ſanctis Fidei.* Non nouæ ſed ſemel traditæ ſupercertandum eſt Fidei, & dicit hoc *neceſſe eſſe.* Si tunc ſub initium prædicationis, ſeu traditionis Fidei hoc adeò neceſſe fuerit, quid de his poſterioribus ſæculis aſſerendum? Quanta ſedulitate, potiùs neceſsitate ab omni nouitate cauendum?

Baſilius etiam l. 3. contra *Eunomium* tunc innouantem clamat. *Fuitne vnquam homo ſic audax, qui Diuinorum Dogmatum innouationes induceret? Fidem innouare fuit tunc temporis res mira, quia noua.* Vndè *Chryſoſtomus* homil. 15. in *Matth.* ſub med. *Doctorum non eſt innouare*

Digitized by Google

nouare, ſed ſibi tradita in ea nouitate conſeruare, quam à Domino ſuſceperunt. Quod & ſpeciatim cauerunt Patres *Tridentini*, & ideo ſub *Iulio* ſecundo, ſanxerunt, vt Theologi in ſententijs pronunciandis, Sacræ Scripturæ, traditionibus Apoſtolorum, Concilijs approbatis, Summorum Pontificum conſtitutionibus, SS. Patrum authoritatibus ab Eccleſia Catholica vnanimi conſenſu receptis, inſiſterent.

12. Secuti ſunt hac in parte magnum *Auguſtinum*, qui in Fidei determinationibus, veterum Patrum maximi fecit judicium, vt cum ſolos Occidentis Eccleſiæ Patres aduerſus Pelagianum *Iulianum* l. c. 2. allegaſſet, ſubdit. *An ideo contemnendos putas, quia Occidentalis Eccleſiæ ſunt omnes, nec vllus in eis eſt commemoratus à nobis, Orientis Epiſcopus? Quid ergo faciemus cum illi Græci ſint, nos Latini? Puto tibi eam partem orbis ſufficere debere in qua primum Apoſtolorum ſuorum voluit Dominus glorioſiſsimo Martyrio coronare. Cui Eccleſiæ Præſidentem B. Innocentium ſi audire voluiſſes, jam tunc periculoſam juuentutem tuam Pelagianis laqueis exuiſſes.* Hæc pijſsimè Pius Doctor, & modus argumentandi dubio procul efficaciſsimus, vbi Græci Patres non contradixerint, vt in caſu illo.

Obiter etiam obſeruandum, vel maximè in controuerſia illa inter *Stephanum* & *Cyprianum*, illud *Stephani* veriuerbium, *Nihil nouandum niſi quod traditum eſt*, in Iudicio vniuerſalis Eccleſiæ adeo inualuiſſe, imò præualuiſſe, vt licet PP. *Africani* & *Cappadociani* Scripturas non ſine aliqua probabilitatis ſpecie expoſitas obtenderent, traditioni tamen vniuerſim receptæ intellectum tot Sapientiſsimorum Prælatorum ſubjugari & captiuari oportere, conciliariter acclamatum ſit: præferebant Scripturæ ſenſum, licet prima facie minus textui cõſonum, per manus Patrum traductum, & ab vniuerſa Eccleſia receptum, ſenſui, quem tot licet doctiſsimi Patres in Concilio *Africano* ex reconditioribus Scripturæ Myſterijs ſibi ipſis rectè eruiſſe, & per legitimas conſequentias intuliſſe viſi ſunt.

13. In materia igitur Fidei, ſiue ex Scripturis, ſiue aliunde petatur, ad Patres ſemper recurrendum. Imò vt rectè notauit *Catherinus, de certitudine Gratiæ*, ex *Roffenſi* contra *Lutherum* de libro arbitrio,

Digitized by Google

Patrum ſententias explorandas, aduerſus quas non ſunt admittendæ argutiæ Scholaſticorum Et hoc fuit apud Eccleſiæ Præſules adeo receptum, vt etiam ſubinde in ipſis antiquioribus Concilijs, adferrentur Patrum volumina, & ibi communi Conſilio expenderentur, vt ſuperius notaui, & ſpeciatim videre eſt in doctiſsima & œcumenica *Epheſina* Synodo, & pro more ſuo exponit grauiſsimus *Lerinenſis* verſus finem aurei ſui libelli, omnium Orthodoxorum manibus terendi, quorum nomina ibi articulatim recenſet, tam ex Orientali quam Occidentali Eccleſia. Et paulò ſuperius in eodem Capite de hac re agens, ſic loquitur: *Vbi cum de ſanciendis Fidei regulis diſceptaretur; ne qua illis forſitan profana nouitas in modum perfidiæ Ariminenſis obreperet, vniuerſis Sacerdotibus, qui illò ducenti ferè numero conuenerant, hoc Catholiſsimum, fæliciſsimum atque optimum factu viſum eſt, vt in medium Sanctorum Patrum proferrentur ſententiæ*, & poſtea. *Ut rite atque ſolemniter ex eorum conſenſu atque decreto, antiqui dogmatis religio confirmaretur, & profanæ nouitatis blaſphemia condemnaretur*. Hæc ille, luculentè confirmans veritatem noſtræ aſſertionis, tàm ex judicio proprio, quàm omnium Patrum in Concilio illo celeberrimo.

Hoc etiam in ſexta Generali Synodo contra *Macharium Antiochenum* accuratè obſeruatum legimus: nam præter Sacras Scripturas, offerebantur ex *Bibliotheca Conſtantinopolitana* cuncti antiquorum Patrum quos petebant, libelli, vt notauit *Beda* l. de temporibus c. de *Conſtantino* Filio *Conſtantini*. Vndè *Waldenſis*: *Videtis planè hoc Sacrum Concilium non authoritate ſua, ſed authoritate SS. Patrum, quorum libellos cum omni diligentia requirebant, in articulo Fidei dediſſe ſententiam, ſimulq́ꝫ & Hæreticos de iiſdem libris falſarios eſſe conuictos & Anathemate condemnatos*. *Wald.* to. 1. l. 2. c. 14. Nemo exactiùs excutit modum procedendi Conciliorum in definitionibus eliciendis ex Sanctorum Patrum Scriptis, præſertim Capitibus. 19. & 20. & alibi.

Refert etiam D. *Thomas* 4. l. contra gentes, in quinto Concilio, ſic pronunciatum. *Sequimur per omnia SS. Patres & Doctores Eccleſiæ, Athanaſium, Hilarium, Baſilium, Gregorium Theologum, & Gregorium Niſſenum, Ambroſium, Theophilum, Auguſtinum, Iohannem Conſtantinopolitanum,*

litanum, Cyrillum, Leonem, Proculum. Facundus etiam deſcribens modum agendi Patrum *Chalcedonenſium* l. 8. ſuæ defenſionis, dicit, quod Synodus *illa in cauſa quidem Fidei omnium communiter Patrum doctrinam ſecuta eſt.*

CAPVT XXXIII.

Quid importat ex Cathedra reſpondere, & an & quomodo quæ ſunt in jure Canonico, ſint de Fide?

1. C*Onſtantiſſimus* eſt Conciliorum mos, nihil poſteris tradere neceſſariò credendum, niſi quod Sacra Sanctorum Patrum tenuiſſet antiquitas, vt rectè *Lerinenſis*. Et provt Concilia nihil definiunt niſi quod conforme ſit traditis à Patribus, ſic etiam nihil vt authenticum recipiunt, niſi per omnia conſonet expoſitioni & doctrinæ SS. Patrum, vt vel maximè patet in Epiſtola ter maximi *Leonis* Papæ à Cōcilio *Chalcedonēſi* lecta, & in Concilio Generali quinto reuiſa, vbi addunt Patres, *Quod non aliter oportet ſuſcipi quæ ab aliquo ſcribuntur, niſi prius rectæ Fidei SS. Patrum conſonare demonſtrentur.*

Concedo etiam Aduerſarijs, qui mihi hoc ſtrenuè objecerunt, ſexcenta ſi volunt huiuſmodi monumenta extare, & à Doctoribus noſtris celebrari, vbi ipſorum Summorum Pontificum reſolutiones Doctorales, etiã in materia Fidei à Concilijs denuò reuiſæ & cum reuerētia debita diſcuſſæ fuerint, antequam ad Fidem ſimpliciter & vniuerſaliter admitterentur. Hoc etiam apparet in actis Synodi Sardicenſis, vbi iudicium *Iulij* Romani Pontificis in cauſa *Athanaſij* Synodicè prolatum Romæ; relectum, diſcuſſum, & vt *Eccleſiaſticè* factum à Patribus Laudatum fuit.

2. Nec tamen ſi quid ſapio, præiudicabit ſupremæ eorum iuriſdictioni, ſi ingenuè ſpectetur, quicquid ex *Cuſano de Concordantia Catholica* objiciunt ipſi; quippè nemo dubitat excepto fortè *Bellarmino* adhuc iuniore (ex *Piglio* quem non magnum Theologum æſtimant *Duacenſes* in cenſura quarundam propoſitionum *cuiuſdam Ieſuitæ*

ad Aſſertionem 3. quem non leuiter impegiſſe dicunt: ſic etiam Louanienſes in Pæfatione ad ſuam cenſuram de ijſdem propoſitionibus) quod etiam retractauit *Bellarminus*, quod Papa niſi *Cathedraticè* agat (vt loquuntur) errori obnoxius eſt vt cæteri Doctores.

3. Doctiſsimus noſter *Marcantius* in illo ſuo Opuſculo, cui Titulus *Examen* Currus Myſtico-Hiſtorici Ordinis S. Franciſci fol. 41. identificat de *Cathedra* reſpondere, & *in Concilio Vniuerſali*, cui etiam multi probabiles authores adſtipulantur. Et manifeſtè declaratur in ipſo iure, prout citaui c. 32. n. 4. *Armachanus*, *Occhamus*, *Cameracenſis*, *Almaynus*, *Gerſonius*, & innumeri alij veteres & recentiores Scholaſtici idem docent.

Hoc etiam juuare poteſt, quod ſubinde apud veteres, *Cathedra Petri* ſumitur non tantum pro Sede Romana, ſed pro ipſa Eccleſia in *Petro* vt in radice fundata, vel ſuper illum vnum ædificata, vt loquitur *Cyprianus de Vnitate Eccleſiæ*. Sic etiam hîc Epiſt. 40. *Deus vnus eſt & Chriſtus vnus, vna Eccleſia, & Cathedra vna ſuper Petrum Domini voce fundata. Aliud Altare conſtitui, aut Sacerdotium nouum fieri, præter vnum Altare & vnum Sacerdotium non poteſt*, &c.

Pamelius etiam in notis ad Epiſtolam. 55. ſuper illa verba: *Eos eſſe Romanos*, &c. *ad quos perfidia non poſſit habere acceſſum*, dicit, *Elegans locus in eius rei* (ſcilicet Primatus) Confirmationem, quod *Eccleſia ſiue Cathedra Romana in Fide errare non poſſit*, &c. Vbi pro eodem ſumit Eccleſiam & Cathedram Romanam. Hoc etiam, ſi quid ſapio, vult *Hieron.* Epiſt. 71. *Theophilo. Obſecro vt ſi qua Synodica habes, ad me dirigas, quo poſſim, tanti Pontificis authoritate firmatus, liberius & confidentius pro Chriſto ora reſerare.*

Ex Cathedra ergo reſpondere, eſt Pontificem cum Eccleſia, id eſt, Concilio prout vnitatem denotant, Conſulta reſoluere, ſeu definire: nam ſimul ſumpta, vnum Altare, & vnum Sacerdotium conſtituunt. Et in hoc ſenſu in eadem Epiſtola colligitur ex *Cypr.* oportere cogitare *eos eſſe Romanos, quorum Fides Apoſtolo prædicante* laudata eſt, ad quos perfidia habere non poteſt acceſſum.

4. Et hinc quod apud me maximè vrget, *Eugenius* non accuſauit

Græcos

Græcos Hæreſeos, eò quod ſuũ Decretum, quod vocant *Armeniorum*, amplecti noluerunt, vt patet in actis; patet etiam apud *Arcadium* in ſua *Eccleſiæ Occidentalis & Orientalis Concordia*. Hinc etiam excuſantur *Cajetanus* & *Catherinus* qui poſt illud decretum dixerunt, nullam eſſe *definitionem Eccleſiæ* pro abſoluta inſolubilitate Matrimonij, &c. Licet *Eugenius* cum Latinis Patribus hoc definijſſet, nec hoc potuit eos latere, dicit *Arcadius*.

Et ideò A Capite fontium l. 1. hæc habet verba. *Quod ad decretum Eugenij Papæ ſpectat, non ſicut Gregorij. 7. decretum factum fuit: quia videlicet res de quibus in eo tractat, non fuere ſinodicè diſcuſſæ, nec in eo definitiuè & iudicialiter loquitur, ſed magiſtraliter, & concedo, vt doctor, non definiendo vt iudex.* Didici autem à Scholaſticis Doctoribus errorem magiſtralem & perſonalem cadere poſſe in ſummum aliquem Pontificem, non autem iudicialem. Certè vt ante nos doctiſsimus *Catharinus* annotauit, multa ſunt in dicto decreto, quæ ſi ad rigorem, & ſecundùm proprietatem ſermonis ſumantur, falſa eſſe comperientur, & ideo benigna vt ait, *interpretatione indigent*. In Epiſtola etiam in fine addita huic libro ſic ſcribit: *Scio quanta & quam magna ſit differentia inter ea quæ definiendo, Concilia: & ea quæ docendo, ſummi Pontifices, vel quiſpiam doctor eorum iuſſu, dicunt. Illa enim ſunt inconcuſſæ veritatis; his pro ſuo arbitrio Scholaſtici doctores, per diſtinctionem de perſonali & iudiciali errore Fidem adhibent vel derogant, vt ſibi viſum eſt. Vndè cum illis allegatur. Innoc.* 3. ſtatim ab eius ſe authoritate liberant, aſſerendo ipſum magiſtraliter, non definiendo Fidei quæſtionem, locutum ſic eſſe, &c. Idem faciunt cum allegatur *Gregor.* magnus ad ſolam Dominicam orationem Apoſtolos conſecraſſe aſſerens, &c. Dicunt enim illum magiſtraliter, non definiendo ſic *locutum eſſe*, &c.

Longè verò grauiſsima occurrit obiectio, nempe multas Hæreſes fuiſſe à Pontificibus vel ſolis, vel cum Concilijs particularibus condemnatas, &c. Hanc difficultatẽ ſeriò expendi c. 32. n. 5. cuius aliqua ieci fundamenta, quæ facilè perſpiciet lector eruditus c. 29. n. 1.

5. Imò hactenus aſſerta doctrina à Fortiori valdiſsimè concluditur ex Principijs Græcorum (de nihil de nouo definiendo, vt de Fide, ſine

vtriuſque Eccleſiæ conſenſu, vt videre eſt in *Florentino*) hanc fuiſſe eorum ſententiam.

Quinimò videtur fuiſſe recepta Latinorum doctrina, vt facile colligitur ex eis quæ retuli ſuperiùs ex *Beſſarione* Capit. octauo, vbi hæc eorum refert verba. *Nullum veritatis dogma eſſe, quod in Symbolo ac ſimplici Traditione Apoſtolorum non contineatur. Explicanda verò ſunt & iam Symbolo connectenda, non ſemper ſcilicet, nec à quocunque, ſed magna vrgente neceſsitate, atque ita Eccleſia judicante.* Aurea ſanè verba & tantis Patribus digna, ſed quoad præſens Inſtitutum, volunt *Eccleſiam* tantum de iſtiuſmodi *judicare*, quod ſine dubio optimè habetur, quando Summus Pontifex cum Concilio hoc facit.

Concilium etiam *Conſtantien.* condemnans quadrageſimam primam Propoſitionem *Iohan. Wiclef* quæ erat hæc. *Non eſt de neceſsitate ſalutis, credere Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam inter alias Eccleſias.* Hanc cenſuram affigit. *Error eſt, ſi per Romanam Eccleſiam intelligat vniuerſalem Eccleſiam, aut Concilium Generale, aut pro quanto negaret Primatum Summi Pontificis ſuper aliis Eccleſiis particulares.* Vbi ſatis inſinuat per Romanam Eccleſiam ſubinde intelligi Concilium Generale, &c.

Julius etiam Pontifex apud Sanctum *Athanaſium* in Apol. 2. poſtquam audita fuerat *Athanaſij* cauſa in Concil. Rom. coram Pontifice, *Martinius* qui erat Delegatus ab *Euſebianis*, *Concilium generale poſtulauit, & Iulius non ſolùm conceſsit, ſed cohortatus eſt Arrianos eò venire.* Addit. *æqua & juſta fuit noſtra Cohortario, cum ea ſit Eccleſiaſtica & Deo grata.* Hoc ni fallor dabit quod diximus.

Sexcenta adferre poſſum huius opinionis ſeu explicationis *Cathedræ* fundamenta, quæ videntur probabilia ex alijs Concilijs, ſi rectè ſenſum eorum attigero, præſertim *Chalcedonenſi* & altero *Conſtantinopolitano* Generali octauo, licet apertè ſteterit à parte Sanctæ Sedis contra *Photium*, *Conſtantienſi*, *Baſilienſi* adhuc legitimo, & vt antea dixi *Florentino*, imò ex ijs quæ c. 33. notaui de modo procedendi Concilij Tridentini in condemnando hæreſes & errores *Lutheri* non obſtante Bulla *Leonis* 10. in iſtis cauſis edita, multi docti viri putant neruoſè argui poſſe eundem fuiſſe ſenſum *Tridentini*. Omitto Prouin-

cialia,

cialia, & alia quæ à multis inter generalia numerantur, de quorum authoritate non adeò conſtat ſaltem vniuerſim. Et ex hac cauſa *Bellarminus* & alij excuſant illos Doctores ab hæreſi, qui non recipiunt definitiones Pontificis in & cum *Lateranenſi* poſt *Baſilienſe* celebrato à *Leone* 10. Et Doctores aliqui celebres tenent Pontifices ſubinde loqui *opinatiuè*, vel, vt priuati *Doctores* etiam in Bullis Apoſtolicis, imo licet decreta ediderint *in* ipſis Concilijs etiam, vniuerſalibus, ſi non fecerint *cum* Concilio, extra Fidem locant, ſeu inter Cathedraticas reſolutiones non numerant, vt (niſi eſſet faſtidio) facile eſſet oſtendere in multis.

Celotius quidem citatus docet Pontificem *ex Cathedra* poſſe reſpondere, vt priuatus Doctor: quod non poteſt dici ſecundùm ſenſum hîc datum, nec hùnc loquendi modum apud Scholaſticos reperi.

6. Ab alijs etiam ad ſententiam hanc ſtabiliendam adfertur Epiſt. 162. *Auguſtini* in cauſa *Donatiſtarum. Putemus illos Epiſcopos qui Romæ judicarunt non bonos eſſe Iudices, reſtabat adhuc Eccleſiæ vniuerſæ Concilium, vbi etiam cum ipſis Iudicibus cauſa poſſit agitari, vt ſi male judicaſſe conuicti eſſent, eorum ſententiæ ſoluerentur.* Fateor non improbabiliter ex his ejus verbis ſententiam explicatam inferri, licet valdè mihi placeat quod *Stapletonus*, hæc verba ponderans habet Cont. 6. q. 3. a. 5. vbi dicit hîc ſolùm concludi, Concilium Generale ſolum eſſe *medium euidentius & illuſtrius ad compeſcendos, importunos Hæreticos, quam vnius ſupremi Paſtoris Decretum*, &c. Huc etiam referri poteſt illud *Auguſtini* l. 1. contra Ep. *Parmeniani* c. 6. *Qualis ipſius B. Melchiadis vltima eſt prolata ſententia, quam innocens, quam integra. Reſtabat adhuc plenarium Eccleſiæ vniuerſæ Concilium.* Scio aduerſarios extorquere ex loco citato *Auguſt.* ſenſus valdè peregrinos, ſed non tangunt meum intentum, & ideò non moror, vt alibi ſatis expendo.

7. Denique negare non poſſum quin *Cyprianus* Ep. 74. ad *Pompeium* & alibi ſæpè cum reliquis ſuis Coepiſcopis, non tàm probabat, quàm ſupponebat hanc ſententiam. Imò *Diuus Auguſtinus* apertiſsimè eam amplexus eſt, vt patet ſuperiùs tàm de ipſo, quàm de illis, Capitibus 6. & 7. vbi ſemper ex hoc Capite eos excuſat ab hæreſi

vſque

Digitized by Google

vſque ad Concilij vniuerſalis definitionem. *Firmilianus*, de quo etiam Cap. vltimo, idem planè ſupponit. Nec *Stephanus*, vel alij Summi Pontifices vllos eorum ex hoc capite erroris accuſabant, licet ſolemniſsimè in facie Eccleſiæ ſic dictitabant, vt omnes norunt qui vetera examinarunt. Scio Aduerſarios aliò torquere dicta & facta horum Patrum contra Primatum Sedis Romanæ: ſed iniurioſè, & manifeſtè contra tritiſsima *Cypriani* loca, huius veritatis in terminis aſſertiua, quæ alibi cito, præſertim de vnit. Eccleſ. Cath. vbi optimè declarat quomodo Summus Pontifex eſt totius Eccleſiæ Supremus Epiſcopus, explicans in hoc *Cornelium* in Ep. 46. ad *Cypr.* De *D. Auguſtino* patet ſuperiùs & ſæpiùs.

8. *Baſilius* etiam magnus, vt dixi, *Cypriano, Firmiliano*, & omnibus eorum collegis cum *Aug.* hac in parte connumerandus eſt, nam licet calleret ſententiam Romanam, vt ipſe fatetur Epiſt. 2. ad *Amphiolochium* can. 47. tamen non ſtatim acquieſcebat, vt ibi patet, nempè quia reliquæ Eccleſiæ nondum conſenſerant: nimis etiam hoc aſſerit Epiſt. 10. ad *Greg.* Theol. & Epiſt. 52. ad *Athanaſium*. *Abulenſis* alibi citatus totus eſt in hac ſententia, & ſexcenti alij. *D. Subtilis* nunquam hanc quæſtionem propoſuit, nullibi tamen diſtinguit ſententiam Papæ à ſententia quam vocat *Eccleſiæ Romanæ* hoc eſt Catholicæ præſertim in Conc. Gen. *Later.* vt patet 4. d. 11. q. 3. 1. d. 8. q. 2. & d. 5. examinans factum *Cypr.* reſiſtendo *Stephano* non obſtante ſolemni illa declaratione *Stephani*, adhuc dicit q. 1. tempore *Cypr.* non fuiſſe declaratam, & addit, quod ſi *Cypr.* promptus eſſet ſentire animo circa hoc quod Eccleſia determinauit, in nullo errauit niſi fortè venialiter nimis aſſerendo, &c.

Hoc denique ſexcenties docet *Roffenſis* in Confutatione ſæpè citata & ſpeciatim in artic. 27. & 28. *At quando potius Eccleſiam audituri ſumus, quam quum Pontifici Concilium conſentit, & Pontifex Concilio? Nam hi procul omni controuerſia Cath. Eccleſ. repreſentant.* In art. etiam 28. *Et certè perſuaſiſſimum habeo Eccleſiam errare non poſſe in ijs quæ ad ſubſtantiam Fidei pertinent, ſimul & credo, ſcripturas id omninò velle, maximè cum probatiſſimo Pontifici Concil. Generale conſentit.* In art. etiam 28.

Præjudicatum

Præjudicatum igitur eſt cuiq; Chriſtiano, ne diuerſum ſequatur ſenſum, hoc eſt, ne diſſentiat ab ijs quæ ſummus Pontifex vnà cum Cõcilio credenda decreuit: ſed ijs oportet & Fidem & conſenſum pariter adhibere. Plenius etiam. ad art. 29. Alij Doctores recentiores non in ſpecie ſed in re idem dicunt, qui *rebus non cõmutatis, immutarunt vocabula*, vt olim *Zeno* de quibuſdam Philoſophis nouis.

9. Nullum igitur Fidei Chriſtianæ & Catholicæ præiudicium eſt, ſi ſummi Pontificis *ſcripta Doctoralia* à Generali Synodo reuerenter diſcutiantur; licet Aduerſarij, omnia deque ſuſque vertentes, huiuſmodi Conciliorum actà eò trahant: ſed *Innocentius* Pontifex longè doctiſsimus, dum de authoritate ſuorum operum conſuleretur, ſecundùm momenta rationum, quibus nitebantur, ea plus vel minus æſtimari vel recipi debere reſpondebat, vt refert *Doctor Subtilis*. Manifeſtum tamen eſt quod multas materias grauiſsimas, & ad Fidem ſpectantes tractabat, & doctoraliter determinabat, vt patet legenti: non tamen omnia vt Fidei Oracula venerari voluit. Vnde optimè dicit *Scotus*, 4. d. 3. ad finem ex *Auguſtino*, *Quod licet Apoſtoli in actibus vel verbis quæ dixerunt vt homines, potuerunt vt homines, errare; tamen nullus Apoſtolus, vel Propheta in quantum ſcriptor alicuius partis ſcripturæ aliquo modo errauit.*

10. Longè plus eſt quod aſſerit *Dominicus Lopez* in ſuo opere ſæpè citato fol. 69. agens & diſtinguens de veracitate dictorum in Euangelio, concludit, *Satis eſſe ſi veriſsimum eſſe credatur quicquid in eo continetur ad veram doctrinam ſpectans: hoc eſt vt diximus, & ad ea quæ omninò fieri crediue debent: in alijs ſi putetur Euangeliſtas leuiter erraſſe*, nihili facit.

Pro ſententia etiam hac eſt illud *Auguſt. de Baptiſmo* l. 22. c. 4. *Si ergo potuit Petrus, in quo Primatus Apoſtolorum tam excellenti gratia præeminet, contra veritatis regulam cogere gentes Iudaizare: cur non potuit Cyprianus?* &c. Addo ego, Cur non poſſunt poſteriores Pontifices? nam ſine dubio valet Conſequentia à *Petro* ad ipſos præcipuè in hâc materia, licet Sectarij hoc non ferant.

Hanc quæſtionem ideo examinaui vt Aduerſarijs conſtet (qui figmenta ſua falsò Catholicis Doctoribus hac in re imponunt,

 & nos

Digitized by Google

& nos ob neſcio quas ſuas Stultitias, cum & ex *Gergano* græco *Caluiniſtæ* prodigioſo vocabulo αἱρετικοχισματοπαπολάτρας; vocitant, & me non adeò pridem in cõgreſſu publico, quidam eorum *Philocompus* ore & modo maledico ſic impetiuit) intra quas latitudines incedere liceat ſine graui præiudicio Fidei: aliàs ſuperius c. 29. reſolui quid certius teneatur in Scholis de infallibili ſententia Pontificis, cui adhæreo, licet Doctores qui aliter docent non hæreſeos vel erroris condẽnandos cenſeam: cum nullibi *conſtet* Fidem violari, vt ex hic dictis patet. Si tamen quis reſiſtere velit ſententiæ ſeu declarationi iudiciali Summi Pontificis in materia Fidei, licet non fuerit conciliariter prolata, modo ab Eccleſia fuerit recepta, hæreticum ſe manifeſtè prodit ſecundùm omnia quæ hactenus ex Patribus & Doctoribus aſſerta & diſſerta ſunt.

Vbi etiam per trãſennam Aduerſarios noſtros & quemuis Chriſtianum lectorem monere volo, quod antiquitùs magna cum veneratione recipiebantur & legebantur Summorum Pontificum Sanctiones & Epiſtolæ ad Concilia directæ, vt omninò pateſcit apud *Cyrillum Alexandrinum* in Synodo Epheſina prima, vbi Eloquitur: *Literæ acceptæ à Sanctiſsimo Apoſtolicæ Sedis Epiſcopo Romano Cæleſtino cum decenti honore legantur.* Quod etiam comprobauerunt Patres aperiendo capita ſua & reuerenter audiendo quæ dicta ſunt, vt etiam ingenuè obſeruarunt *Cuſanus* in concordantia & *Gennadius* in defenſione 5. capitulorum *Florentini.* Imò hoc ipſum patet in *Chalcedonenſi* citato, & in infinitis apud *Aug.* locis & Epiſtolis à diuerſis Concilijs ad ſummos Pontifices etiam in materia Fidei directas, à diuerſis etiam Patribus, ab ipſis etiam Summis Pontificibus ad eos & ea reſcriptis. Non poſſum omnes interſerere, res eſt obuia in ipſis actibus, conſulant etiam *Auguſtinum.*

Vtinam verò hanc veterum reuerentiam dignè aduerterent Moderni Anti-Papiſtæ *Phoſiani* & *Dioſcoriani noſtri*, quod ſi vellent, non adeò leuiter inſilirent in eam ſedem ſemper ſummè venerabilem. Sed ad minus obſequerentur Ordinationi Canonis. 21. *Gen.* Syd. 8. Græcanicæ, vbi poſt alia ſic habetur. *Porrò ſi Synodus vniuerſalis fuerit congregata, & facta fuerit de Sancta Romanorum Eccleſia quæuis ambiguitas & controuerſia, oportet venerabiliter & cum conuenienti reuerentia de propo-*

ſita

ſita quæſtione ſciſcitari, & ſolutionem accipere, aut proficere, aut profectum facere, non tantum audacter ſententiam dicere contra Summos Seniores Romæ Pontifices.

Hæc dixi veritatis indagandæ cauſa: Concludo tamen cum & ex *Aug.* loco citato de Baptiſmo: *Cæterùm magis vereri debeo, ne in Petrum contumelioſus exiſtam, quis enim neſcit illum Apoſtolatus Principatum cuilibet Epiſcopatui præferendum?* Imò, vt egregiè *Beſſarion* homo Græcus in ſua Epiſtola ſæpius citata. *Si Doctorum noſtrorum libros euolueritis*, &c. *Inuenietis Romanam Eccleſiam ſupra cæteras omnem poteſtatem ita habere*, &c. *Vt abſque ejus authoritate nulla prorſus Eccleſiaſtica quæſtio ſolui, nullum dogma concludi aut poſſit, aut debeat.*

12. Petet hic fortè aliquis, an omnes Determinationes quæ in Corpore Iuris Canonici interſeruntur, & ſic toti Eccleſiæ proponuntur, indifferenter amplexandæ ſunt tanquam de Fide, præſertim cum à tota Eccleſia acceptatæ fuerint, vt cuiuis patet.

Reſpondeo, veritatem ſibi ſemper conſtare, & ſic non eſſe opus hîc aliàs, quam ſæpius datas reſponſiones quærere. Notandum verò ex *Doctore Subtili* 4. d. 6. q. 8. de non reiteratione Baptiſmi, quod non ſequitur eo ipſo quod aliquid habeatur in Canone per modum Decreti, eſſe ſtatim authenticum & obligatorium. Nam vt optimè colligitur ex eodem, Nullus poteſt condere Nouos Canones pro tota Eccleſia, niſi Caput totius Eccleſiæ. Et ideo Doctor non magni facit quoddam Capitulum de Conſecratione d. 4. quia ſicut intitulatur, accipitur ex Pænitentiali *Theodori* Epiſcopi Cantuariæ: & tandem poſt multa concludit, *Decreta compilata per Gratianum, & etiam per Raymundum non eſſe majoris authoritatis, quam ſit Author citatus pro illis.* Quod ſi objiceretur Papam omnia Capitula Decretorum confirmaſſe, dicit Doctor, *hoc debere eſſe Manifeſtum, quod tamen non eſt eo modo manifeſtum quo eſt de omnibus Capitulis poſitis in Decretalibus: ibi enim in Proëmio Greg. 9. ſcribens Doctoribus in jure Canonico, mandat quod ſint contenti in Scholis & in judicijs hac compilatione.* Et *Bonif.* 8. in Proëmio *Sexti* mandat quod de Conſtitutionibus editis à tempore *Gregorij noni* vſque ad tempus ſuum, *illæ ſolæ habeant Robur quæ ibi inſertæ ſunt.* Nec

Digitized by Google

& nos ob neſcio quas ſuas Stultitias, cum & ex *Gergano* græco *Caluiniſta* prodigioſo vocabulo αἱρετικοχιστμα τοπαπολατρα; vocitant, & me non adeò pridem in cõgreſſu publico, quidam eorum *Philocompus* ore &modo maledico ſic impetiuit) intra quas latitudines incedere liceat ſine graui præiudicio Fidei: aliàs ſuperius c.29. reſolui quid certius teneatur in Scholis de infallibili ſententia Pontificis, cui adhæreo, licet Doctores qui aliter docent non hæreſeos vel erroris condẽnandos cenſeam: cum nullibi *conſtet* Fidem violari, vt ex hic dictis patet. Si tamen quis reſiſtere velit ſententiæ ſeu declarationi iudiciali Summi Pontificis in materia Fidei, licet non fuerit conciliariter prolata, modo ab Eccleſia fuerit recepta, hæreticum ſe manifeſtè prodit ſecundùm omnia quæ hactenus ex Patribus & Doctoribus aſſerta & diſſerta ſunt.

Vbi etiam per trãſennam Aduerſarios noſtros & quemuis Chriſtianum lectorem monere volo, quod antiquitùs magna cum veneratione recipiebantur & legebantur Summorum Pontificum Sanctiones & Epiſtolæ ad Concilia directæ, vt omninò pateſcit apud *Cyrillum Alexandrinum* in Synodo Epheſina prima, vbi Eloquitur: *Literæ acceptæ à Sanctiſsimo Apoſtolicæ Sedis Epiſcopo Romano Cæleſtino cum decenti honore legantur.* Quod etiam comprobauerunt Patres aperiendo capita ſua & reuerenter audiendo quæ dicta ſunt, vt etiam ingenuè obſeruarunt *Cuſanus* in concordantia & *Gennadius* in defenſione 5. capitulorum *Florentini.* Imò hoc ipſum patet in *Chalcedonenſi* citato, & in infinitis apud *Aug.* locis & Epiſtolis à diuerſis Concilijs ad ſummos Pontifices etiam in materia Fidei directas, à diuerſis etiam Patribus, ab ipſis etiam Summis Pontificibus ad eos & ea reſcriptis. Non poſſum omnes interſerere, res eſt obuia in ipſis actibus, conſulant etiam *Auguſtinum.*

Vtinam verò hanc veterum reuerentiam dignè aduerterent Moderni Anti-Papiſtæ *Phoſiani* & *Dioſcoriani noſtri*, quod ſi vellent, non adeò leuiter inſilirent in eam ſedem ſemper ſummè venerabilem. Sed ad minus obſequerentur Ordinationi Canonis. 21. *Gen.* Syd. 8. Græcanicæ, vbi poſt alia ſic habetur. *Porrò ſi Synodus vniuerſalis fuerit congregata, & facta fuerit de Sancta Romanorum Eccleſia quæuis ambiguitas & controuerſia, oportet venerabiliter & cum conuenienti reuerentia de propo-*

ſita

Digitized by Google

ſita quæſtione ſciſcitari, & ſolutionem accipere, aut proficere, aut profectum facere, non tantum audacter ſententiam dicere contra Summos Seniores Romæ Pontifices.

Hæc dixi veritatis indagandæ cauſa: Concludo tamen cum & ex *Aug.* loco citato de Baptiſmo: *Caterùm magis vereri debeo, ne in Petrum contumelioſus exiſtam, quis enim neſcit illum Apoſtolatus Principatum cuilibet Epiſcopatui præferendum?* Imò, vt egregiè *Beſſarion* homo Græcus in ſua Epiſtola ſæpius citata. *Si Doctorum noſtrorum libros euolueritis*, &c. *Inuenietis Romanam Eccleſiam ſupra cæteras omnem poteſtatem ita habere*, &c. *Vt abſque ejus authoritate nulla prorſus Eccleſiaſtica quæſtio ſolui, nullum dogma concludi aut poſſit, aut debeat.*

12. Petet hic fortè aliquis, an omnes Determinationes quæ in Corpore Iuris Canonici interſeruntur, & ſic toti Eccleſiæ proponuntur, indifferenter amplexandæ ſunt tanquam de Fide, præſertim cum à tota Eccleſia acceptatæ fuerint, vt cuiuis patet.

Reſpondeo, veritatem ſibi ſemper conſtare, & ſic non eſſe opus hîc aliàs, quam ſæpius datas reſponſiones quærere. Notandum verò ex *Doctore Subtili* 4. d. 6. q. 8. de non reiteratione Baptiſmi, quod non ſequitur eo ipſo quod aliquid habeatur in Canone per modum Decreti, eſſe ſtatim authenticum & obligatorium. Nam vt optimè colligitur ex eodem, Nullus poteſt condere Nouos Canones pro tota Eccleſia, niſi Caput totius Eccleſiæ. Et ideo Doctor non magni facit quoddam Capitulum de Conſecratione d. 4. quia ſicut intitulatur, accipitur ex Pænitentiali *Theodori* Epiſcopi Cantuariæ: & tandem poſt multa concludit, *Decreta compilata per Gratianum, & etiam per Raymundum non eſſe majoris authoritatis, quam ſit Author citatus pro illis.* Quod ſi obijceretur Papam omnia Capitula Decretorum confirmaſſe, dicit Doctor, *hoc debere eſſe Manifeſtum, quod tamen non eſt eo modo manifeſtum quo eſt de omnibus Capitulis poſitis in Decretalibus: ibi enim in Proëmio Greg. 9. ſcribens Doctoribus in jure Canonico, mandat quod ſint contenti in Scholis & in judicijs hac compilatione.* Et *Bonif.* 8. in Proëmio *Sexti* mandat quod de Conſtitutionibus editis à tempore *Gregorij noni* vſque ad tempus ſuum, *illæ ſolæ habeant Robur quæ ibi inſertæ ſunt.* Nec

Digitized by Google

tamen intendunt Pontifices illi ſingulos Canones ſic confirmatos eſſe de Fide, regulæ communiter à Theologis acceptæ ad ſciendam Fidem planiſsimè oſtendunt, quas ſexcenties explicaui, nec eſt opus denuò repetere. Forma verò verborum in ipſis Canonibus adhibita, ipſa etiam materia ſemper attendendæ ſunt. Nam ſine dubio multi ſunt Canones in jure qui ſunt Fides, nimirum deſumpti ex Patribus & Concilijs, non tamen quatenus ſunt incorporati in jure. Corpus enim juris propter œconomiam Eccleſiæ & externam ejus Gubernationem, vt patet in Proemijs Pontificum recitatis, non propter eius Fidem declarandam compactum eſt: adeo vt per accidens ſit reſpectu juris, quod Canones generent Fidem, nec inde, vt tales ſunt, Fides colligitur.

Redeamus, vnde latè quidem ſed non infructuosè diuagati ſumus.

13. Hæc ſolum tetigi vt appareat conſtans Eccleſiæ conſuetudo in illo veriuerbio, *Nihil nouandum niſi quod traditum eſt*, quod ſpeciatim in 1. & 2. Synodis Anglicis obſeruatum video apud *Bedam* l. 4. c. 5. & 17. Huc igitur ad omnia Dogmata declaranda ſemper recurrendum: vt vbique Magiſter Noſtræ Fidei *Auguſt.* omiſsis ſexcentis apud eum cum Hæreticis, congreſsibus ſæpius pro re nata in hoc opere citatis, egregius eſt ille locus contra duas Epiſtolas *Pelagianorum* ad *Bonifac.* l. 1. in fine Cap. 6. vbi hoc modo Fidem Catholicam de contractione Peccati Originalis in paruulis, veram eſſe, & Dogma *Pelagianum* falſum eſſe conuincit; hæc ſunt de vtriſque eius verba. *Cum ſit antiquiſſimum Catholicum, vnde Nouum iſtorum Dogma euertitur Hæreticum, Antiquitas noſtræ doctrinæ declarat eius veritatem, ſicut Nouitas alterius Hæreſim.* Quibus poſitis, ad Eccleſiæ poteſtatem in veritatibus eruendis, & tanquam de Fide pronunciandis, vlterius luſtrandam procedamus.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XXXIV.

Certa, non probabilia definienda vt de Fide, vbi obiter tractatur, an eadem ſit ratio de Patrum & Conciliorum decretis?

1. SCiendum eſt, quod ſi de iſtiuſmodi rebus (quæ non adeo neceſſariò, ſeu per neceſſariam conſequētiam ex Principijs multoties prætactis inferantur) agatur, noua reuelatione omninò opus eſt, vt per ſe patere videtur. Nam in his de lege communi non aſsiſtitur Eccleſiæ infallibiliter à Spiritu Sancto, vt recte *Vega* ſuperiùs, *Canus* & reliqui communiter, & hoc credo verum. Hæ nempe ſunt materiæ quas vocat *Canus ſuperfluas*, in quibus *Deus non abundat*, loco citato, vnde optime Lirinenſis. *Antiqua SS. Patrum conſenſio, non in omnibus diuinæ legis quæſtiunculis, ſed ſolùm in Fidei regula, nobis certò eſt ſequenda, atque in his præcipuè quæſtionibus quibus Catholici Dogmatis fundamenta nituntur.* Hæc ille. Et eadem prorſus eſt ratio in Conciliorum Doctrinis: certæ etenim deciſiones Patrum in Concilijs neceſſariò ſequendæ ſunt, vbi de Fidei fundamentis, ſeu materijs neceſſarijs agitur, ſecus ſi de Doctrinæ *legis quæſtiunculis*, ſecundùm hanc *Lerinenſis*, & vtriuſque Eccleſiæ doctrinam in *Florentino* ſuperius & ſæpius expreſſam.

2. Dixi eandem eſſe rationem de Cōciliorum determinationibus, ac Sanctorum Patrum antiquis conſenſionibus; nempè quia non minùs tribuitur in materia Fidei, veterum placitis conſonantibus, quàm Concilijs ſecundùm communiſsimam Theologorum ſententiam. Vt etiam his verbis rectè notat *Petrus à Soto* in ſua *aſſertione Catholica* tit. *De Scriptoribus Eccleſiaſticis. Concors Patrum de Fidei dogmatibus, vel ſcripturæ ſenſu, & denique de omnibus quæ ad Religionem pertinent ſententia, non aliter ſuſcipienda eſt, quam Concilij ipſius vniuerſalis & Eccleſiæ definitio.* Sic etiam *Stapletonus* l. 8. cont. 4. c. 15. Aſſert. 9. Sic à Ca-

pite-fontium contra Sacramentarios c. 37. citandus, qui plano & pari paſſu incedit quoad conſenſum Patrum & Concilia: Imò *Auguſtinus* lib. 2. cont. *Iulian.* c. 10. videtur præferre Patrum *per diuerſas ætates temporum* viuentium vnanimem conſenſum *Epiſcopali Synodo ex toto orbe congregatæ*: Vbi ſic loquitur, *Si Epiſcopalis Synodus ex toto orbe congregaretur, mirum ſi tales poſſent illic facilè tot ſedere, quia nec iſti vno tempore fuerunt: ſed fideles & multis excellentiores paucos diſpenſatores ſuos Deus per diuerſas ætates temporum, locorumque diſtantias, ſicut ei placet atq; expedire judicat, ipſe diſpenſat. Hos itaque de alijs atque alijs temporibus atq; Regionibus ab Oriente & Occidente congregatos vides, non in locum quo nauigare cogantur homines. ſed in librum qui nauigare poſſit ad homines*, &c. *Talibus poſt Apoſtolos Sancta Eccleſia plantatoribus, rigatoribus, ædificatoribus, paſtoribus, nutritoribus creuit*, &c. Redeam.

3. Doctores aliqui quos alibi citaui ad hoc, vt Eccleſia certò & infallibiliter definire poſsit, volunt, quod non ſolùm neceſſariò, ſed manifeſtè & formaliter in ſcripturis vel traditis Apoſtolorum contineantur articuli definiendi: vel quod Sanctis Eccleſiæ Paſtoribus & Doctoribus ſemper & poſitiuè patuerit neceſsitas conſequentiæ, aliàs noua indigere reuelatione, & per conſequens infallibiliter definiri non poſſe ab Eccleſia: quam ſententiam in illa latitudine non amplector.

Quòd ſi Sancti Patres non ſolùm non viderunt, ſeu quia res tunc temporis non agitabatur, haud aduerterunt neceſsitatem conſequentiæ (ſicut notat *Euſebius* l. 2. c. 22. de libris quibuſdam Canonicis, quorum aliqui ex veteribus non meminerant, & tamen hinc non reijciuntur) ſic etiam *Auguſt.* de prædeſt. Sanctorum c. 14. cùm doctrinam ſuam oppugnari intellexiſſet eâ ratione, quia antiquiores Patres nullam fecerunt mentionem, reſpondit, hoc factum eſſe, *quia non habuerunt neceſſitatem in hac difficili quæſtione verſari, quod procul dubio facerent, ſi reſpondere talibus cogerentur. Vndè factum eſt, de gratia Dei quid ſentirent, breuiter quibuſdam ſcriptorum ſuorum locis, & tranſeuntes attingerent, immorarentur verò in eis quæ aduerſus alios inimicos Eccleſiæ diſputabant.* Pari ergò modo de multis dogmatibus apud antiquos non eſt facta

Digitized by Google

ƈta mentio, quia nulla orta erat quæſtio, vt rectè *Grauina* l. 4. a. 9.

4. In articulis igitur Fidei declarandis ab Eccleſia, duo requirit, nec plura *Magnus Baſilius* hom. 27. contra *Sabellianos*, ſcilicet quod quæritur *ſit conſonum Scripturis, nec Patribus contrarium*, quod vel maximè attendendum eſt.

5. Ex quo ſequitur, quod ſi SS. Patres poſitiuè iudicarunt aliquid eſſe ſolum probabile, tunc iudicarem opus eſſe noua reuelatione ſecundùm *magnum Baſilium*: ſic etiam ſentiunt *Canus* & prius citati, & hoc ſtatim iterũ oſtendo ſicut ſæpius oſtendi. Et hoc eſt quod dicit *Waldenſis*: *Concilia quoque credenda, ſi non reprobanda per Sanctorum Patrum edicta conſcripſerint*, to. 1. doct. 2. *Doctrinæ permiſſiuæ.*

Nunquid verò eſſent contra Sanctorum Patrum edicta, ſi quæ junctim & vnanimitùs probabilia prædicarint, nunc tanquam de Fide tenenda conſignarentur? Annon illud *B. Pauli* indigitaret, dum ſeipſum *Præuaricatorem* vocat, ſi quæ deſtruxit iterùm ædificare in animum inducat? Hæc expendant quorum intereſt, Eccleſia ſaltem vt ſæpius oſtendi hoc ſummè cauendum docet.

6. Dixi, ſi Sancti Patres cõuenerint: aliàs ſi diuerſitas emerſerit, & quaſi probabiliter vtraque pars ſuſtineri videatur, hoc non impedit quò minùs Eccleſia ſuo tempore veritatem definiat, Nam vt rectè *Hilarius* lib. 12. de *Homouſio* agens, dicit *Octoginta Epiſcopi olim reſpuerunt, ſed 318. nuper receperunt*, &c. *Grauis authoritas eſt veterum, nunquid & horum leuis Sanctitas eſt? Si contraria inuicem ſenſerunt, debemus quaſi Iudices probare meliora. Si vero & probãdo & improbando vnũ vtriq; ſtatuerunt, quid bene conſtituta cõuellimus?* &c. Si igitur poſt rei vellicationem, conciliariter definita fuerit, obtemperandum eſt, non licet iam conſtituta cõuellere, non obſtante priore quæ tũc apparebat probabilitate.

Sic *Eutyches* & *Dioſcorus* nondum Hæretici adferebant Patres, præſertim *Athanaſium* & *Cyrillum* magnos viros, nec deerat ipſis ratio apparens, tamen *Chalc. illos condemnauit.*

7. Quod dixi de Patribus, pariformiter dicendum videtur de ipſa Eccleſia, nimirum ſi aliqua conſiderabilis Eccleſiæ pars de aliqua particulari doctrina tradita non audierit, vel ob mutationes rerum &

temporum

temporum haud meminerit, traditio ex hoc capite non præſcinditur, modo reliquæ Eccleſiæ conſenſerint: ſicut ex eo quod vnus Euangeliſta tacuerit aliquid à cæteris commemoratum, non ſequitur illud à Chriſto non fuiſſe perpetratum, vt apud omnes Chriſtianos per quam notiſsimum eſt: v. g. *Lucas* cap. 19. commemorat pullum, ſic etiam *Marcus* cap. 11. *Aſinam* verò cum pullo dicit *Matthæus* c. 21. vbi *Aug.* in lib. de conſenſu Euangeliſtarum, *Matthæus aſinam dicit & pullum,* cæteri autem de *Aſina* tantum, vbi vtrumque poteſt intelligi, non eſt repugnantia.

Poſsibile verò eſt, quod per longum tempus in aliqua terrarum parte, ſolum audierint de Scriptis vel traditis, ab vno Euangeliſta (ſicut *Bartholomæus* prædicabat aduentum Domini Ieſu iuxta Sancti *Matthei* Euangelium, quando apud Indos agebat, vt legitur in vita ejus) & conſequenter ignorarent à reliquis expreſsiùs tradita, quæ tamen admittere tenebantur, dum ab vniuerſa Eccleſia illa etiam recipi intellexerint. Si verò illa notabilis Eccleſiæ pars non ſolùm non audierit de illo, vt de Fidei dogmate, ſed oppoſitum per manus Patrum acceperit, ſeu illud ſolum probabile ab omni æuo cenſuerit, reliquis Eccleſijs hoc ſcientibus, & tamen ſemper cum ipſa communicantibus, etiam quando erat neceſsitas illud condemnandi ſi eſſet error, non poteſt hodie, vt de Fide declarari ob priores rationes; Eccleſia enim eſt teſtis Fidei, quod ſi ſibi in teſtificando non conſenſerit, ſed diſſenſerit, teſtis ea de re eſſe non poteſt, vt in omni jure patet, ſecundum illud *Adriani* Imperatoris, *videndum in Teſtibus, vtrum vnum eundemque ſermonem attulerint. L. Teſtium D. de Teſtibus.* Hic etiam militat illud *Ariſtotelis* in libro Priorum, *veritas eſt quæ teſtatur ſibi ex omni parte,* & vt alibi dicit, *Omnia conſonant vero.*

8. Si igitur aliquod dubium ſuperuenerit, primò expendendum eſt, ad quod genus reduci debeat. Si de litera Scripturæ fuerit, & aliquid ibi reperiatur quod contrarium veritati videatur, textus ad inuicem comparandi ſunt. Quòd ſi nec ſic difficultas auferri poteſt, optimè occurrit *Aug.* Ep. 7. *Si ratio contra diuinarum Scripturarum authoritatem redditur, quamlibet acuta ſit, fallit veriſimilitudine, nam vera eſſe non poteſt.*

Huic

Huic etiam inſeruit quod habet Ep. 19. Si de ſenſu Scripturæ agatur, Sacra etiam volumina ſcrutanda ſunt, & Patres commentãtes expendendi, quod ſi Patres vnanimes fuerint, res acta eſt, ſi major pars conuenerint: & alij de hoc non diſſeruerint, adhuc res eſt acta, ſecundum *Lerinenſem*, *Waldenſem*, *Canum*, & alios communiter. Quod ſi non tetigerit omninò, ad præſentem Eccleſiæ ſenſum recurrendum, & ibi æque certò ſiſtendum eſt.

Quod ſi majori parte conſentiente, reliqui licet pauciores diſcreparint, ſeu quaſi *per tranſennam* oppoſitum docuerint, ſuperadjectâ poſt aliquot licet ſæcula, Eccleſiæ declaratione, illa majoris partis ſententia nunc tanquam Fides amplectenda eſt.

Non verò multum immorandum, ſi fortè inter Sanctos Patres inueniatur ſubinde *interlineatum*, vel quaſi *in tranſcurſu* (vt loquitur *Gerſon*) elapſum aliquid poſterioribus Eccleſiæ declarationibus aduerſum. Tales enim calami lapſus non interrumpunt Eccleſiæ vniuerſalis vnanimem conſenſum: non etiam vnum aut alterum dictum *obiter* vel *incidenter* vel *tranſeunter* (vt loquitur *Auguſt.*) prolatum, ſtatim declarat alicuius Doctoris deliberatum judicium, nec omne veterum *puto plenum* eorum oſtendit *judicium*, vt de ſeipſo dicit *Auguſt.* Ep. 111. Tunc verò ſine dubio Patres, ſuos deliberatos aperiunt ſenſus, ſiue conciliariter, ſiue ſingulariter agant, dum ex profeſſo examinant aliquam quæſtionem, & poſt examinationem reſoluunt: præſertim ſi ſimpliciter tanquam qui Fidem ſuam ederent, ſcripſerunt: vt colligitur ex *Athanaſio* in Ep. *Dionyſij* Epiſc. *Alexand.* & hoc eſt quod dicit Turrecremata. d. 9. c. *Noli. Non omnia quæ in Scripturis Sanctorum Doctorum habentur, ſunt ijs attribuenda, ſicut Authoribus propriè, ſed tantum quæ ab eis aſſertiuè & definitè ſcripta ſunt.* Et in tali caſu rectè dicit *Beſſarion* in tract. de Proceſſ. Spiritus ſancti. *Solus Baſilius ſufficiẽs eſt ad docendum nos Fidei veritatem*, nempe quando oppoſitum non habetur ſcripto vel Traditione, & ipſe in illa quæſtione eſt *immoratus* vel remoratus, ſecundum quod habetur in Concil. *Gen.* 8. Con. 1. *Regulas quæ*, &c. *etiam à quolibet Deiloquo Patre ac Magiſtro Eccleſiæ traditæ ſunt ſeruare*, &c. *profitemur*, &c.

Quòd ſi quæſtio non ad Scripturam, ſed ad Traditionem vel ſenſum Traditionis ſpectet, eodem prorſus modo Philoſophandum eſt, ſemper tam ille, quàm ibi obſeruando cum *Bacono Rocano* in tertio ſuo opere *Clementi* inſcripto c. 57. quod multa dicunt Sancti & poſuerunt ſecundùm vulgus, vbi non habuerunt poſsibilitatẽ determinandi veritatem, aut propter difficultatem reliquerunt, aut in alijs ſatis occupati, &c. Dat inſtantiam de tempore Paſsionis Chriſti. *Theoph.* qui fuit vicinus Apoſtolis, ſcripſit quod 10. Calen. paſſus fuit, &c. Et quod *Aug.* & *Hieron.* & vulgus Latinorum ponunt 8. calend. Apr. *Girlandus* omnium Computiſtarum doctiſsimus reputat non per authoritatem dictum, ſed ſecundùm opin. vulgi, non autem definitiuè.

CAPVT XXXV.

An Eccleſia poſſit tolerare & poſtea condemnare doctrinam toleratam, vbi multa vetera & illa valde particularia declarantur.

1. DIxi quando cæteræ Eccleſiæ cum ipſis communicant, vel quod idem eſt, quando Eccleſiarum Prælati vniuerſim ſcientes & volentes ſine reſiſtentia in caſu aſsignato tolerant: nam vt ſæpius dixi alibi ex *Petro* à *Soto*, & tàm ibi, quàm alibi ex perquam plurimis Patribus & Theologis, Eccleſia non poteſt ad horam tolerare errorem in materia Fidei neceſſaria, ſecundùm illud *Aug.* in Epiſt. 119. ad *Januarium* c. 19. 2. Retract. 20. *Eccleſia Dei inter multam paleam multaque Zizania conſtituta, multa tolerat: & tamen quæ ſunt contra Fidem vel bonam vitam non approbat, nec tacet, nec facit.* Et alibi dicit. *Eccleſia aduerſus omnes profanas nouitates vigilare debet.* l. 1. de peccat. meritis, & remiſſ. c. 28. & ratio eſt illa quam tangit *Cypr.* Ep. 67. *Neque enim poterat eſſe apud Nos ſenſus, dixi, diuerſus, in quibus vnus eſſet Spiritus, & ideò manifeſtum eſt eum Spiritus Sancti veritatem cum cæteris non tenere, quem videmus diuerſa ſentire,* hoc eſt in neceſſarijs, non probabilibus.

Sed

Sed ſi oppoſitum eius hodie definiretur eſſe de Fide (ſicut in re probabili æquè definiri poteſt vna pars ac altera) manifeſtum eſt, dogma illud quod hactenus doceri publicè (modo inferius explicãdo) tolerauit, fuiſſe re quidem vera errorem, & per conſequens Eccleſia in ſuis Prælatis ſciens & volens tolerauit errorẽ in materia Fidei neceſſaria (quod eſt dicere contra Patres, Eccleſiam vniuerſalem errare, ſecundum illud, *cui non reſiſtitur approbatur* c. Error. d. 80. c. *cui non reſiſtitur.*) Quia ſi non eſſet neceſſaria, non poteſt etiam ex hoc Capite definire infallibiliter, vt ſæpius oſtendi ex veteribus & recentioribus Doctoribus.

2. Quod neceſſariò addendum eſt, nempè vt notaui alibi ex Patribus *Florentinis*, debet eſſe *vrgens neceſſitas*, hoc eſt, quod ipſa Eccleſia, ſeu Concilium iudicat eſſe vrgentem neceſsitatem. Et ideò patres illi definiendo dicunt, *Definimus etiam explicationem verborum illorum, Filioque, veritatis declarandæ gratiâ, & imminente tunc neceſſitate, licitè ac rationabiliter Symbolo fuiſſe appoſitam.* Additur etiam in decreto *ſuper vnione Iacobitarum & Armeniorum vrgente neceſſitate*, hoc eſt tam grauitas rei, ex parte objecti (nam curioſa vel ſuperflua non poſſunt definiri vt alibi oſtendi) quam neceſsitas ob Schiſma vel commotionem inter Fideles attendenda ſunt: aliàs Eccleſia non tenetur ad illa attendere, nec tolerando approbare dici poteſt. Et in hoc ſenſu D. *Paulus* 2. Cor. 1. v. 17. 18. 19. diſtinguit doctrinam Chriſti à fluctuantibus hominum & Hæreticorum opinionibus, in hoc quod eius doctrina non conſiſtit in *Eſt & non eſt*, hoc eſt ſecundùm intentionem textus, eius doctrina non variatur. Variaretur verò ſi ex *probabili* fieret *neceſſaria* vel ex *opinione* fierit *Fides.*

3. Vndè aliqui Neoterici Doctores tenent & probant propoſitiones probabiles non poſſe condemnari. D. quidem *Bayus* apud noſtrum *Hanzeur* in Abſolutione finali ſuæ *Anatomiæ* in B. Auguſt. *miratur aliquas propoſitiones à ſe prolatas, vt incertas aut probabiles, nunc definiri quæ à 400. aut 500. annis dubiæ habebantur*: non tamen eò deuenit, vt abſolutè negaret talia poſſe definiri, vt hi recentiores: dant verò rationem, quia *Diſciplina Chriſtiana grauiſſimè læderetur.* Suppoſito

Digitized by Google

verò quod vna pars probabilitatis definiretur, eo ipſo altera ei aduerſa condemnaretur, ex quo volunt illi diſciplinam Chriſtianam lædi, & quidem ſecundùm eos *grauiſſimè*. Imò vt vidi in alijs Theſibus, ſeu vt vocant *ſyllabis* cuiuſdam Hiſpani Doctoris in cauſa *Poſæ*, Chriſtiana Religio *in maximum diſcrimen adduceretur*. Addit, quod qui condemnarent propoſitiones probabiles; à *Sixto* 4. Concil. Conſtantienſi, *Pio* 5. *Greg*, 13. *Auguſtino Nazianzeno* & alijs grauiſsimis Doctoribus, veluti præſumtuoſos aut in Fide ſuſpectos, aut diſciplinæ Chriſtianæ euerſores condemnari. Hæc ſunt magna verba, ſed nondum probata, & certè *Celotius* ex eadem Societate cap. 17. citatus, videtur aliud & illud rectius inſinuare.

4. Hanc igitur ſententiam nullus amplector quoad omnem probabilitatẽ, imò nec poteſt ſtare cum Fide, vt ex poſt pauca ſequẽtibus apparebit, præſertim in illa indefinita latitudine probabilitatis, quam ponunt in verbis allatis; vtique ad ſaluanda illa verba, ſufficit probabilitas quam alij deſcribunt, ſcilicet quæ nitatur vel ratione probabili, vel authoritate alicuius, vel duorum Doctorum. Vtique ſi ſumatur probabilitas ex parte objecti, hoc eſt ex parte rei in ſe ſeu objectiuè ſumptæ, ſic nulla eſt: nam omnis res in ſe certò non probabiliter eſt vel non eſt, hoc Logico vel Philoſopho non indiget probatione: Et ideò fusè & ſæpè in ſuperioribus Capitibus oſtendi ad definitiones veras requiri non probabilitatem, ſed identitatem conceptuum objectiuorum in veritatibus definiendis cum diuinitùs traditis vel ſcriptis, quod ſemper in hac materia notandum eſt.

Sumi ergò debet probabilitas ex parte intellectus, hoc eſt conſiderando rem in ordine ad diuerſos de ea judicandi modos, vt etiam alibi ſatis expendo ex *Ariſtotele* in Topicis *Probabile* ſic definiente, quod etiam ipſi admittunt, & vt oſtenſum eſt ſubinde ſtrictius ſumunt: Quo ſemel in præſenti materia admiſſo, Fides Chriſtiana ad incertitudines Academicas reducetur, quod optimè ponderat *Aug*. l. 3. *De Academicis* c. 4. vbi contendebant Academici, vt hi, omnem probabilitatem tutò ſequendam, ex quo declarat ſequi Patriæ parricidium licuiſſe ob rationes *Catelinæ*. Summa eſt, quod hoc vt dixi admiſſo, vix ſcio

ad quid

Digitized by Google

ad quid congregabuntur Concilia, *Tridentinum* corruet, *Florentinum* vacillabit, magnũ *Lateranenſe*, imò pauca, ſi vlla, ex vniuerſaliſſimis Concilijs erunt ſecura. Nam de *Niceno*, certò certius corruet ſecundum illa quæ refert *Hilarius* ſuperiùs de actis & iudicijs 80. Epiſcoporum ante eius coactionem. Sic etiam *Chalcedonenſe* propter authoritates patrum quas allegabat *Eutyches*: & eadem prorſus erit ratio de reliquis hactenus receptis vniuerſalibus Concilijs, vt ex ipſis actis videre eſt. Nec nimirum, nam vt rectè S. *Greg. Niſſ.* in vita S. *Greg. Taumaturgi*: *Erant.* &c. *nonnulli qui piam & ſinceram* religionis doctrinam adulterarent, ac per *probabiles* argumentationes ſæpè numero etiam doctis & prudentibus veritatem *facerent ambiguam.* Profectò ſi liceat in myſterijs Fidei ſic reſtringere poteſtatem Eccleſiæ, facile erit ambiguas reddere Eccleſiæ definitiones ſecundum iudicium huius magni viri.

Speculentur Doctiores, annon valeat hîc illud *Baſilij* contra *Eunomium* l. 2. *Nec enim illud dicet licere ſibi, cum de tantis rebus verba faciat, deductiones quaſdam, & deriuationes nominum excogitare. Nam ſi otioſi etiam verbi ſupplicia in die Iudicij patiemur; multò minus ſi de tantis rebus quicquam innouamus, ſine pœna dimittemur.* Poſtea. *Verum præterquam quod indecens atque periculoſum eſt audacter huiuſmodi res inuadere,* &c.

5. Optimè igitur contra iſtos determinat Grauiſsimus & Illuſtriſſimus *Tuamenſis* noſter de *ſtatu Paruulorum* c. 19. *Nulla igitur vetuſtas Scholaſticarum opinionum quantumcumque inter earum Defenſores propagatarum, atque etiam ab Eccleſia toleratarum quæ ſimiles opinantes in dubijs aut obſcuris tolerare ſolet, quouſque multis hinc atque illinc diſputationibus, aut peritorum collationibus veritas eliquetur ac declaretur. Nulla (inquam) talis vetuſtas Eccleſiam impedire poteſt, vt in eiſdem opinionibus examinare non poſſit, an fortè à veritate deuiauerint, vt ex ijs quæ habet Auguſtinus l. 2. de Bap. contra Donat. c. 3. & 4. colligitur. Non ergo terreant aliqui Eccleſiam (vt quidam ſimilibus ratiunculis in alia quæſtione terrere videntur) ab improbatione quarundam opinionum, quæ certiſſimè Beatiſſimo Auguſtino contrariæ reperientur, quantumcunque prædictæ opiniones irreprehenſibiles putantur ob temporis, quo ab earum fautoribus defenſæ ſunt, diu-*

turnitatem, aut fortè ob authorum earundem opinionum à Sede Apoſtolica laudationem, &c. Secundùm igitur huius magni viri & ipſius Eccleſiæ conſenſum, veritas eſt quod ad effectum prædictum, non ſufficit omnis qualiſcunque Probabilitas, ſed in re ſaluti Fidelium neceſſariâ, & quæ *ab Eccleſia* probabilis judicata eſt.

6. Et ſi ſic intelligatur *Probabilitas*, pro certiſsimo fuit opinio tam Græcorum quam Latinorum Patrum in *Florentino*, imò à fortiori ſequitur ex Doctrina eorum expreſſa in diſputationibus de additione ad Symbolum, vt acta vtriuſque Eccleſiæ teſtantur. Nam vtraque Eccleſia in hoc conueniebat, quod nihil poſſet adijci compagini Fidei hactenus conceptæ & creditæ, quam quod *verum & neceſſarium* erat in judicio veterum Patrum. Et ideò hoc vtrinque conceſſo, diſputabant & *requirebant* Sanctos Patres, & tandem ipſis grauiter expenſis, & concordare inuentis, declarabatur veritas. Quod ſi Græci Patres potuiſſent oſtendere, vel Sanctos Patres iunctim, vel Eccleſiam in Concilijs vllibi judicaſſe eorum errorem fuiſſe probabilem vel tolerabilem, nunquam fuiſſet in *Floreotino* admiſſum, *Spiritum* Sanctum proceſsiſſe à Patre & Filio Legat Doctus Lector Hiſtoriam & ipſa acta Concilij, legat etiam *Gennadium*, *Beſſarionem*, & reliquos Græcos Doctores qui interfuerunt, quos alibi citaui, & fatebitur doctrinam poſitam à fortiori concedendam ex principijs eorum.

7. Idem etiam ineuitabiliter ſequitur ex doctrina illa receptiſsima Sanctorum & Theologorum, ſcilicet quod Eccleſia hodierna non poteſt definire, niſi quæ neceſſariò ſequuntur ex diuinitus reuelatis Scriptis vel traditis per Apoſtolos: quomodo vtique neceſſariò ſi ſolum probabiliter? vel quomodo probabiliter ſi neceſſariò? Si dixeris neceſſariò quidem quoad rem ipſam, licet probabiliter in judicio huius vel illius temporis: peto vndè hodie apparuit neceſsitas conſequentiæ, quæ huc vſque latebat totam Eccleſiam? quæ antea ſic tolerabat, pulſa vt ſupponitur ad eius declarationem, & tamen re diſcuſſa reſoluere non potuit, Hoc ergo poſito, neceſſariò aſsignabis nouas reuelationes, quas tamen neceſſariò negare debes vt fuſiſsimè oſtendi in ſuperioribus capitibus.

Denique

Denique ſi huc vſque *ſalua Fidei compage variè à varijs intelligebatur*, vt loquitur *Stapletonus* loco ſæpius citato, & Eccleſia ad hoc poſtulata poſt examinationem tolerare judicat, vndè prouenit quod hodie neceſſariò ad Fidem pertinere judicetur, niſi Fides vel Fidei compago varietur? quod eſt ἑτερο διδασκαλεῖν quod tam rigide prohibuit Apoſtolus.

8. Nec hîc obijci debet error *Chiliaſtarum* apud quoſdam Populares noſtros adeo agitatus, ex aliquorum veterum quidem credulitate nimia irrepſerat, ſed ſuccedentia ſæcula exploſerunt, nec in vllo ſæculo vniuerſim recipiebatur, & loquor non ſolùm de Sabbatho illo Millenario *Apollinaris* & *Cerinthi*, qui præter ſpirituale interponebant Carnales & obſcænas delicias: quem errorem *Damaſus* damnaſſe dicitur, & contra eum egit *Hieronymus* acriter lib. 3. in *Matth.* c. 19. & occaſionem iſtius ſermonis ibi declarat. Ante ipſum verò *Greg. Niſſeni* Ep. quam *Euſtachiæ* & *Ambroſiæ* ſcripſit interpetre *Iſaac, Caſaub.* *Num mille annorum ingurgitationem pollicemur? Num Iudaicam victimarum mactationem iterum reſtitutum iri docemus? num ad terreſtrem Hieruſalem ſpes hominum inclinamus, & inſtaurandam illam eſſe illuſtrioris materiæ lapidibus fingimus? quid horum nobis obijci poteſt?* &c. Notatu verò dignum eſt, quod hæc dicat in nomine Eccleſiæ ſeu Catholicorum, vnde conſtat ſic tunc ab Eccleſiâ publicè & illos errores fuiſſe tunc, non recenter exploſos.

Inter hos etiam adhuc erat diuerſitas, nam *Cerinthus* & *Marcus* nuptiarum copulam expectabant, *Papias* cui acquieſcebant *Tertull.* & *Lactantius*, cibum & potum cum infinitudine *Botrorum vuarum* &c. Hæc opinio communiter tribuitur *Irenæo* ob authoritatem *Hieronymi*, ſed *Irenæus* non habet. Cap. quidem 23. dicit vnum diem eſſe quaſi mille annos. Sed hoc non eſt ad rem. *Nepos* verò primam juſtorum Reſurrectionem & ſecundam Impiorum confinxit, & inter has reſurrectiones, gentes ignorantes Deum in angulis terrarum in carne ſeruandas, quæ poſt mille annos regni Chriſti & Iuſtorum in terra, inſtigante Diabolo mouendæ ſunt ad pugnam contra juſtos regnantes, &c. Vt fuſiùs refertur in definitionibus Eccleſiaſticorum Dogmatum

Digitized by Google

gmatum in Tom. 10. *Auguſt. Tertull.* verò in fine libri 3. cont. *Marcion.* aſſerit copiam omnium bonorum ſpiritualium per mille annos ante *Conflagrantiam Generalem*, quem ſequuti ſunt alij, de qua opinione dicit *Auguſtinus* lib. 20. de Ciuit. c. 7. *Quæ opinio vtcunque etiam tolerabilis, ſi aliquæ deliciæ ſpirituales in illo Sabbatho affuturæ ſanctis per Dominum crederentur*, &c. Vbi obiter notãdum, quod *Aug.* non traditionem ſed *opinionem* vocauit. Nihil igitur ſpecialiter difficile; nam vt dictum eſt, Eccleſia non debet attendere ad ſingulas Patrum vel Doctorum *opiniones*,; multò minùs ad leuiores & indigeſtos quorundam lapſus, vbi nullum periculum commotioni, &c.

9. Nec plus impedit ſententia quorundam veterum de manſione *Beandorum* in occultis illis extra cælum receptaculis, quæ apud varios variè obtinuit, apud hos opinatiuè, illos dubitatiuè, nunquam verò vel vniuerſim, vel ſucceſsiuè durauit, licet *Niſſenus* de opificio hominis c. 22. videatur non tàm aſſerere, quàm probare: *Tertullianus* de Reſurr. Carnis (citaturus ſum verba in Cap. de Purgat.) *Cypr.* etiam in Ep. 16. Martyres ſtatim *ad complexum & oſculum Domini venire* aſſerunt. *Chryſoſtomus* in *Paulum*, *Aug.* in Pſal. 109. & alibi *Ambroſius* in Cap. 22. *Lucæ*, & alij veteres frequenter idem docent.

Iuſtinus martyr in *Tryphon.* planè aſſerit ſenſualem Chiliaſtarum errorem, imò & probat: In quæſt. verò 112. paulò mitiùs agit, & Iudaicum illum errorem de reſtitutione Regni *Iſraël* in gloriam & delicias, refutat, ſpiritualem tamen retinet: In reſponſione verò ad quæſtionem 75. quorundam Chriſtianorum quæſtionum prorſus veritatem attigit, ſicut in ſequentibus. *Nazian.* in Ep. 2. ad *Cled.* vocat errorẽ illum ſecũdùm *Iudaiſmum* & ſæpius in Orationibus fatetur Dei viſionem poſt mortem. Specialiter orat. 11. in laudem *Gorgonij*. *Equidem non dubito quin ijs, quæ oculis cernuntur, multò præſtantiora ſint ea quibus nunc fueris*, &c. Vbi tandem aſſerit *Gloriæ Contemplationem*, & ſupremæ *Trinitatis* eluminationem, &c.

Tertull. quidem agens de alijs qui non erant Martyres l. 4. aduerſus *Marcion.* Poſt multa dicit: *eam itaque Regionem* (ſcilicet mortuorum Iuſtorum) *ſinum dico Abrahæ & ſi non cæleſtem, ſublimiorem tamen inferis, interim*

terim refrigerium præbituram animabus Iuſtorum, &c. *Irenæus* etiam cap. vlt. videtur negare viſionem Dei ante diem Iudicij, lib. verò 2. cap. 62. & 63. dicit *animis dignam habitationem vnamquamque gentem percipere etiam ante Iudicium*. Quoad Martyres igitur res fuit ſemper indubitata vt videtur: ſed quoad alios, aliqui putabant eos non adeo hic expurgatos, quin ibi detineri mererentur, & aliqui ſubinde temporaliter torqueri. Quod confirmat alterum Eccleſiæ dogma de Purgatorio. Dixi ſuperiùs *Chryſoſtomum* pro veritate ſtare in locis ad *Paulum*, quod adeò verum eſt, (licet alij eum & rectè citent pro oppoſitò tom. 5. Orat. 7. vltra medium de latrone agens contra *Manichæos*) vt clariſsimè & ſæpè beatificam beatorum viſionem ſtatim poſt mortem non tàm aſſerat quàm probet. Primum igitur ſequens aliorum nondum digeſtas & examinatas ſententias, affirmat adhuc iuuenis: prouectior verò factus ſolidiora attigit, & ideò ad *Philippenſes* hom. 3. poſt alia hæc habet: *Hi verò etiam illuc tranſlati beati ſunt, quoniam ad Chriſtum ſunt profecti*, &c. Agit de ſtatu eorum ſtatim poſt mortem. Fuſiùs etiam hom. 45. requirite. Et adhuc fuſiùs eodem tomo applicans verba *Pauli* ad *Heb.* 12. *Non acceſſiſtis ad tractabilem montem*, &c. Vbi etiam reijcit *Chiliaſtas*. Quod aliqui aliud docebant, nihil impedit: quando vero tempore *Johan. Papæ* 22. Vehementiùs vrgebatur cõtra veritatem detentio *omnium* in locis illis, ſtatim Benedictus *Iohan.* Succeſſor ſuppreſſit, & poſt illum *Florentinum* penitus extinxit. Non enim vt apud aliquos veteres curſim, ſed *de Induſtria* & ſolemniter docebatur, & Commotio fiebat, vt norunt omnes qui tempora *Iohannis* examinarunt. Tolerari igitur non potuit.

10. Nec poteſt hîc obijci error *Cypriani* licet ſolemniſſimus (quanquam non deſint, qui hoc *Cyprianum* prorſus non ſenſiſſe contendant, ſed ſub eius nomine à *Præſumptoribus* atque mendacibus fuiſſe confictum, vt refert *Aug.* Epiſt. 48.) & inter *viros magnos*, vt loquitur *Aug.* & diuerſa *Regionalia Conſilia* diuerſimodè definitus: Nam ſi ingenuè ſpectetur proceſſus rei, Eccleſia non tolerauit *Cypr.* & ſuos, vt patet in Epiſt. 74. quæ eſt ad *Ponpeium* contra Epiſtolam *Stephani*; Nam, quod vel maximè notandum eſt, *Stephanus* non ad horam tolerauit,

Digitized by Google

Firmilianum etiam & Collegas Orientales Communicatione ſua abſtinuit, *Sacerdotes Dei* veritatem Chriſti & Eccleſiæ vnitatem tuentes abſtinendos putat, vt ibi exprobrat *Cyprianus* & colligit *Auguſtinus* l. 5. de Bapt. c. 25. & *Firmilianus* in Epiſtolæ ſuæ calce hoc oſtendit. Per alios etiam ſolemnes Doctores, per diuerſa etiam *Concilia* tota Eccleſia quaſi inſurrexit, & tandem per plenarium Concilium ſopitus eſt quando ad ſchiſma aſcenderat, vt apud *Auguſtinum* conſtat in multis locis ſæpiùs à me citatis & citandis; ſeu vt cum *Auguſtino* loquar, *ſententia Cypriani nunc apud hos, nunc illos retenta fuit, donec Concilij plenarij authoritate eliquata fuerit.* Seu vt optimè *Lerinenſis. Atqui quis totius huius negotij exitus? Quis vtique niſi vſitatus & ſolitus? retenta eſt antiquitas, exploſa nouitas.* Non igitur in judicio *Lerinenſis*, *Stephani* & totius Eccleſiæ fuit hìc probabilitas, ſed *exploſa Nouitas.* Sed hæc difficultas pleniùs diſcutietur in Quæſtione ſequenti.

11. Nec etiam morari nos debet, dubitatio illa antiqua de *Origine animæ*, ſcilicet an ex traduce, hoc eſt vt loquitur *Gregorius* Epiſt. 1. ad *Secundinum, an ab Adam deſcenderit*, an immediate à Deo creata fuerit. De qua re planè dubius fuit *Aug.* vt patet tum alibi tàm in tractatu *de origine Animæ*, prout etiam *Hieron.* imò omnes ferè Occidentales dubitarunt, Epiſtol. 27. Imò *Hieronym.* de hoc ſpecialiter conſultus apud *Aug.* 157. dicit *Occidentalem Eccleſiam ſolere ſentire animarũ propaginem*: Scripturas expendebant, ſententias Eccleſiarum audiebant, nec traditionem vel ſcripturam claram habebant. Et de ea concludit *Greg.* his verbis. *Grauis eſt quæſtio, nec valet ab homine comprehendi.*

Difficultas huius quæſtionis patet apud *Aug.* Ep. 28. & adhuc clariùs Ep. 120. c. 12 *ſed quis audet in hanc ſe temerè præcipitare ſententiam, cum ratio de aduentu vel exortu animæ in tanto naturæ profundo ſic lateat; ſatius ſit eam ſemper quærere quamdiu in hac vita ſumus, quam aliquando inueniſſe præſumere* ſic etiam Ep. 157 citata.

Dicit quidem *Sanctus Thomas.* p. q. 118. a. 2. eſſe Hæreticum affirmare eam traduci ex ſemine, & alij hac in parte communiter conueniunt, præcipuè poſt *Leonem.* 9. in explicatione Fidei Romanæ ad

Petrum

Digitized by Google

Petrum Epiſcopum Antiochenum, qui declarauit ex nihilo creari.

Video quidem vt dixi, & ex ijs retuli aliquos veteres Patres, vt etiam teſtatur *Gregor.* dubios & perplexos in hac quæſtione extitiſſe: ſed hactenus non vidi vllos *reſolutè* pro *Origine ex Traduce*, licet eò inclinarent aliqui. Et ideò facilius tolerari potuit, *requiſitio illa* quam vocat *Gregorius non paruam. Reſolutionem* tamen *ſolemnem*, ſine dubio non toleraſſet. Requiſitio non erat propter hanc queſtionem in ſe, ſed propter aliud de Peccato Originali, quod notandum eſt. Licet ſciam aliquos tenere rem non eſſe plenè definitam in ſenſu quo *requirebant* Patres, etiam admiſſa definitione contra traductionem ex ſemine. Vtique volunt illi quæſtionem Patrum fuiſſe, an Anima filij deſcenderit ab Anima Patris, vt etiam patet ex *Hieronymo* Epiſt. citata 17. & ex *Aug.* Ep. 157. apud *Hieron.* etiam Ep. 82. ſicut Corpus à Corpore, mediante quidem ſemine, quia aliàs nulla eſſet generatio, ſed non ex ſemine, contra quam dicunt collimaſſe *Leonem.* 9. ſaltem præcipuè.

Tertullianus quidem putauit Deum eſſe Corpus, & conſequenter animam, & ex *corpulentis ſeminibus exortam* vt teſtatur *Aug.* Ep. 157. citata, & conſtanter hoc apud *Tertull.* legi præſertim libro aduerſus *Praxeam* & in libro *De Reſurrectione* aſſerit animam eſſe *Corporalem* habentem proprium genus ſubſtantiuæ ſoliditatis, per quam ſentire & pati poſsit, & dicit ſe in proprio volumine hoc probaſſe. Et in eodem libro verſus finem planè aſſerit *benedictionem genituræ carnem atque animam ſimul fieri ſine calculo temporis, vt quæ ſimul in vtero etiam ſeminantur*, &c. Quod eſt fieri ex *traduce.* Alia quæ apparentiam habent contra hanc doctrinam alibi expendo, & ex eis quæ hîc dixi, & adhuc dicturus ſum hoc capite, facilè euaneſcent.

12. Notandum finaliter ad majorem huius doctrinæ perſpicuitatem, quòd non cenſebitur hæc vel illa Doctrina ab Eccleſia ſufficienter tolerari in ordine ad effectum prædictum, ex hoc quod aliqui Patres vel Doctores hoc vel illud inter alia Scripta aſſeruerint, & Eccleſia non ſtatim condemnauit, ſicut nec ſciri poteſt eorummet ſententia firma ex omni dicto vel Scripto quod protulerunt, ſed ſicut dixi ſuperiùs, Doctorum vel Patrum ſentẽtias tunc ſolùm judicari poſſe eſſe

ſuas, quando in aliqua quæſtione *immorantur*, ſeu poſt *requiſitionem non paruam* determinant. Pariformiter tunc ſolùm eſtimari poteſt eſſe apud Eccleſiam opinio probabilis vel tolerabilis ad effectum intentum, quando in re tunc neceſſaria ſcilicet publicè commota, vel vt loquitur *Lerinenſis* c. 32. quando Eccleſia Hæreticorum nouitatibus eſt excitata, poſt *immorationem* vel *requiſitionem* illam *non paruam* tolerandum judicat, aliàs ſupponetur Eccleſia ignorare, non tolerare. Et ideò rectè docet doctiſsimus *Syluius* in 1. p. q. 51. a. 1. quod illa quæ dicuntur ab ipſis Concilijs generalibus *vel ſupponendo vel obiter aſſerendo*, non ſtatim reputari debere inter firma eorum decreta: nec certè ex talibus loquendi formulis argui poteſt deliberata eorum ſententia nam vt alibi doceo, *obiter aſſerta* mentem aſſerentium non declarant: ſed ſi Concilia vel Eccleſia remorata fuerit, &c. Tunc fortiter cōuincetur quæ ſit eius mens.

13. Grauiſsimè ſanè obſeruatum & obſeruandum eſt, quod dicit *Lerinenſis*, quando Eccleſia, Hæreticorum *Nouitatibus eſt excitata*: quia Eccleſia nunquam putauit condemnandas omnes ſuorum Doctorum ſententias licet falſas, niſi ſic *excitata*. Vndè *Nazianzenus* Ep. 2. ad *Cledon*. ſeu oratione 52. quærens cur in *Nicano* nihil de Spiritu Sancto definitum fuerit, dicit: *Illud inſuper explicantes, quod ab illis ſcilicet Nicænis Patribus minùs plenè de Spiritu Sancto dictū eſt, propterea quod hæc quæſtio nondum excitata & agitata* fuerat. Orat. etiam 20. quæ eſt funebris in Laudem *Baſil.* in œconomiam Eccleſiæ refert, quod ſubinde aliqua diſsimulentur, nec clarè definiantur quæ Fidem concernunt. *Baſilius* accuſabatur quaſi in Spiritum Sanctum non rectè crediſſet, quia de Deitate Spiritus Sancti ſubinde clarè ſententiam dicere ſubterfugiſſet, vndè *Nazianzen. Propriam vocem interim vſurpare differebat, tum ab ipſomet Spiritu; tum à ſinceris ipſius Propugnatoribus in Gratiæ loco hoc petens, ne hoc ſuo Conſilio offenderentur, nec committerent, vt dum vnam voculam mordicùs retinere conarentur, propter inexplebilem cupiditatem, omnia perderent, conuulſa nimirum turbulento tempore ac diſtracta pietate. Ipſos enim nihil ex eo incommodi ac detrimenti accepturos, ſi vocabula paulum non vtarentur, modo alijs verbis eadem docerentur* (*neque enim ſalutem noſtram*

Digitized by Google

ſtram in verbis potius, quam in rebus conſiſtere: quippe cum ne Iudei quidem reijciendi ſint, ſi ad aliquod tempus pro Chriſto vocem vncti ſibi concedi poſtulantes, in noſtrum numerum atque ordinem aſcribi velint: at Reipublicæ non poſſe majorem pernitiem ac peſtem afferri, quam ſi Eccleſia ab Hæreticis occuparetur. Poſtea. *Cum tempus in ſummas anguſtias nos redigeret, hanc ipſe rationem inibat, vt ſibi quidem verbi diſpenſationem, nobis autem, quos ob nominis obſcuritatem nemo in judicium adducturus, Patriaque ejecturus eſſet, loquendi libertatem committeret.*

14. Hinc habemus aliquando licere in Fide non omnia clarè edicere, ſed ad tempus differre, ſi major pernicies inde juſtè timeatur. Cui igitur mirum ſi aliquando Patres in Concilijs non omnia volunt videre, imò licet requiſiti, vt hîc *Baſil.* apud *Nazianzenum*, Et ipſe *Nazianzenus* qui hac in parte ſtrenuè defendit *Baſil.* vt ex dictis patet. Prout etiam ſæpè notat *Aug.* præſertim *De don. Perſeu.* c. 33. de gratia & prædeſtinatione agens, quam nunquam tacuit Eccleſia in precibus ſuis, licet aliquando in ſermonibus exerendam, vel vt dixi ex Florentino quando eſſet *vrgens neceſſitas*, vt ad oculam oſtendit *Cypr.* apud *Aug.* in doctiſsima Epiſtola 48. *Anteceſſores* inquit *noſtri, quidam de Epiſcopis iſthinc in Prouincia noſtra dandam pacē Mœchis non putauerunt, & in totum pænitentiæ locum contra adulteria clauſerunt, non tamen à Coepiſcoporum ſuorum Collegio receſſerunt, aut Catholicæ Eccleſiæ veritatem vel duritie vel cenſuræ ſuæ obſtinatione ruperunt, vt quia apud alios adulteris pax dabatur, qui non dabat, de Eccleſia ſepararetur, manente Concordiæ vinculo, & perſeuerante Catholicæ Eccleſiæ indiuiduo Sacramento. Actum ſuum diſponit & dirigit vnuſquiſque Epiſcopus, rationem Propoſiti ſui Domino redditurus.* Hunc agendi modum laudat *Cypr.* Cenſurarum ſeu condemnationum Eccleſiaſticarum feſtinantiam nullus approbat, vbi non eſt periculum Schiſmatis, vel vt poſtea loquitur *Auguſt. donec ad littus perducti ſepararentur* id eſt donec Schiſma facerent.

15. Manente igitur *Concordiæ vinculo*, conuincendum putat. Si Eccleſia igitur non fuerit *commota* vt dixi, nōdum putatur ſcire, &c. ſed *vnuſquiſq;* eſt rationem propoſiti ſui Domino redditurus, vt loquitur *Cyprianus*, & cum ipſo ibidem *Aug.* qui laudat hac in parte *Man-*

Digitized by Google

ſuetudinem Eccleſiæ, quæ non negabat ſuam Communionem Epiſcopis, licet *Claues Eccleſiæ pulſantibus* ſubtraherent, hunc tamen eorum errorem *immanem* vocat & *impietatem.* Sic etiam vt dixi vſque ad Concilium *Nicænum*, quod plus minùs centum annis erat poſt *Cyprianum*, non explodebatur vt Hæretica eius ſententia, nempè tunc ſchiſma vrgebat, & Eccleſiæ neceſsitas poſtulabat. Et ideò *Aug. Doctor Gentium* & *Tuba Chriſti* Ep. 89. in ſolutione tertiæ quæſtionis de Pelagianis agens, dicit, *Nos malumus eos in Eccleſiæ compage ſanari, quam ex illius corpore velut inſanabilia membra reſecari, ſi tamen hoc permittit ipſa neceſſitas.* Vbi totum refundit *Aug.* in Eccleſiæ neceſsitatem, huc in materia Fidei collimandum. Vndè bene dicit *Caranza*, ad Can. 1. Conc. Tol. 4. *In hoc Canon. ponitur vera intelligentia deſcenſus Chriſti ad Inferos. Si dicas quod in Conc. Nicæn. ſeu Conſtantinopol. non fit de eo mentio, reſpondeo, quod tunc non erat de hoc aliqua difficultas, & Patres illi ſolùm declararunt, quæ tunc controuertebantur.* Hic ſenſus & praxis Eccleſiæ in determinationibus Fidei.

16. Tandem vt ſenſus Eccleſiæ hac in parte omnibus pateſcat, modus procedendi eius in extinctione Dogmatis *Arriani* longè licet impijſsimi teſtabitur. Nam vt primùm quidem *Alexandriæ* vel notus, vel notatus fuit ab *Alexandro* eiuſdem tunc vrbis Epiſcopo, pulſus Eccleſia fuit: ſed nondum cenſebatur cauſa ſufficiens conuocandi Eccleſiam, vel damnandi dogma. *Sed cùm homines quos in errorem ſeduxerat, etiam in ſeditionem excitaret*, apud *Niceam* vrbem Bythiniæ conuentus: 318. Epiſcoporum factus eſt, per quos *Arrianum* dogma exitiabile & miſerum euidentiſsimè deprehenſum, *palam proditum ac reprobatum eſt.* Hæc *Paulus, Oroſius, Aug.* Contemporaneus Hiſtoriarum lib. 7. c. 28. Vbi manifeſtum eſt Eccleſiam tunc ſolùm inſurrexiſſe in finalem & ſolemnem iſtius dogmatis condemnationem, quando præter populi *ſeductionem*, *ſeditio* excitabatur. Non igitur argui poteſt Eccleſiam aliquid poſitiuè toleraſſe, & quod conſequens eſt jam damnare non poſſe, ex eo quod non ſtatim conciliariter ſuppreſsit, ſed vſque ad ſchiſma, vel *ſeditionem* illam diſsimulare poteſt.

Hoc egregiè teſtatur *Baſilius* Ep. 60. Eccleſiæ Antiochenæ inſcripta,

ſcripta, vbi poſtquam egerat & declararat Fidem Nicænam pro *Conſubſtantialitate* filij, ſubdit, *Quoniam verò doctrina de Spiritu Sancto indefinita eſt, propterea quod nondum comparerent bellum contra Spiritum gerentes, quod condemnandi ſint, qui Spiritum Sanctum creatæ ac ſeruilis eſſe naturæ dicunt, in ea Synodo nulla facta eſt mentio.* Nihil clarius dici poteſt. Nulla fiebat mentio de iſta alia hæreſi, quia nondum erat *bellum* exortum. Hoc eſt, non erat publica ſeditio ob hoc mota in Eccleſia.

17. Denique *Hieronymus* apertiſsimè veritatem declarat & modum procedendi veteris Eccleſiæ ad oculum non tàm teſtatur, quàm probat contra *Origeniſtas* Epiſt. 65. de erroribus *Origenis* contra *Iohan. Hieroſol.* Eiſcopum: ſenſus Eccleſiæ, Lippis & Tonſoribus notus erat, quoad errores ibi damnatos, ſed ipſa Eccleſia nondū conciliariter eos damnauerat, Hinc apud *Hieronymum, Alius, non poſſum (inquit) damnare, quod Nemo damnauit: Alius, nihil ſuper hoc à Patribus ſtatutum eſt, vt dum totius Orbis prouocatur authoritas, ſubſcribendi neceſsitas differatur. Quidam conſtantiùs, quomodo inquit, damnabimus, quos Synodus Nicæna non tetigit? Quæ enim damnauit Arrium, damnaſſet vtique Origenem, ſi illius dogmata reprobaſſet: ſcilicet vno medicamine omnes ſimul morbos debere curari. Et idcirco Spiritus Sancti Majeſtas neganda eſt, quia in illa Synodo ſuper ſubſtantia eius, ſilentium fuit?* Ad quod *Hieronymus. De Arrio tunc non de Origene quæſtio fuit, de Filio, non de Spiritu Sancto. Confeſſi ſunt quod negabatur, tacuerunt de quo nemo quærebat*, &c. Vbi manifeſtiſsimè apparet, Concilia vniuerſalia non ſolere ſingula dogmata etiam *Hæretica* ſtatim condemnare, ſed ea de quibus *quæritur*, cætera ſubinde *tacere* ſecundum *Hieronymum* partes Eccleſiæ ibi agentem. Si igitur Eccleſia non fuit *mota* vt dixi ſuperius, ipſa non *mouet*. Etiam hæc eius gradatio attendenda eſt.

18. Tandem eſt valde notabilis gloſſa apud Scholiatorem *Nazianzeni* in Orationē 26. ad hæc verba. σὺ μεῖζόν τί σωτηρίας ζητεῖς, *Quibus verbis videtur Gregorius diſcrimen quoddam conſtituere inter* σωθῆναι *&* δόξης τυχεῖν *id eſt inter ſalute donari & gloria cæleſti frui: tanquam ſint aliqui in eo ſtatu futuri, vt in altero æuo nec pæna vlla afficiantur, nec rurſus in ſempiternam illam gloriam admittantur*: ſic in ea Oratione qua ad Baptiſmum

tiſmum exhortatur. *Inter Baptiſmum* inquit *ac mortem, temporis aliquod intercedat: vt non ſolùm gratiam habeas, ſed etiam præmium conſequaris, nec ignis tantum ſupplicium effugias, verum etiam gloriæ hæreditatem percipias.* *Athanaſius* in ſua exhortatione ad Monach. ita ſcribit. *Et quidem iſta tradens, non de vulgi promiſcua Fide loquor, ſed omnipotentis Dei tantum inſinuata confeſsio, & innocentiæ ſingularis inſtillata doctrina veniâ ſolâ facit eſſe contentum.* Ac paulò poſt, gloriæ præmio veniam opponit. *Origenes* hom. 35. in *Mat.* poſtea quam hanc quæſtionem propoſuit, An Eccleſia tota petere poſsit aliquem peccatorem, vt ſoluatur à condemnatione peccati, ſic rſpondet. *Et ſi concedatur aliquis peccator ad preces Eccleſiæ, non tamen iuſtum eſt gloriam & beatitudinem conſequi eum qui huiuſmodi eſt: Sufficit enim quod à pœna dimittitur.* Idem hom. 17. in eundem, Duplicem bonorum gradum facit, alterum eorum qui nec maculam nec rugam habent, alterum eorum qui inuocant nomen Domini, & qui ſaluantur quidem in nomine Domini Ieſu, nequaquam tamen ab eo coronantur: in quo gradu *Digamos* ponit. *Ambroſ.* l. 1. Epiſtolarum Ep. 19. *Itaq; qui ſub ictum mortis conuertitur, mereatur incolatum Paradiſi (vt latro) qui verò multo ante ſe exercuit. & Chriſto militauit, &c. habeat paratum ſuis ſtipendijs Dei regnum.* Et rurſum ad virginem lapsã c. 8. *Talis vita, talis actio pœnitentiæ, ſi fuerit perſeuerãs audebit ſperare, & ſi non gloriam, at certè pœnæ vacationem.* Denique *Saluianus* l. 3. ad Eccleſ. Cathol. *Quid cauſæ eſt*, inquit, *vt non vel moriens, & in vltimis ſitus, id ſaltem ſupremæ oblationis officio & omnium rerum tuarum ambitu agas, vt ſi mereri à Deo potes, locuples ac beatus ſis: ſin autem id non potes, certè vel pro hoc merearis vt miſer non ſis, certè vt non vraris, certè vt non torquearis, certè vt tenebris exterioribus non inijciaris, & ardentibus ſine fine flammis non decoquaris.*

Hæc opinio nullo ſcripturæ loco niſi *Paulino* & quidem malè intellecto nititur. *Quoniam qui talia agunt regum Dei non poſsidebunt:* inualuit tamen vt videtur apud multos veteres trãſitoriè ſeu per tranſennam eam tractantes. Contra quos grauiter agit *Auguſtinus* lib. 50. Homiliarum & *Chryſoſt.* par .1. ad *Theodor. Monachum* lapſum. Et tandem non obſtantibus his Patrum tranſcurſioribus opinationibus

tionibus Eccleſia contra *Pelagianos* in diuerſis Concilijs damnauit hoc dogma: nempè dum mota eſſet à *Pelagio* & ſuis ſequacibus, eo vſque deficiente *accuſatore* ad hunc effectum non vidit. Sexcenta huiuſmodi adferri poſſunt, ſed redeam.

19. Dixi ſuperiùs poſt *requiſitionem illam non paruam*, &c. Quia fieri benè poteſt, quod Eccleſia grauioribus, ſeu in rebus pro tunc *magis neceſſarijs* impedita, materias alias licet ſuo *Tribunali* ſeu *judicio propoſitas* declinaret, ſeu in ſtatu priſtino relinqueret. Vndè de opinione falſa ſed nondum Hæretica agens *Aug.* de vera Religione c. 6. dicit. *Suſtinetur donec aut accuſatorem inueniat, aut prauam opinionem pertinaci animoſitate defendat.*

20. Obſeruandum igitur benè eſt, hæc duo eſſe longè diuerſa. Nempè declarare hanc vel illam ſententiam eſſe probabilem, & permittere eas permanere in ſtatu ſeu in probabilitatibus quas apud Doctores aliquot Catholicos obtinuerant ante. In primo caſu ſemper tenendum judico propter irrefragabiles cauſas datas, Eccleſiam non ſolere nec poſſe ſic judicata ad Fidem aduehere. In poſteriori æquè manifeſtum eſt, poſſe Fidem declarari: quia Eccleſia ſolùm negatiuè ibi ſe gerit permittendo, &c. ſeu non volendo pro tunc in eorum diſcuſsione *immorari*, quia non eſt *vrgens Neceſſitas*.

21. Hoc optimè diſcutit *Tuamenſis* loco ſuperiùs citato, & ſic factum eſt in *Tridentino* quoad *Conceptionem immaculatam* Beatæ Virginis, vt patet ſeſſ. 5. in fine Decreti his verbis. *Declarat tamen hæc ipſa ſancta Synodus, non eſſe ſuæ Intentionis, comprehendere in hoc decreto, vbi de peccato Originali agitur, B. & immaculatam Virginem Dei Genetricem: ſed obſeruandas eſſe Conſtitutiones fœlicis recordationis Xyſti Papæ 4. ſub pænis in eis conſtitutionibus contentis, quas innouat.* Vbi clarum eſt Eccleſiam non declarare hanc vel illam partem probabilem, ſed relinquit in ſtatu priſtino.

Breuiter Hiſtoria eſt hæc. Dum vrgeretur Concilium ad definiendum. Epiſcopus quidam de *Bertinero* inſurgebat, & ſub *Paulo* 3. 1546. 14. Iun. exhibebat libellum ſupplicem, continentem 15. *Patrum* clauſulas contra opinionem piam, quas ex *Cajetano* & *Bandello* collegerat,

Digitized by Google

rat: *Catherinus* verò & alij dixerunt fuiſſe adulteratas & hinc orieba- tur magnus partium æſtus vix ſedabilis. *Ferdinandus* Imperator vr- gebat, vt relictis alijs materijs, Patres intenderent Hæreſibus *Lutheri*, ad ſedandas Commotiones Germaniæ. Et hinc duo Cardinales Legati quorum vnus fuit poſtea Papa, prohibuerunt reſumi diſputationes de Conceptione. Concilium tamen declarauit B. Mariam non con- tineri ſub vniuerſalibus Scripturæ locutionibus, quoad culpam hære- ditariam, vt patet in decreto, nec vlteriùs proceſſum eſt.

Ex quibus apparet Eccleſiæ liberum eſſe, quantum eſt ex hoc Capi- te, ſi & quando judicauerit eſſe neceſſarium, illam plenè definire. Nec obſtat quod hactenus tàm ſolemniter vtraque opinio eſt tolerata; nam ſic fuit error *Cypriani* per multa Concilia diuerſimodè declara- tus, tamen poſtea in Generali condemnatus.

22. Quod verò objiciunt alij rem fuiſſe olim definitam in *Baſi- lienſi*. Dico primò non eſſe verum: nam ſeſsione 36. vbi hoc cogi- tabatur, ſic loquuntur. *Hactenus verò difficilis quæſtio in diuerſis parti- bus, & coram hac ſancta Synodo ſuper conceptione ipſius glorioſæ Virginis* MARIAE *Matris Dei, & exordio ſanctificationis eius facta eſt, quibuſdam dicentibus ipſam Virginem, & eius animam per aliquod tẽpus aut inſtans tem- poris ſubjacuiſſe actualiter originali culpæ, alijs autem è conuerſo dicenti- bus à principio creationis ſuæ Deum ipſam diligendo, gratiam eidem contu- liſſe, per quam à macula originali illam beatiſsimam perſonam liberans & præ- ſeruans, ſublimiori ſanctificationis genere redemit, cum fundaret eam altiſsi- mus ipſe, & ipſam fabricaret Filius Dei Patris, vt eſſet Mater eius in terris. Nos verò diligenter inſpectis authoritatibus & rationibus, quæ iam à pluri- bus annis in publicis rationibus ex parte vtriuſque doctrinæ coràm hac ſancta Synodo allegata ſunt, alijsq́; etiam plurimis ſuper hac re viſis, & matura con- ſideratione penſatis, doctrinam illam diſſerentem glorioſam Virginem Dei genitricem* MARIAM, *præueniente & operante diuini numinis gratia ſingulari nunquam actualiter ſubiacuiſſe originali peccato, ſed immunem ſemper fuiſſe ab omni originali & actuali culpa, ſanctamq́; & Immaculatam, tanquam piam & conſonam cultui Eccleſiaſtico, Fidei Catholicæ, rectæ rationi, & ſacræ Scripturæ ab omnibus Catholicis approbandam forè, tenendam & amplecten- dam defi-*

Digitized by Google

dam definimus & declaramus, nulliq́; de cætero licitum eſſe in contrarium prædicare ſeu docere. Hæc ſunt verba Concilij, vbi manifeſtè ſolùm definitur eſſe *tanquam* pia & *conſona* Fidei, &c. Termini vero *Tanquam* & *conſona* ſunt notæ diminuentes, vt loquuntur Logici. Non igitur vi huius Concilij eſt Fides, ſeu de Fide, vt loquimur in Scholis: quod addit non licere oppoſitum prædicare, &c. A poſterioribus Pontificibus etiam mandatum eſt, & in ſtrictiori forma à *Gregorio* XV: nec tamen ſufficit ad Fidem. Deinde hoc Concilium nunquam fuit vniuerſaliter receptum, & ideo ſi fuiſſet definitum, ſecundùm fundamenta ante probata non fuiſſet Fidei, licet *Anglos* & *Gallos* ei adhæſiſſe, & Regem Angliæ præcipuè illam talem, qualem à *Nicolao* approbationem eius obtinuiſſe conſtet, etſi non ſingula geſta comprehendat.

Superaddam verò ad maiorem huius grauiſsimæ nec minus agitatæ veritatis elucidationem, quod opportunè & ſanctè ordinatum fuit in & à Capitulo Generali totius Ordinis noſtri *Toleti* celebrato 1645. Præſidente Illuſtriſsimo & Reuerendiſsimo D. D. *Iulio Roſpiglioſo* Archiepiſcopo Tharſenſi apud Regem Catholicum in Regnis Hiſpaniarum Nuncio Apoſtolico.

Quoniam SS. D. Vrbanus Octauus ad liberam deuotionem Vniuerſitatum reliquit eligere inter Sanctos ſpecialem Patronum, & noſtra Minorum Religio, ab ipſo exordio Religionis, immunitatem Sanctiſsimæ Dei Genitricis ab Originali culpâ, non tam pertinaci quam fælici & inſuperabili labore propugnauerit, & eiuſdem Religionis obſequia apud Sacratiſsimam Virginem frequentiſsimis beneficijs experiatur gratioſa: ideò tota *Minorum Religio* in Concilijs Generalibus congregata *Toleti*, Beatam Virginem Dei Genetricem Mariam, quatenus in ipſa Conceptione ab Originali culpâ confitemur, & concelebramus immunem vnanimi conſenſu, & fælici auſpicio in ſingularem elegit *Patronam totius Ordinis Fratruum Minorum.* Quare omnibus Miniſtris Prouincialibus per obedientiam præcipitur: Quòd feſtum Sacratiſsimæ Conceptionis eâ ſolemnitate, & Eccleſiaſtico ritu iubeant celebrari, quo inſignes Patroni celebrantur in Eccleſiâ.

Quod verò *Grauina* alibi citatus reijciat hanc Controuerſiam extra

Digitized by Google

numerum *earum quæſtionum quæ ad Fidem pertinent*, & per conſequens inter minutiora ſeu magis curioſa quam vtilia; judicium de hoc ſit penes Eccleſiam, quæ licet pulſa & monita ab aliquibus in *Tridentino* recuſauit abſolutè definire aliquas materias ex obiecto non leues, ſed pro tunc Eccleſiæ *non neceſſarius*, patet tum alibi, tum *Seſſ.* 21. in fine Canonum, vbi ſic cõcluditur: *Eâdem S. Synodus, in aliud tempus, oblata ſibi quam primum occaſione, examinandos atque definiendos reſeruat.* Loquitur Concilium de duobus articulis, quos ibi dicit fuiſſe *propoſitos*, nondum tamen *excuſſos*. Et certè hunc modum ab & in *Florentino* tam laudatum ſemper obſeruauit Eccleſia in omnibus Concilijs. Nec aliter proceſſum eſt ad condemnationem *Arrij*, ſcilicet antequam in Eccleſia *plurimos conturbarat, & pleroſq; contagio peſtiferæ aſſertionis infecerat, non ſolum apud Alexãdriam, verum etiam per alias vrbes, Prouinciaſq; diſperſerat*, tunc gradatim deuentum eſt ad celebrationem Concilij vniuerſalis, & *Damnationem Conciliarem*, vt oſtendit *Ruffinus*. Sic in Hæreſi *Pelagiana* & reliquis omnibus: res ſingulis eſt obuia. Hîc igitur valet illud *Tertulliani* ſub initium libri de *Virginibus velandis*. *Quodcumq; aduerſus veritatem ſapit, hoc erit Hæreſis, etiam vetus conſuetudo.* Non igitur amplius audiri debet, quod in cauſa *Poſæ* ſuperiùs eſt adductum, reſtringendo authoritatem Eccleſiæ in materijs vtcunque probabilibus, quia reuera ſtare non poteſt cum Fide, immò fundamenta Eccleſiæ funditus euertet, prout mea tenuitas capere poteſt.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XXXVI.

De numero ſuffragantium in Concilijs, vbi multa particularia examinantur, ad pleniorem Conciliorum rationem neceſſaria.

1. QVod vulgo ſparſum eſt in aliquorum recentiorum Scholis, & ab aliquibus aliàs doctis prædicatur, ex ſententia majoris partis Congregatorum, Decreta Concilij confici ſolere, & valere, vt *Panormitanus* tract. de Conc. *Baſil.* prope finem, vbi fusè hoc probat; & concludit, quòd *per diſſenſum aliquorum, ex quo major pars remanet firma & legitimè procedit, non debet officere minoris partis Contradictio. Nam jus fingit omnes conſentire, quando Major pars conſentit vt l. aliud* §. *refertur, & textus dicit quod eſt prope impoſsibile, propter animorum diuerſitatem, quæ reſultat ex perſonarum varietate, quod omnes in vno Concilio poſſint in vnam ſententiam conuenire. Nam in Concilio Nicæno vbi interfuerunt.* 318. *Epiſcopi in cauſa Hæreſis contra Arrium, fuerunt.* 17. *Epiſcopi, & quidem non de Inferioribus, qui diſcrepantes ab aliorum judicio ſenſerunt cum ipſo Arrio Hæretico, ſed tamen præualuit judicium Maioris partis, & illud tanquam à tota Synodo emanaſſet, receptum ab Eccleſia vniuerſali fuit, vt c. Sicut & c. Canones* 15. *d.* &c. Hæc ideò fuſiùs repeto, quia licet fortiter ab alijs allegantur, videntur ex ipſa repetione ſuas vires perdidiſſe in ordine ad viros doctos, & excuſſa huius Capitis omninò corruent, nam ſine dubio in definitionibus Fidei, *fictiones* juris non ſufficiunt. Huic tamen ejus ſentiæ acceſſerunt *Turrecremata* in ſumma l. 3. & recentiùs *Valentia* to. 3. diſp. 1. q. 1. *Bellar.* etiam huc aliquantulùm videtur prima facie propendere q. 2. & alij, adeò vt vel minimus ſuffagantiũ exceſſus ſufficiat, quod putem omninò eſſe falſum.

2. Rabbini quidem ſic procedere ſolebant, vt tùm alibi, tùm ſpeciatim vidare eſt in *Bava Mezcha* cap. 4. ſoli. 59. & 72. vbi de R. *Eliezer* & *Ioſua* narratur, *illos acriter inter ſe contendiſſe, &*

 auditum

Digitized by Google

auditum fuiſſe cælitus oraculum ejuſmodi: Quid nobis negotij eſt cum R. Elie-zar? Vbique locorum conſtitutio ex eius ſententia rata habeatur. Sed huic ſe oppoſuit R. Ioſua & reſpondit Oraculo: Non eſt in cælis ſcilicet *deciſio contra plurium definitionem.* Deut. 30. 12.

Hic agnoſcunt quidem veriorem ſententiam *R. Eliezarem* propugnaſſe, ſed quia contrariæ licet falſæ plures eſſent adſertores, potius horum, quam illius judicio ſtandum fuit, vt refert Commentator in tractatu *De fundamentis legis* & hoc apud Hæbræos conſtantiſsimum fuit, non ſolum in dubia lite judiciaria, ſed de omnibus in vniuerſum Magiſtrorum ſtatutis.

3. Sed huiuſmodi agendi modus in nullo œcumenico Concilio apud Chriſtianos hactenus vſurpatus fuit, imò apud Patres in *Trid.* locum axiomatis obtinuit, *Decretum de Fide non poſſe confici, ſi notabilis aliqua pars contradixerit*, quod eſt valde conſequens ad illa quæ hactenus ex veteribus diſſeruimus, & aſſeuerant grauiſsimi huius rei Catholici tractatores.

Nam vt optimè *Lerinenſis* c. 3. agens de conſenſione veterum Patrum, quæ requiritur in vera Fide, quam etiam paſsim requirẽdam in Concilijs æſtimo, ſic loquitur, *Sequimur conſenſionem quoque ibidem, ſi in ipſa vetuſtate omnium vel certe pene omnium Sacerdotum pariter, & Magiſtrorum definitiones ſententiaſque ſectemur.*

Et conformiter ad hæc *Cuſanus* l. de Concord. Cath. c. 3. in decretis Concilium requirit, *vt ex concordantia* & communi omnium conſenſu pronuncietur.

4. Et ideò Diuus *Auguſtinus* in Collatione tertia cum *Donatiſtis* c. 17. recitans & expendens modum procedẽdi in Concil. Catholico contra *Donatum*, ex ipſis Concilij geſtis ſic loquitur. *Quibus* ſcilicet geſtis *apparuit omnium qui tunc conſederant Epiſcoporum ſententijs, & ipſius Melchiadis* (Romani ſcilicet Pontificis) *Cæcilianum abſolutum atque purgatum. Donatum verò damnatum, qui præſens in prima actione fuerat conuictus.* Hic modus antiquus Conciliorum, vnde quoad hanc partem rectè dicit *Canus* l. 5. c. 5. q. 2. *Nec hîc vt humanis vel Electionibus, vel judicijs, ex numero ſuffragiorum ſententiam metimur*, nempè ex qualicunque

Digitized by Google

cumque votorum ſupra medietatem exceſſu, vt in electionibus ſecundùm jura fieri ſolet, non ſic in quæſtionibus Fidei ad definitiones proceditur, nec vt in ancipiti lite hîc controuerſia dirimitur. Non igitur hîc valet quam vocant *fictio Iuris*, æſtimando majorem numerum pro tota communitate. Addit *Canus*.

5. Optimè quidem *Nicolaus* 1. Epiſt. 5. *Nos quidem non numeroſum tantum Sanctorum Epiſcoporum Collegium Niceni & Chalcedonenſis Conciliorum, cæterorumque Sanctorum Patrum Synodicas Conſtitutiones ſequimur, ſed illorum liberas veneramur juſtas, diuinitùs inſpiratas ſententias, & non tantum pro ſuorum multitudine obſeruantur à Nobis (quia reuera multi in perſonis fuere) ſed in validiſſimis ſententijs eos perpendimus plures.* Conſpiratio quidem omnium, vel ferè omnium requiritur, quod non negat *Nicolaus*, ſed ille debet eſſe ſapientum non ſtultorum, vt rectè ibi *Canus*. In examinatione quidem vel diſcuſsione rei, eruditio, non authoritas Perſonæ *primas tenet*, vt rectè *Bellarminus* de Concil. l. 1. c. 16. §. *Reſpondeo ad primum*: ſed habita ſufficienti diſcuſsione, requiritur non quiuis ſimplex numerus excedens, ſed omnium vel ferè omnium conſenſus ex judicio expreſſus, ſecundùm regulam ſuperius datam à *Lerinenſi*.

6. Si igitur magna pars obſtiterit, certè concluſio de Fide non erit, prout etiam in Cap. ſuperiori ex communi Doctorum notaui, ſic vtique fecerunt Apoſtoli in primo illo magno Hieroſolymitano Concilio Actorum 15. vbi rectè notat *Ferus*. *Vides quomodo Apoſtoli ſimpliciter conueniunt*, &c. Et hoc eſt quod confudit ſemper Schiſmaticos, vniformis ſcilicet Patrum in Fide coadunatio, & ideò, vt rectè notat Binnius ſuper *Epheſinum* ſecundùm ſub initium. *Schiſmati, paucitatem ſuam ſibi obeſſe cognoſcentes, Orthodoxorum multitudinem in contemptum adducere ſtudent. Quinimo ſubinde vbi & quando ſe hac in parte Orthodoxos decipere poſſe ſperabant, etiam conſenſum multitudinis fingebant.* Vndè *Aug.* Ep. 152. *Volentes gloriari de multitudine Coepiſcoporum ſuorum, inter aliquorum abſentia nomina etiam mortuis nomen insererent: & cùm quæreretur vbi eſſet, ſubita perturbatione cæcati, ipſi tum confiterentur in itinere defeciſſe. Et cum interrogarentur quomodo potuerit*

Digitized by Google

tuerit apud Carthaginem ſubſcribere qui in itinere jam defecerat, vehementius perturbati, alio mendacio ſe obligarunt, reſpondentes eum Carthagine redeuntem fuiſſe defunctum, &c. Poſtea. *Ecce quibus creditis*, &c.

7. Quod verò obijci poſſet in Concil. *Chalcedonenſi* decem Epiſcopos Ægiptios (nimirùm omnes Epiſcopos qui ex Ægipto adfuerunt Concilio vel miſsi fuerunt ab Ægiptiacis Eccleſijs ad Concilium vt repræſentarent eas, & Fidem earum exponerent) non acquieuiſſe judicio totius Synodi, & ideò Hæreticos habitos, vt patere videtur Actione quarta.

Reſpondendum eſt, quòd à Synodo quidem deponebantur, eo quod Canones Concilij Contra *Dioſcorum* & *Eutycheten* ſuis calculis licet approbaſſent, ſubſcribere tamen differebant vſque ad noui *Alexandrini* electionem, vt patet *Can.* 30. Non igitur Hæretici habebãtur, vt ibidem patet, Canone etiam iſto Patres eos *Religioſiſſimos* vocitant, & quod *Catholicæ Fidei* nempè in Concilio declaratæ non aduerſabantur. Hæretici igitur non fuerunt in judicio Synodi, nec oppoſitum definitioni Synodi ſentiebant. Propterea Argumentum inductum minùs vrget.

Adde forſan Ægiptios circumuentos ab *Anatalio Patriarcha Conſtant.* ne ſi ſubſcriptionibus adfuiſſent honorem Eccleſiæ ſuæ præreptum non tuliſſent, & ideò callide ab *Anatolij* Miniſtris & aſſeclis potuerat ipſis ſuggeri; non expedire quod de rebus Eccleſiaſticis conſtituerent ſine Patriarcha ſuo, nempè vt dum ipſi abeſſent, ſtatueretur præcedentia Sedis *Conſtantinopolitanæ*, vt etiam factum conſtat, nihil igitur hìc contra Nos.

Dicendum denique Ægiptios tunc temporis præſertim in cauſa *Dioſcori* ob nimiam Hæreſeos ſuſpicionem, haud neceſſariò numerandos inter Catholicæ Eccleſiæ filios, ſaltem ad hunc effectum, vt eorum ſuffragia in materia Fidei neceſſariò ponderanda eſſent, ipſos enim *Dioſcorus* vt potuit, infecerat, ſaltem meritò ſuſpectos reddiderat, ſi igitur decem ex illis definitioni obſiſterent, non notabilis Eccleſiæ nempè ſanæ & incorruptæ pars cenſendi eſſent, licet inſtructi veniſſent ab omnibus Ægiptiacis Eccleſijs: quia vt dictum eſt prudenter

denter præſumi potuit hæreſim *Dioſcori* ſenſim reliquas ſibi ſubditas Eccleſias corrupiſſe.

8. Deinde tot Epiſcopi licet Orthodoxi, non adeò reputandi ſunt, cum ſua ſolùm priuata judicia exprimant: nam vt rectè *Lucentius* Vicarius ſedis Apoſtolicæ in *Chalcedonenſi* Act. 4. *Non poſſunt decem homines præjudicium facere Synodo 600. Epiſcoporum, nec Catholicæ Fidei.* Nimirum decem illi Ægyptij, manifeſtè teſtantur ſe non exponere Fidem ſuæ gentis, ſed particularia ſua judicia. Nihil igitur concludi potuit ex illis. Si verò ex diuerſis ſaltem pluribus extitiſſent gentibus, vel vnam celebrem repræſentaſſent Nationem, & fideliter earum Eccleſiarum retuliſſent ſenſus vniformes & conſtantes, nempè non de nouo conceptos, vel ſpiritu diuiſionis affectos, nec ab alijs Eccleſijs antea condemnatos, quibus quid ſentiebãt, dignoſcebatur, cenſerem pro notabili Eccleſię parte habẽdos, ſecũdùm limitationes quas antea poſui.

9. Loquor ſemper, vt jam dixi, de ijs qui huc vſque cum Eccleſia Catholica verè communicauerint: aliàs Patres *Orthodoxi Arimini* Fidem antiquam declararunt contra *Vrſacium, Valentem, Geminium, Auxentium, Gaium, Demophilum* & alios Hæreticos fucatos. Sic etiam in Concilio *Sardicenſi*, vbi conueniebant omnes ferè Occidentales Epiſcopi, ſcilicet 300. Orientalium verò circiter 70. qui poſtquam viderunt agi de reſtitutione *Athanaſij* & *Pauli Conſtant.* & aliorum qui pulſi fuerant ab *Arrianis* quibus ipſi quoque fauebant, receſſere, & conuenerunt *Philippopoli*, nonnullaque decreuerunt contra *Athanaſium*, omnes tamen damnati fuerunt à *Sardicenſi*, nempè quia re quidem verâ Hæretici erant, licet aliquantulum ſub initium laruati.

Vndè Reuerendiſsimus *A capite-Fontium* Generalis Ordinis Minorum contra Sacramentarios agens, dicit: *Collectio Doctorum, quam ex vno quoque ſæculo ab ipſius ſtatim Chriſtianiſmi initio congeſsimus*, &c. *eſt veluti quoddam Generale Concilium. Quemadmodum igitur in Concilio Oecumenico propter vnum aut alterum, qui cum cæteris non conueniunt, non relinquitur infectum negotium, nec committitur, vt de rebus controuerſis, cùm cæteri inter ſe conuenerint, ſententia non feratur*, &c. Vbi patet in ſententia ejus, paucos licet Orthodoxos non poſſe obſtare definitioni Conciliari. Eandem etiam tradit doctrinam *De neceſſaria correctione*

Digitized by Google

Theol. Schol. l. 1. agens de verbis conſecrationis. *Non eſt amplius cuiquam integrum propter vnius vel alterius verba Doctoris, id quod per Concilium definitum eſt, in dubium vertiſſe.*

10. Quod verò contra hoc obijci poſſet de ducentis illis Patribus Orthodoxis etiã ex pluribus Nationibus cõciliariter congregatis in cauſa *Cypriani*, contra quos plenarium egit Cõcilium & oppoſitum definiuit.

Aduertendum eſt & ad iendum eis, quæ in hac re in capite præcedente dixi: Quod inter illos ducentos & Concilium plenarium poſtea celebratum, nulla prorſus fuit altercatio de veritate *Traditionis* ſeu Conſuetudinis: nam vt antea c. 6. notaui ex *Auguſtino*, omnes illam vt vniuerſalem agnoſcebant: ſenſus ergo Eccleſiarum idem erat, ſed ſuboriebatur quæſtio de origine huius *Traditionis*, & hanc declarabat Concilium plenarium fuiſſe *Diuinam*: nec ante *Cyprianum* vllum erat de hoc dubium, ſed ipſe dum ponderaſſet Sacræ Scripturæ textus, & putaſſet aduerſari *Traditioni* receptæ, hinc lis oriebatur, adeò vt omnes Eccleſiæ illorum ducentorum Patrum ante motam quæſtionem, putarent eius origenem eſſe diuinam, vt Concilium poſtea declarabat, nam vt teſtatur *Cypr.* ad *Pompeium*, *nutabat veritas*, tunc *interruptus erat Canalis*: vel ſaltem eò vſque non penetrauerant, ſeu non aduerterant. Et in tali caſu ſupremum jus infallibiliter declarandi veritatem quæſitam eſſe penes Concilia plenaria ſuperius oſtendimus, & hoc licet multi ſub initium diſcreparint, modo ſenſus vniuerſalis Eccleſiæ ſaltem virtualiter appareat ipſi Concilio adhærere: ſicut in cauſa *Cypriani*, licet ipſe cum ſuis Collegis Coepiſcopis propter apparentem rationem contra *Stephanum* & multos alios inſurgeret, quos ſtatim & gradatim Eccleſia repreſsit.

Firmilianus quidem in Ep. ad *Cypr.* videtur etiam conſuetudinem objeciſſe, nam ad eum ſic loquitur. *Quod quidem aduerſus Stephanum vos Afri dicere poteſtis, cognita veritate errorem conſuetudinis reliquiſſe. Cæterum nos veritati & Conſuetudinem jungimus, & conſuetudini Romanorum, conſuetudinem, ſed veritatis opponimus, ab initio hoc tenentes quod à Chriſto & Apoſtolo eſt traditum.*

Vbi obſeruandum eſt quod ipſe *Firmilianus* fatetur traditionem de

non

Digitized by Google

non baptizandis, &c. fuiſſe notoriam apud Romanos & Afros, licet velit etiam obtrudere conſuetudinem oppoſitam apud ſuos. Sed ſanè ſi tunc fuerit talis apud *Cappadoceanos* conſuetudo, non conſtabat cæteris Eccleſijs per orbem diſperſis: aliàs *Cyprianus* & omnes ſui, & tot Concilia Regionalia non tacuiſſent, quia rem eorum valdè juuiſſet. Hoc etiam ſtatim conuincitur ex argumento quo vſus eſt *Aug*. l. 3. de Bapt. c. 12. volens probare non duraſſe *Rebaptizationem*, ſeu in conſuetudinem non iuiſſe, quam primus incæpit *Agrippinus* ante *Cyprianum* de baptizandis ab Hæreticis baptizatis, vbi ſic loquitur. *Vt quid facta ſunt à Cypriano hac de re Concilia? vt quid Jubaiano dicit non ſe rem nouam facere*, &c. *ſed ab Agrippino inſtitutam? Cur enim Sabianus de nouitate turbaretur, cur etiam cæteri, ſui Cypriani dixerunt in Concilio rationem & veritatem præponendam conſuetudini?* &c.

11. Sic ad *Firmilianum* dici poteſt, cur *Iconij* &c. noua Concilia indicebantur, ſi jam res erat in poſſeſsione? Vel igitur vt dixi nulla erat conſuetudo (quod putem) vel obſcura erat, & vt ſuperiùs dixi, poteſt falſa ſcriptura & faciliùs falſa traditio ſubintroduci in aliquo populo quæ non notetur ab alijs Eccleſijs, & ideò quando eſt ſubobſcura, vel ignota non præjudicat *vniuerſaliter receptæ veritati*: quia Eccleſia non poteſt dici *toleraſſe*, cùm verè ſupponitur *ignoraſſe*, ſicut hîc ſtatim vt ſciuit, exploſit. Poteſt etiam non incongruè dici *Firmilianum* de Hæreticis egiſſe, qui negabant vel mutabant formam Chriſti, quorum baptiſmus ſemper erat nullus ſecundùm veritatem & conſuetudinem veritatis, & in Canon. Apoſt. Can. ſcilicet 45. fundatas: ſed quia hoc non colligitur ex litera *Firmiliani*, ſiſti poteſt in priori ſolutione.

In *Nicæno* etiã poſt illam controuerſiã *Cypr.* decretũ fuit Baptizatos ab Hæret. omnino ab Eccl. rebapt. vt patet de ijs qui *Paulianizarant*. Et forte illa Hæret. diuerſa genera fuerũt in cauſa erroris multorũ: ſed vt dixi quia de hoc non ſatis cõſtat, maneat ſolutio in terminis poſitis.

12. Non me tamen latet *Baſilium Cæſareæ* Epiſcopum & ipſius *Firmiliani* Succeſſorem, illam *Firmiliani* ſententiam aliquo modo tenuiſſe in Epiſt. ad *Amplil.* ἐπειδὰν δὲ ὅλως ἔδοξέ τισι τῶν κατὰ Ἀσίαν τὴν οἰκονομίας ἕνεκα τῶν πολλῶν, δεχθῆναι αὐτῶν τὸ βάπτισμα ἔστω δεκτόν

ſolùm ob pacem Eccleſiarũ *Aſiaticarum* cum *Cappadoceanis* admiſſum dicit Baptiſma Hæreticorum, &c. Sic interpretatur illud οἰκονομίας ἕνεκα nec malè. Omnes igitur ſe ſaltem conformabant ſententiæ Concilij vniuerſalis, etiam ipſi qui plus cæteris adhærebant, ſcilicet *Cappadoceani*: licet ex modo illo loquẽdi videatur determinationem Conciliarem ad Eccleſiæ œconomiam ſolùm ſpectaſſe in judicio *Baſilij*, non verò ad Fidem ſimpliciter declarandam, quod vbique vult *Auguſtinus*. Imò rectè dicit *Arcadius* de *Confirmatione* l. 2. *D. Baſilium* Baptiſmum Hæreticorum libenter iteraſſe, & licet quaſi dubius eſſet, in ſententiam tamen *Cypr.* magis propendere vt conſtat planè ex Canon. 1. Epiſt. 1. & 47. Epiſt. 2. Canon. tandem tamen viſis opinionibus aliorum, ſubnectit παντὶ δὲ λογα τυπω θῆτω τοὺς ἐπὶ τῷ βαπτισμῷ ἐκείνων προσερχομένοις Χρίεσθαι ἐπὶ τῶν πιστῶν δηλονότι *Omni autem ratione ſtatuerunt, vt qui cum baptiſmate eorum ad Eccleſiam ſe adjungunt à fidelibus inungantur.* Vbi patet eum baptiſmum Hæreticorum admiſiſſe. In hoc poteſt etiam excuſari *Baſil.* quod non habebat perfectam notitiam Canonis *Nicæni.* Nam Canone primo dicit: *Quoniam nihil eſt de his apertè dictum.* Sed redeamus ad *Cyprianum.*

13. Ipſe & reliqui Epiſcopi Africani, vt ex ipſiſmet, conſtat ſuos priuatos & recenter natos exprimebant conceptus, non Eccleſiarum antiquos, & eò vſque ſuccedentes adferebant ſenſus, (vt ipſe etiam fatetur) & ſic non eſt mirum, ſi plures veritati aduerſentur, contra quos congreganda ſunt Concilia: ſic enim Hæreſes ſemper exortæ ſunt & iiſdem medijs ſcilicet per Conciliorum definitiones, ſepultæ ſtatim euaneſcunt, vt de errore *Cypr.* oſtendit *Auguſtinus.*

Tota verò ejus gradatio ſic ab eo breuiter exponitur l. 1. *De Baptiſm. c. 7. Quæſtionis huius obſcuritas, prioribus Eccleſiæ temporibus ante Schiſma Donati, magnos viros & magna Charitate præditos Patres Epiſcopos, ita inter ſe compulit ſalua pace diſceptare atque fluctuare; vt diu Conciliorum in ſuis quibuſq; regionibus diuerſa ſtatuta nutauerint, donec plenario totius orbis Concilio, quod ſaluberrimè ſentiebatur etiam remotis dubitationibus firmaretur.*

Obſcuritas quæſtionis erat de ortu *Conſuetudinis* jam receptæ,

non

non de ipſa conſuetudine, vt dixi, quem declarauit Concilium plenarium eſſe Diuinum, & ſic firmata eſt pax. Nec mirum eſt inter *viros* etiam *magnos* & *magna Charitate præditos* huiuſmodi diſceptationes oriri. Nam inde *Cypriani* & aliorum *pia & humilitas & charitas in cuſtodienda ſalubriter Eccleſiæ pace pateſiebat*, vt *Auguſt.* c. 18. *Si ille ſe ſeparaſſet, quam multi ſequerentur? quantum ſibi nomen inter homines faceret? quantò latiùs Cyprianiſtæ quam Donatiſtæ vocarentur?* vt ipſe ibidem inferius.

Hunc errorem vſque ad fundamenta examinaui, quia expertus ſum viros doctos hîc deceptos.

14. Denique ab ipſis Apoſtolorum temporibus pullularunt errores in ipſis Eccleſijs, quas ipſi non ita pridem fundarant, vt de *Gallaticanis* teſtatur Apoſtolus in ſua ad eos Epiſtola 1. 6. & dicit eos jam à Chriſto defeciſſe, ab ipſis fundamentis deflexiſſe: verba eius ſunt hæc quæ omnibus Eccleſijs *Galatiæ* dirigit: *Miror quod ſic tam citò tranferimini ab eo qui vos vocauit in gratiam Chriſti in aliud Euangelium*, &c. Vbi non leuiter ſubindicat integras illas Eccleſias iam tũ grauiſsimè hæreticaſſe. *Iohannes* etiam in *Apocalypſi* multus eſt in huiuſmodi ſtilo contra integras Eccleſias quas ibi enumerat, & acriter perſtringit, nimirùm Eccleſia adhuc vagiens errores inſurgentes amputare nouerat, nec ferre potuit. Redeamus.

15. Quod diximus verò de communi Catholicorum concordantia in Conciliorum Definitionibus requiſita, ratio manifeſta, & ni fallor, ex *Topicis* intrinſecis deducta cõuincit. Eatenus enim Concilium vniuerſale in neceſſarijs errare non poteſt, quatenus vniuerſalem Eccleſiam (cui primò promiſsio aſsiſtentiæ Spiritus Sancti & indefectibilitas Fidei conceſſa eſt) verè & adæquatè repreſentat, vt fusè oſtendi alibi: ſed eam in ſua latitudine Catholica non repræſentat, ſi notabilis repræſentãtium pars diſſenſerit. Ergò. Decretum igitur legitimum & Catholicè factum non eſt, ſi plurimi Patres Orthodoxi & ij ſenſati finaliter diſcreparint.

Et adhoc propoſitum vidi à quibuſdam *Neotericis* Doctoribus in ſuis (quas vocarunt) Syllabis ſeu Theſibus ſuſtineri quod ſi in Conci-

Digitized by Google

lijs Generalibus multi ſcientia & veritate præſtantes propoſitas doctrinas cenſura liberent, non obſtabit aliorum aduerſa cenſura, quo minus illæ probabiliſsimæ judicentur. Et eadem ratio eſt in definitione alicuius veritatis, vt facilè judicabit *Doctus Lector*. Et hæc videtur receptior ſententia Scholarum cum *Salmerone* & alijs.

16. Et hinc patet Cardinalem *Ludouicum Arelatenſem*, & alios in Concil. *Baſil.* (cui tunc præfuit) vt ſpeciatim refert *Pius* poſtea ſecundus in *Baſilienſium* geſtis, Comentario primo, & aliquos in *Trid.* *Eſpencæum* etiam licet aliàs doctum & orthodoxum de vtriſque, tùm alibi, tùm ad *Titum* c. 1. f. 473. *Columna ſecunda*, qui etiam producit *Aliacenſem* in libello Patribus *Conſtantiæ* in Concilio coactis oblato; hoc inter Capita reformanda reponentem. Hos dico omnes (vt omnino credendum eſt) alios de *Baſilienſi*, alios de *Tridentino* iniquè conqueſtos fuiſſe, ob magnum præ reliquis nationibus Italorum Prælatorum numerum, (licet de *Baſilienſi* Synodo longè diſpar conſideratio habenda ſit, ob feruorem Schiſmatis in ipſa Eccleſia excaleſcentis) licet *Roffenſis* art. 15. de quodam eius decreto agens dicat. *Huic Decreto neceſſe eſt obtemperetur à quocunq; Chriſtiano*, &c. Et iterum ſub finem Art. 16. vocat hoc *Concilium Generale*. Optimè tamen dicit in Art. 29. *Semper mihi ſuſpecta videntur, vbi vel à Concilio Pontifex diſſidet, vel Concilium à Pontifice, niſi manifeſtiſſima Pontificis culpa factum id fuerit.* Sed progrediamur.

17. Norunt Patres, quod non debent Epiſcopi multiplicari, vel contra Canones in villulis & Pagis, & ſub titulis longè diſsitis ordinari, *eo* nempè *fine* vt ex vnius nationis multitudine, omnes alij æquentur vel ſuperentur: & ita quantum in ijs eſt, nihil factum iri quod illis non placebit, quod intimare videtur *Eſpencæus* ibi de *Tridentino*. Huiuſmodi verò Concilium ſecundùm Regulas Patrum, œcumenicum haud dici poſſet, & proindè non credi poſſet vel deberet, hoc in Patrum conſeſſu præſertim *Tridenti*, obtinuiſſe, quicquid aliqui temerè ſugillent.

Hoc tamen dato, licet non conceſſo, peccarent quidem qui talia tentarent, ſed non neceſſariò ſequeretur effectus, quem ſupponitur eos intendiſſe,

Digitized by Google

intendiſſe: nam ſi deciſiones Fidei non ex qualicunque votorum exceſſu fierent, ſed ex omnium vel ferè omnium communi conſenſu, vt hactenus docui, & factum fuiſſe conſtat ex ipſa putatitia *Tridentini* hiſtoria, certè parum operaretur, quantus quantus vnius nationis exceſſus, vt vel maximè patet in *Nicæno*, de quo inferiùs.

18. Opportuniſsimum verò ad hoc cauendum fuit Concilium Patrum *Conſtantienſium*, vbi has occiduas mundi partes, in quatuor diſtinctas Nationes diſtribuerunt: quarum (ex omnium nationum & vniuerſæ Synodi Conſenſu) Anglia per ſe vna diſtincta declarabatur, & locum habebat ante omnes Reges, Regis Angliæ Legatus, excepto Rege Galliæ, cuius Legatus ſcilicet *Gerſonius* primus ſedebat poſt Imperatores, vt in actis patet, ſeſsione 22. & ſæpè alibi, & poſt eum, ſeu à parte ſiniſtra dum ille à dextra, ſedebat Legatus Regis Angliæ, & poſt *Aragoniæ, Caſtellæ*, &c. Adeò vt licet ducenti ſupereſſent *Italicæ* Nationis Epiſcopi præ quauis alia natione (ſicut Aduerſarij obijciunt *Tridenti* fuiſſe 187. Italorum Epiſcoporum; ex omnibus alijs nationibus ſolum 83. prorſus nihil efficeret exceſſus ille, ſed ſenſus totius Eccleſiæ ponderaretur ex ſuffragijs ſecundùm numerum Nationum; non ex multitudine excedentium Epiſcoporum.

19. Quod vt dixi conſultiſsimè excogitatum eſt, modo ſingulæ Nationes deſtinarent ſufficientem Prælatorum numerum, ad illas repræſentandas, vel ſaltem ad ſenſum Eccleſiarum exponendum, & de exponendo inter ſe conſentirent, vt ex Anglia factum videmus ſpecialiter pro *Piſano, Conſtantienſi, & Baſilienſi*, vbi plurimum Reges noſtri inſudarunt ad extirpandum ſchiſma, vt patet in Actis, & ſpecialiter in Bulla *Nicolai quinti ſuper approbatione actorum & geſtorum in Concilio Baſilienſi*: vbi ſic loquitur *Nicolaus*: *tractatus oratorū Chariſſimorum in Chriſto filiorum, Francorum, Angliæ, & Renati Siciliæ regum, nec non Delphini Viennenſis primogeniti Francorum regis illuſtris, pacem Eccleſiæ redditam videbamus*, &c. Nos quidem propter recentem & nouam receſsionem ab Eccleſiæ vnione, *Tridenti* non adfuimus: Ab alijs verò hoc ſufficienter factū, ex ipſis rebus geſtis conſtat, adeo vt Aduerſarij, non habeant ex hoc Capite, ſicut nec ex alijs, quod iuſtè cauſentur.

20. Quod

Digitized by Google

20. Quod verò in loco principali obijciunt aliqui, Concilium hoc à Spiritu Sancto ideò non fuiſſe directum, quia nihil ibi proponebatur vel terminabatur inconſulto Pontifice: miror ab hominibus vetuſtiora Eccleſiæ monumenta venerãtibus, hunc procedendi modum culpæ poſſe inſimulari, cum pænè omnia Concilia idem patrarint, vt ex dictis in curſu libri facile patet. Vnum verò ſupperaddam, *Arauſiacum* ſecundum c. primo, hoc abundè teſtatur. *Vndè & nobis ſecundùm authoritatem & admonitionem ſedis Apoſtolicæ, juſtum & rationabile viſum eſt, vt pauca Capitula ab Apoſtolica nobis ſede tranſmiſſa, quæ ab antiquis Patribus, de certis Scripturarum voluminibus in hac præcipuè collata ſunt, ad docendos eos qui aliter quam oportet ſentiunt, ab omnibus obſeruanda proferre*, &c. Nihil ergo hi Grauiſsimi Patres determinare voluerunt niſi à Sede Apoſtolicâ deliberata & tranſmiſſa: & proinde ſi Patres *Tridentini*, etiam & hi culpandi ſunt.

21. Friuolum verò eſt, potiùs impium, illud quod refert *Catherinus* in Prologo ſuorum operum ad *Iul.* 3. & Concilij *Trident.* Patres, quod ſub nomine diſcipuli appoſitum eſt a *Bartholomæo* Spina præfationi Turrecrematæ. *In Concilio Tridentino non fuerunt docti Theologi, ſed homines audaces & vani, qui popularem auram captantes, Decretum in fauorem immaculatæ Conceptionis B. Virginis edendum curarunt.* Recitaſſe eſt refutaſſe, Nam iſta quæ dicit ſunt tota *commentitia*, vix digna lectione, ne dicam lucubratione anicularũ. Proh Deum ad quæ extrema zelus & affectus inordinatus propriæ opinionis homines aliàs religioſos impellit. Totus mundus conſpexit & miratus eſt celebrem illum Doctiſsimorum virorum cætum, quem hic homo adeo cõtemnit. Quid igitur mirum ſi *Lutherani* & *Caluiniſtæ* plenis buccis imponant.

Optimè hîc inſeruit, quod tractat *Hilarius* in libro de Synodis. *Nunquid quia iſta Sapientes mundi non intelligunt, & his ſtulta ſunt, nos cum mundo Sapientes erimus, vt hæc ſtulta credamus? Et quia hæc impijs cæca ſunt, nos non lucebimus intellecta veritate doctrinæ? Malè Sanctis rebus præjudicatur, ſi quia non ſanctè à quibuſdam habentur, eſſe non debeant. Non ergo gloriemur in Cruce Chriſti, quia ſcandalum mundo eſt: neque in viuente Deo mortem prædicemus, ne ab impijs mortuus Deus arguatur.*

12. Si

22. Si liceat igitur mihi puſillo meam de celeberrimo illo conſeſſu ferre ſententiam, Dico candidè, rem Chriſtianam reuoluendo, Concilia percurrẽdo, pleroſque Patres examinando, Scohlaſticos ferè omnes præſertim antiquos expendendo, omnibus pro modulo meo, animo ſedato ad inuicem comparatis, *Reſoluo & conſtanter aſſero*, Fidem Chriſti non fuiſſe adeo plenè, clarè & adæquatè declaratam in vno, vel pluribus, vel omnibus Cõcilijs, nec ſenſum Eccleſiæ conſtantem fuiſſe adeò, ferè dixerim nec ſatis vniuerſaliter, notum in multis materijs ante *Tridentinum*, quod eſt accurata *Fidei Epitome*, clara credendorum Synopſis. Adeò vt hic verum vel maximè quod habent Patres in Ep. Synodal. *Arim. In his tanta doctrina eſt & prudentia*, &c. *Quæ ſola hoſtis & interfectrix Arrianæ (Caluiniſticæ) Hæreſeos, & per quam non illa ſola, ſed & reliquæ hæreſes ſublatæ ſunt, in qua certè & addere aliquid temerarium eſt, & auferre periculoſum: quorum ſi alterutrum fiat, erit hoſtibus quidlibet agendi libera facultas.* Addo, quod ſi ſupereſſent omnes & ſingulæ Theologorum diſputationes, ſeu rerum diſcuſsiones ibi habitæ, abundè ſufficerent pro exercitijs ſcholarum, nec eſſet opus tot volumina (ad quæ jam cogimur) tàm ſedulò examinare ad conſtituendum abſolutum Theologum. Redeam.

23. Apud veteres mos erat, vt ante vocationem Concilij Generalis, ſaltem ante Patrum Conciliarem Congregationem, in Prouincijs de rebus in Concilio definiendis fieret Epiſcoporum Conſultatio, vt ſic facile ſuarum Eccleſiarum communem & traditum referrent ſenſum. Sic *Agatho* Papa coegit, Synodum in Occidente, & tandem per illos omnes delecti ſunt, tres Legati qui ad Conc. gen. ſextum *Conſt.* mitterentur, inſtructi de materijs ibi examinandis, vt patet in Act. 4. & ſequẽtibus. Sic etiam factitatum in cæteris vniuerſalibus, nemo neſcit. Et ideo *Alexander* quintus ex ordine Minorum, (quem *Platina* & *Onuphrius* ad Cælos euehunt, pro ſanctitate & doctrina & *Caranza* vocat eum Sanctum Dei) approbante Concilio *Piſano*, primò *ordinat & mandat celebrari ante Concilium Generale, Concilium Prouincialium per Metropolitanos & Synodos, ac eorum Suffraganeos, ſecundum formam juris & Concilij Generalis, quia ex eorum omiſsione multa inconuenientia ſequerentur*

rentur; ſic habetur in ſeſſ. 23. Concil. *Piſani*, & omninò conſonat cum veteribus Canonibus, quos pro re nata cito, & vt oſtendi in corpore libri, hæc fuit praxis Eccleſiæ Romanæ præſertim quando celebrandum erat Concilium Generale in Oriente, patet in 6. General *Conſtan.* & alijs, res eſt notiſsima, & conſtanter practicatum fuit in Anglia, vbi ſolebant eligere Prælatos in & ex Synodo *Nationali*, ad hoc prius coacta.

24. Imò *Aug.* l. 2. de Bapt. c. 4. & 8. videtur judicare hanc præuiam conſultationem in Dogmatibus Fidei neceſſariam, dicit enim. *Quomodo potuit iſta res tantis altercationum nebulis inuoluta ad plenarij Concilij Luculentam illuſtrationem confirmationemque perduci, niſi primò diutiùs per Orbis terrarum Regiones, multis hinc atque hinc diſputationibus ex Collationibus Epiſcoporum pertractata conſtaret?* Et iterum l. 7. *Sed nobis tutum eſt in ea non progredi aliqua temeritate ſententia, quæ nullo in Catholico regionali Concilio cæpta, nullo plenario Concilio terminata ſunt.* In regionalibus igitur incipi debet, in plenarijs demum terminari, præſertim ſi fuerit res ardua. Sic etiam de eadem, Retract. l. 2. c. 9. dicit. *Poſtea tamen dum inter multos ex vtraque parte tractatur & quæritur, non ſolum inuenta eſt, ſed etiam ad plenarij Concilij authoritatem roburque perducta eſt*, &c. Nihil profectò ſalubrius decerni poteſt ad vniuerſalis Eccleſiæ ſenſum planè & plenè dignoſcendum, licet hunc morem ſimpliciter eſſe neceſſarium haud aſſeruerim.

25. Conſenſus verò omnium vel fermè omnium Eccleſiarum, vt ſæpius dixi, prorſus requiritur, quin vllo faciliori modo haberi poſsit quam per illas regionales Collationes. Et certè illis præhabitis, pauciores Prælatos deſtinari ſufficeret ad Concilium Generale conſtituendum, nimirum quia ipſi, modò ſenſati, ſenſum ſuarum regionum referrent æquè clarè, & verè, ac plures, modò, venerint inſtructi in rebus tractandis, vt etiam factum eſt in primo *Nicæno*: vbi non adeò multi adfuerunt ex occidente, vt in actis Concilij patet: imò ex occidente ſolum fuerunt duo Præſbiteri miſsi ex *Italia*, vnus Epiſcopus ex *Gallia*, vnus ex *Hiſpania*, & vnus ex *Africa* vt teſtatur *Bellarminus* l. 1. de Concil. 17. §. *Antepenult.*

Sic

Sic etiam in *Epheſino* Generali contra *Neſtorium* vt patet apud *Cyrillum* Ep. 7. *Quoniam igitur viri iſti præſentes* (& enumerat ſolùm tres) *hîc conſtituti, vniuerſæ Occidentalis Synodi ſententiam huic noſtræ Synodo per literas manifeſtarunt.* Poſtea. *Pietas veſtra cognoſcat, judicium illud noſtrum, quod nuper tulimus commune eſſe, & vnam totius Orbis ſententiam,* &c. Licet igitur ſolùm adfuerint tres ex Occidente, quia tamen ſententiam Occidentalium Eccleſiarum in Synodis ſuis expreſſam retulerunt, eaſdem obtinuit vires, ac ſi ſingularum Eccleſiarum Prælati adfuiſſent.

Sic etiam in Synodo *Conſtantinopol.* 5. vbi multi admodum erant Epiſcopi Orientalis Eccleſiæ, ſed valde pauci ex Occidente, nimirùm aliquot ex Italia, vt patet in ipſa Synodo.

Sic in altero *Sardicenſi* vbi 100. erant Orientales, ſolus *Hoſius* fuit ex Occidente, vt notat *Athanaſius* in Epiſtola ad ſolit. vitam agentes. Nec mirum, nam vt dicit *Cypr. magis ad vnitatem, quam ad qualitatem Chriſtus aduertit, cùm dicit, vbi duo vel tres in nomine meo congregati fuerint, ſum in medio eorum*, vt habetur c. alienus 24. q.

Tandem ad hoc propoſitum, valde notabile eſt, quod in Concilio *Conſtantienſi* frequentiſsimè obſeruatum videmus, quod in rebus Fidei, & alijs grauiſsimis materijs, non ſingulos Epiſcopos definitiones ſignaſſe, ſed ſolum in nomine omnium, *Præſidentes* (vt vocarunt) *quatuor nationum* reſponderunt, *Quod placeret*, vt in multis ſeſsionibus patet.

26. In alijs etiam Concilijs, ſubinde Patres recurſarunt determinare, imò deliberare de aliquibus dogmatibus, quia non ad id ab Eccleſijs ſeu Prouincijs ſuis inſtructi ſeu authorizati fuerant. Sic Patres Ægyptij in *Chalcedonenſi*, ſic *Græci* in *Florentino*, Nec reliqui Patres ideò condemnabant eos, vt cuiuis obuium eſt; vnde colligi poteſt, non facilè admitti debere Concilia congregari, ſine iſtiuſmodi præuijs conſultationibus & inſtructionibus, vt de omnium etiam abſentium conſenſu conſtare poſsit, ſaltem ſic faciliùs obſtruentur ora malignantium & loquentium iniqua.

Quando verò ad Concilia aduenerint, quantus Epiſcoporum con-

Digitized by Google

ſenſus requiratur, tandem ipſe declarat *Bellarminus* l. de Pont. *Quando fit generale Concilium, omnes Epiſcopi ſubſcribunt, & profitentur ſe ampleƈti illud decretum, & ſic deinceps in ſuis Eccleſijs prædicaturos.*

27. Licet igitur fortè ſub initio tractandi aliquod punctũ controuerſum, aliqui Patres diſſenſerint, informati tamẽ de ſingularum Eccleſiarum ſenſu, & reliquorum Doctorum orbem diffusè incolentium conſenſu ſubſcribunt, hujuſmodi rectè dicuntur non diſſenſiſſe, & non à multitudine, ſed veritate oppreſsi conſenſiſſe. Vtique poteſt latere aliquos Doctores & Patres quæ ſit vniuerſalis & vniuerſaliter recepta traditio, ſicut *Theodoretus* à me citatus ſuperiùs, dicit de Patribus Nicenis: *Multis ibi benè & rectè, nonnullis perperam ſentientibus, obtinuit illa quæ tum per vniuerſum orbem vicerat ac diuulgata fuerat Fidei Confeſsio.* Hujuſmodi ergo apparens diuerſitas in particularibus aliquorum judicijs ex ignorantia ſeu neſcientia exurgens, non officit Concilijs; nempè vt *Theodoretus* oſtendit, benè conſiſtit vniuerſalis ac *diuulgata per Orbem Fidei Confeſsio* cum iſtorum *nonnullorum* ignorãtia.

28. Nullo igitur modo (vt dixi) nocere poſſunt Conciliorum vniuerſitati & infallibilitati, modo tàm ipſi quàm omnes reliqui liberam habuerint loquendi facultatem, vt eſſentialiſsimè requiritur ad Concilium legitimum ſecundùm omnes. Vt etiam maniſeſtè habetur in. 6. Concil. General. tempore *Agathonis* celebrato. in prima actione, & in fine Epiſtolæ Sinod. *Agathonis*: imò amplus numerus Patrum licet ſit valde neceſſarius, non tamen eſt adeo neceſſarius, *ſicut libertas & vnanimitas* 34. quæſt. 1. Neceſſum vtique eſt, quod ſint liberi ad hoc quod à Spiritu Sancto regantur, Apoſtolo referẽte, *vbi Spiritus Domini, ibi libertas*, & præcipuè propter defectum huius reijciebatur *Epheſina* ſecunda, vt patet in *Calcedonenſi*: *nullus voluntariè conſenſit*, &c. *Violenta facta eſt vis*, &c.

Et ideo *Liberius* Papa Spadonibus *Conſtantij* de celebratione Cõcilij in cauſa *Arrianorum* & *Euſebianorum* agens, vt habetur apud *Athanaſium* in Epiſt. ad ſolitarios, ſic loquitur: *Fiat Eccleſiaſtica Synodus longè à Palatio, vbi nec Imperator præſto eſt, nec Comes ſe ingerit, nec Iudex minatur, & vbi ſolus timor Dei ad omnia ſufficit, & Apoſtolorũ Inſtitutio, vt eo in loco*

ante

ante omnia, Eccleſiaſtica Fides aſſeruetur, quēadmodum à Patribus definitū eſt in Nicæno Concilio. Libertas ſuffragãdi & ſuos Cōceptus declarandi in primo capite requirit hic Sanctus & ſummus Pontifex ad legitimum Concilium.

29. Optimum verò Conſilium, ne infringatur libertas ſuffragantium, eſt illud quod adhibuit *Leo Auguſtus*, cuius meminit *Facundus* in defenſione 3. Capitulorum *Chalcedonenſium* l. 12. Imperator vtique *non neſciens quod pauci admodum ratione, multi verò authoritate ducantur, non ſolum non extorquere, ſed nec præire tentauit ſententiam Sacerdotum*, &c. Addit facundus. *Quod ſi prior hoc quod æquum erat conſtituere vellet, & poſtea quærere Epiſcoporum ſententiâ quod conſtituerat roborari, quamuis juſtum, religioſiſſimumque decretum, multis tamen faceret tali præſumptione ſuſpectum.* Poſtea. *Atque ita veris rebus quæ multis eſt vtilis abrogaretur authoritas.*

Vt igitur ſarta tecta ſeruetur Concilij authoritas, & omnis ſuſpicionis præueniatur occaſio, conſultiſsimum eſt, quod Inferiores primò ſuffragentur, ne videantur terreri à Majoribus, vel ſaltē vt fecerat D. *Petrus*, Superiores proponant rem inquirendam, hoc ob reuerentiam *Primæ* & ſupremæ *Sedis* neceſſariò fieret, ſed magnâ, ſaltem pro qualitate rei, ſufficienti conquiſitione factâ, primò dicat *Iacobus*, ſic ratione liberâ, non authoritatis *mole* ſuauiter ad ſenſus ſuos aperiendos inducerentur. Sed hic agendi ſtilus non videtur ſimpliciter neceſſarius, quia nullibi præceptus, licet piè admodum & humiliter ab Apoſtolis tunc pro ratione illius temporis practicatus. Putem tamen ſacrum *Tridentinum* hoc ipſo, vel haud diſſono modo proceſsiſſe. *Hiſtoria* quam vocant *Tridentini* injuriè culpat Summos Pontifices, quod per Legatos diſcutiēda proponebant, quæ tamen vt oſtendi erat praxis Apoſtolorum; imò & aliorum Cōciliorum, vt ſuperiùs notaui.

30. Quod ſi inter ſuffragandum ſub initium inueniatur diuerſitas, omnia expendantur in pace, & facilè in rebus neceſſarijs conciliabuntur. Nihil enim obſtat vniuerſalitati Conciliorum, vt jam dixi, quod ſub initium aliqua interueniat inter Patres altercatio, modo notetur quod dicit *Cuſanus* l. 2. c. 15. *Nulla Concluſio in materia Fidei eſſet ſecura,*

 niſi

Digitized by Google

niſi ad vnitatem reducerentur vota, ſicut in omnibus Concilijs lectum eſt. Vndè *Roffenſis* ad art. 29. *Audiuntur ſinguli, ſi quis de re propoſita quicquam dicere vellet, & tandem quod omnium Calculis maximè comprobatur (ſiue Pontifex ſeu quiuis Inferiorum id dixerit) id in modum decreti redigitur.*

Sic etiam factitatum in primo œcumenico Concilio *Nicano* legitur, nam vt rectè *Horantius* de locis l. 2. c. 28. *Nicanæ Synodi Patribus (quoniam homines erant viſiſq; tangebantur) contigit antequam circa Fidei dogmata, quæ ab eis Eccleſia petebat, ipſi reſponderent, humanè aliquantulum ferri: at poſtquam judicaturi ſederent, ſic eis aſſedit Spiritus, vt non minùs, quam ſi vniuerſorum Prophetarum & Apoſtolorum communibus ſuffragijs ea res tranſacta & profligata eſſet, certò & infallibiliter definierunt*; vel vt recitat *Crab* ex *Ruffino*; *Poſt diutinum multumq; tractatum placuit omnibus, ac velut vno cunctorum ore & corde decernitur, Omouſion conſcribi debere, id eſt eiuſdem cum Patre ſubſtantiæ filium confiteri, atq; firmiſſima omnium ſententia pronunciatur.* Rectiſsimè dicitur quod poſt *diutinum multumq; tractatum*, &c. nam vt *Baſilius* Ep. 293. *Ad hunc modum oportebat vos Concilium cepiſſe, conſtanter quidem, moderatè tamen, de rebus ad omnes per omnem terrarum Orbem Eccleſias ſpectantibus. Non enim laudandus eſt, qui ſubitò doctrinam quamuis promulgauerit, ſed qui ſtabiliter atque inconcuſſè ſigillatim ſingula apponderauerit, ita vt temporibus ſubſequentibus ad examen reuocata ſententia eius, magis adhuc appareat recipienda.*

31. Sic etiam factum eſt in *Chalcedonenſi* Act. 5. vbi Summi Pontificis Legati, & pauci alij Catholici Epiſcopi, cùm jam communi conſenſu damnata eſſet *Eutychetis*, & *Neſtorij* Hæreſis, aliquantulum hæſitabant, nec dum definitioni ſubſcribere volebant, nec volebant Iudices definitionem vt perfectam in actu reponi, antequam illi licet pauci conſentirent, quinimò aliud Concilium conuocari ſtatuebant vt patet eadem Act. 5. vbi ſic loquitur. *Si autem neque hoc veſtra velit Sanctitas, cognoſcite quia in partibus Occidentalibus (quod propoſuerat Leo) fieri debet Synodus, eo quod Religioſitas veſtra hic noluit de vera & Orthodoxa Fide indubitanter definire.* Tandem verò Fundamentis & ipſa definitione plenius intellectis & explicatis, res deciſa & ab omnibus approbata

probata

Digitized by Google

probata eſt. In fine etiam octaui vniuerſalis *Conſtantin. Baſilius* Imperator ad Synodum dixit: *Dicit nunc ſancta & vniuerſalis Synodus ſi omnibus ſanctiſſimis Epiſcopis Concordantibus atque conſentientibus, præſens terminus ſit depromptus: oportet enim Diuina quæque cum vniuerſorum conſenſu & concordia in Eccleſiaſticis prædicari & confirmari collegijs, Sancta Synodus dixit, Omnes ita ſapimus*, &c. Sic etiam in 6. General. Synodo *Conſtantinop*. Act. 8. dicitur, tandem omnes Epiſcopi conſenſerunt vnanimes his quæ per *Agathonem* Papam & eius Synodum ante dicta ſunt, &c. Æquè facile eſt deſcendere per poſteriora Concilia vt norunt eorum lectores.

32. Dices, ſi tantus requiratur conſenſus in Concilijs, haud vnum hactenus fuerit vel deinceps erit legitimum: Nam & ipſum *Nicænum* multos habuit contradictores, vt patet apud *Athanaſium* & alios: imò ſeptemdecem Epiſcopi ſtabant pro *Arrianorum* Dogmate in ipſo Concilio, vt etiam teſtatur *Panormitanus* pro Concil. *Baſil.* dub. 1. & *Caranza* de apparatu *Nicæni* Concilij cum *Baronio*, & ipſa Concilij Hiſtoria, dicit, quod licet ſex ſoli cum *Arrio* ſe patiebantur expelli, reliqui verò vndecim Concilio inter ſe habito acquieſcebant ad ſcribendum *manu* ſola, non *mente*. *Chalcedonenſe* etiam ſuos habuit Contradictores vt ſuperius dixi, ſic etiam cætera omnia.

33. Reſpondeo quod tàm hîc, quàm ibi, dum ad definitiones accederetur, omnes conſentiebant: Et de *Nicæno* dicitur in *Chalcedonenſium* geſtis, quod Spiritus S. manifeſtè ibi Patribus conſedit: & hoc licet ſub initium humanè aliquantulum ferebantur. Nec mirum quod in tàm ſolemni hæreſi aliquantò contaminarentur, ſaltem eò vſque quoad Eccleſiarum ſententiæ audirentur: Contradictiones etiam poſt finitum Concilium ſuborirentur diuerſæ, quæ etiam Conciliorum valorē impedire vel ſuſpendere poſſent, niſi ante Eccleſiæ vniuerſalem approbationem mouerentur, illa enim ſaltem tacita approbatio requiritur, vt fuſiùs oſtendi alibi.

Contradictiones verò ſemel notæ ſi condemnantur, vel tanquam friuolæ ab Orthodoxis vniuerſim reijciantur, ſecundùm illud Sap. *Plantæ adulterinæ non dabunt altas radices*, vel ab ipſis contradictoribus tandem

Digitized by Google

tandem ſepeliantur, vt teſtatur *Damaſus* Ep. 1. de *Niceni* Contradictoribus in *Arimenſi* Synodo, vel denique ſi Hæretici ſint qui contradixerint, (de quibus dicit *Athanaſius* ad *Iouinianum* Imperatorem apud *Theod*. l. 4. c. 3.) *pro certo ſcimus Auguſte Sanctiſſime, quod quamuis pauci huic Fidei contradicant, non tamen præjudicium inde poteſt orbi terræ fieri vniuerſim*: huiuſmodi dico non obſtantibus contradictionibus Concilia ab vniuerſa Eccleſia modo ſuperiùs dicto approbata, legitima habenda ſunt, pro vt de *Nicano* conſtat ex eadem Ep. 1. *Damaſi* vbi ſic ſcribit. *Itaq; veſtra Integritas manifeſtè videt hanc Fidem ſolam quæ authoritate Apoſtolica Niceæ ſtabilita eſt, firmè perpetuò tenendam eſſe; atq; de hac ipſa Fide, tum Epiſcopos Orientis, qui ſe de Eccleſia Catholica eſſe profitentur, tum Occidentis etiam Epiſcopos nobiſcum vnâ gloriari conſtat.* Et certè ſeptemdecem Epiſcopi licet hactenus Corpori Eccleſiæ conſociati, non ſunt computandi, ſi à veritate antiqua deflectere moliantur.

34. De *Chalcedonenſi* verò patet Contradictiones ſenſim euanuiſſe, nec Eccleſiam ad horam toleraſſe, quinimò exploſiſſe, & tandem per totum orbem Concilium obtinuiſſe, vt patet in vita *Baſiliſci* apud *Baronium* anno Dom. 476. imo Deus *Chalcedonenſe* Concilium cum res Fidei & Eccleſia periclitaretur, multis Miraculis in conſpectu totius populi patratis, confirmauit, vt ibidem conſtat.

Non igitur obſtat Conciliorum firmitati vel vniuerſitati, quod pauci etiam hactenus *Orthodoxi* contradicant, modò ab Eccleſia, vel alijs *Orthodoxis* Doctoribus pubilcè non tolerentur, tanquam authores hac in parte probabiles.

35. Conſultiſsimum verò eſſet, vt aliquoties notaui, ſi poſt vniuerſalis Concilij abſolutionem, cogerentur Synodi Regionales, vt ſolemnius pateſceret in ſingulas mundi partibus actuum publicatio & Eccleſiarum approbatio, ſeu receptio. Hoc aliquando factum legimus, vt de *Nicæno* teſtatur *Athanaſius* Ep. ad *Afros*, vbi enumerat Synodos particulares omnium ferè *Nationum* eiuſdem approbatiuas: & ſpecialiſsimè habetur in Concilio Romano 3. ſub *Syluestro*, vbi non ſolùm recipiuntur Acta *Nicani* Cōcilij, ſed anathematizantur *omnes qui*

auſi

Digitized by Google

auſi fuerint diſſoluere definitionem ſancti & magni Concilij, quod apud Nicæam congregatum eſt. De ſexta vniuerſali patet in Toletano 14. de pleriſque etiam alijs conſule quæ ex veteribus notaui ſæpè.

36. Vndè Concilium Generale *Lateranenſe* ſub *Innocentio* 3. c. 6. ſic ſtatuit. *Sicut olim à SS. Patribus noſcitur inſtitutum, Metropolitani ſingulis annis cum ſuis Suffraganeis Prouincialia non omittant celebrare: in quibus de corrigendis exceſſibus & moribus reformandis, præſertim in Clero diligentem habeant cum Dei timore tractatum, canonicas regulas & maximè quæ ſtatutæ ſunt in hoc Generali Concilio relegentes, vt eas faciant obſeruari, debitam pœnam tranſgreſſoribus infligendo*. Legatur etiam l. 5. tit. de accuſat. c. 25. d. 17. c. *Quoniam quidem*, &c. Sic etiam habetur ſeſſ. 6. Concil. *Conſtantien. Item decernit Sancta Synodus litteras miſſiuas ad Dominos Reges, Principes & vniuerſitates, per nationes huius ſacri Concilij, ordinatas & ordinandas, quam citiùs fieri poterit, fore mittendas, ſub ſigillis quatuor Prælatorum & quatuor Nationum Præſidentium*. Vbi manifeſtum eſt Concilium non expectaſſe finem, ſed jam tum cauiſſe, vt toti mundo patefieret quid definitum vel ordinatum eſſet, longè ante ejus *Conſummationem*. Sic denique factum legimus in omnibus fermè locis poſt Concil. *Trident*. vt in nulla recedat veteribus Concilijs.

Et ideò ſeſſ. 25. de Reform. Sic ordinatum eſt. *Cogit temporum calamitas & inualeſcentium hæreſum malitia, vt nihil ſit prætermittendum, quod ad populorum ædificationem, & Catholicæ Fidei præſidium, videatur poſſe pertinere. Præcipit igitur Sancta Synodus Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & omnibus alijs, qui de jure vel conſuetudine in Concilio Prouinciali intereſſe debent, vt in ipſa prima Synodo Prouinciali, poſt finem præſentis Concilij habenda, ea omnia & ſingula, quæ ab hac ſancta Synodo definita & ſtatuta ſunt, palam recipiant*, &c. Prout etiam ſeſſ. 24. ſub init. cap. 2. cautum eſt.

37. Non eſt quidem Conciliorum Prouincialium, dogmata Fidei ſtatuere, vt alibi notaui & etiam optimè declarat *Ambroſius* apud *Cuſanum* de Concord. Cath. l. 2. c. 3. in cauſa *Palladij* Hæretici de Fide dicere renuentis, propter abſentiam Orientalium Epiſcoporum (quia dixit ſolùm in pleno Concilio quale hoc eſſet de Fide reſpon-

dendum) vbi *Ambroſius* reſpondet Orientales Epiſcopos fuiſſe conuocatos, & ſic venire potuiſſe (idem dici debet pro *Tridentino* in cauſa Orientalium) vbi manifeſtè oſtendit, ad vniuerſales Synodos ſolum ſpectare determinationes Fidei facere, ſed de his egi alibi.

38. Ad prouincialia tamen pertinere poteſt, ſtatuta modo ſæpè explicato acceptare, ſeu ijs non contraire, vel ſenſum iſtius Eccleſiæ conformem declarare: facilè etiam eſſet Conciliorum Generalium definitiones per vniuerſam Eccleſiam publicare & recipere, ſi ſecundùm veteres Eccleſiaſticas Regulas, bis in anno Prouincialia celebrarentur; nempè propter Eccleſiæ cauſas & altercationum ſolutiones c. *propter* 18. d. Ex Concilio *Nicæno* c. 5. & ex *Chalcedonenſe* Canon. 19. *Statuit ergo Sancta Synodus ſecundùm Sanctorum Patrum Canones, vt bis in anno eundem in Locum conueniant vniuſcuiuſque Prouinciæ Epiſcopi, vbi Metropolitanus melius eſſe perſpexerit, vt ſingula emergentia corrigant*, &c.

39. In morum verò *reformationibus*, ibi major pars, hoc eſt quiuis licet paruus exceſſus majori jure ſufficit: hic vtique valet illud. *Refertur ad vniuerſos quod publicè fit per majorem partem.* ff. de reg. Iuris. & ſpecialiter habetur de Actibus Concilij Generalis d. 7. c. 1. & de Prouincialis. Facit etiam textus cum gloſſa in c. *Non poteſt de re iudic.* Et ſexcenta ſunt jura huic inſeruientia. Ægrè enim conuenitur plenè, vbi licentiæ & inordinatæ Libertatis diſpendium incurritur, ſicut ſemper in *Reformationibus* experimur.

40. Quouſque verò *Trid.* hac in parte veritati proſpexerit, luculenter apparet, vt in multis alijs, ſic ſpecialiter in materia *matrimonij clandeſtini*; ex hoc enim ſolo intuitu, quia de poteſtate Eccleſiæ in eiuſmodi nuptiarum irritatione, non vſquequaque conuenerint; res non inter Fidei dogmata, ſed inter articulos Reformationis, nec annexis Anathematibus redacta & enumerata legitur. Prout etiam Patres *Nicæni* in quæſtione de Feſto Paſchatis, cùm ad ſubſcriptionem ventum eſſet. *Placuit* vt adderetur *viſum eſt vt omnes obtemperarent*: *in quæſtionibus verò Fidei, non ſcripſerunt, viſum eſt, ſed adiſtum modum credit Catholica Eccleſia*, & ſtatim Confeſsio ipſa credendi adiuncta eſt, vt oſtenderent eam non nouam eſſe ſententiam, ſed Apo-

ſtolicam,

Digitized by Google

ſtolicam, & quæ ipſi ſcripſiſſent, non eſſe ſua inuenta, ſed *Apoſtolicorum documenta*: vt teſtatur *Athan.* de Synod. Certè *Trid.* videtur ſemper reſpexiſſe ad *Nicænum.*

41. Qui igitur fieri poteſt, vt non ſcelerati habendi ſint, ſi tanto & tàm œcumenico Concilio contradicere cogitent? aut non pro legirupis exiſtimandi, ſi malignis oculis non vereantur à decretis illis ritè contra *Arianam* (*Caluiniſticam*) Hæreſim factis obſtrectare? vt olim *Sanctus Athanaſius* in Ep. de decretis Synod. *Nicænæ.* Et rectè applicatur *Tridentino.*

42. Grauiſsimè ſanè hac in parte proceſsit *Triden.* parcè ſcilicet & cautè mutando leges antiquas, nam vt optimè *Ariſtoteles* Polit. l. 2. c. 6. *Ex his ergò videtur & quaſdam leges, & quandoq; eſſe mutandas. Alio autem modo conſiderantibus, cauendum videtur eſſe maximè; cùm enim vtilitatis quidem acceſsio parta ſit, aſſueſcere verò faciliter leges mutare, improbandum; conſtat errata quædam eſſe toleranda*, &c.

Non enim tantum proderit qui corrigere perget, quantum nocebit aſſuefactio ſuperioribus non parendi &c. *Lex nullam vim habet, vt ipſi pareatur niſi ex more: mos autem non fit niſi temporis longitudine, quare faciliter mutare leges ex præſentibus in alias nouas, infirmam facere eſt vim legis.*

Ratio verò quare leges non vim habeant niſi ex more, eſt illa quam tangit *Ariſtoteles*, l. 3. c. 7. *Hoc vnum manifeſtum eſt oportere ad ſpeciem rei publicæ leges eſſe accommodatas.*

43. Addam per modum Coronidis, quod ſi aliquas ſubindè loquendi formulas in *Tridentino* adhibitas, ab aliquibus alijs Concilijs, vel Patribus eſſe diuerſas, ſeu quod frequentius eſt, accuratiores explicandi modos in *Tridentino* aduertat Lector curioſus & doctus, ad ſubiectas materias ſemper attendendum eſt. *Sanctus Ignatius* in Ep. ad Epheſios dixit Chriſtum *genitum & ingenitum in Homine Deum*, &c. Alij poſt *Ignatium Magiſtri, ſcripſerunt vnum ingenitum*, &c. Vtrique rectè: Chriſtus erat ingenitus, in ſenſu *Ignatij*, quia non factus vt Creatura, Pater ſolus ingenitus ſecundùm reliquos, quia ab ipſo filius. Sic Concilia *Antiochenum & Nicænum ſpecie tenus diſsidebant, re tamen verâ conſentiebant.*

Digitized by Google

44. Exarabo hiſtoriam ex *Athanaſio* de Actis *Seleuciæ*, digna eſt ab Orthodoxis expendi, vt non leuiter ob ſimiles differentias ſancta Concilia impetant, vel ab alijs impeti patiantur.

Patres in Concilio Antiocheno contra *Paulum Samoſatenſem* agentes negabant Filium eſſe Conſubſtantialem Patri, quod tamen Patres *Nicani* aſſerebant: vtique in Antiocheno non *exquiſitam diligentiam in Tractatu huius vocis, Conſubſtantialis* adhibuerunt, ſed vt acceperant de *Conſubſtantiali*, ita loquuti ſunt: In eo enim omnem curam habebant, vt quod *Samoſatenſis* exagitarat, tollerent, & docerent ante omnia filium fuiſſe, eumque non ex homine Deum eſſe factum, &c. Benè verò hi & illi pro ſubiecta materia ſcribunt. Vt B. Apoſtolus ad *Romanos* dixit, *Lex ſpiritualis eſt & Lex ſancta eſt*, &c. Ad *Hæbreos* verò aliter ſcripſit, *Lex neminem perficit*, itidem ad *Galatas*, *In lege nemo juſtificatur*, &c. Nemo tamen ob id ſanctum virum reprehenderet, quaſi qui contraria & pugnantia ſcribat: ſed potiùs eum admiratione proſequatur, quod tam congruentia pro re nata ad ſingulos ſcripta mittat, vt & Romani & alij condiſcerent à litera ad Spiritum conuerti, *Hebræi* verò & *Galatæ* inſtituerentur non in legem, ſed Datorem Legis, ſpem ſuam habere: ita quoque & ſi amborum Conciliorum Patres diuerſimodè de *Conſubſtantiali* mentionem fecere, non tamen ea de cauſa ab illis diſsidere debemus, ſed illorum mentes ſcrutari, quod ſi fecerimus, omninò inueniemus ambas Synodos inter ſe conſentire, &c. Quod ſi idem fecerit lector Chriſtianus quoad Decreta *Tridentini* & reliquorum Conciliorum, inueniet omnes Synodos conſentire.

Acacius quidem cum ſuis immani vecordia audaciaq; planè abnegauit *Nicani* Concilij ſcripta, ipſam Synodum diffamando: alij verò ijque permulti, reliqua Synodi approbant, ſolummodo de voce *Conſubſtantialitatis* quaſi obſcuræ *Cauillantes*, &c. vt refert *Athanaſius* loco citato. Sic ex noſtratibus plurimi, quibuſcum egi, omnia *Trid.* decreta acceptarunt, exceptis pauculis longè minoris conſequentiæ, de quibus dabo inſtantias.

Reſtant igitur aliquæ & illæ grauiſsimæ objectiones contra ſuperius,

rius,tàm in præſenti quàm prioribus Capitibus dicta, quæ à noſtratibus contra *Tridentini* decreta ſpecialiter ventilantur tanquam veteri Eccleſiæ contraria. Breuiter ſecundùm Principia in penultimis Capitibus poſita, expendam, & ex quo capite ad Fidem ſpectant, oſtendam: vtique non tàm diſputabo, quàm Fidei ſtructuram ſeu potius hiſtoriam exarabo & certam Fidei rationem in punctis ab Eccleſia definitis, & à Nouatoribus perperam intellectis in ſequentibus declarabo.

Pro applicatione igitur doctrinæ hactenus aſſertæ proponuntur capita ſequentia.

CAPVT XXXVII.

De Scripturis Canonicis, hoc eſt, de catalogo: an ab Eccleſia veteri recipiebatur, & an hodie omnes obliget.

1. PRimò Suppono non eſſe ſufficiens teſtimonium de judicio Eccleſiæ pro alicuius libri autenticatione ſeu ſacratione, ex hoc quod ſolemnibus & Catholicis Chriſtianorum Conuentibus publicè legatur. Nam vt notat *Hieronymus* de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, de *Polycarpo* agens, *ſcripſit ad Philippenſes valde vtilem Epiſtolam, quæ vſque hodie in Aſiæ conuentu legitur*: non tamē apud *Hieronymum* ſacra habebatur. Sic etiam teſtatur Faber Stapulenſis de omnibus *Sancti Jgnatij* Epiſtolis. *Et has Epiſtolas (cum vt ex more ſolitum erat) in Eccleſijs Sancto cætu conuocato ad omnes legerentur*, &c.

Suppono ſecundò, quod non ſufficit ad effectum dictum, ſi præter lectionem illam in Eccleſijs aliquibus, ſimul compingatur ex aliqua ſpeciali reuerentia cum libris Canonicis: ſic enim olim in Anglia habebatur quædam *D. Pauli* Epiſtola ad *Laodicenſes*, vt habetur in Monumentis noſtris ſaxonicis: ſed fortè eſt Epiſtola ad *Epheſios*, nam apud *Tertull.* contra *Marcion* l. 5. *Marcion* vocabat Epiſtolam Epheſiorum ad Laodicēſes: nam vt loquitur *Tertull. Marcion* ei titulum aliquando interpolare geſtijt, quaſi & in iſto diligentiſſimus *Explorator*. Sicut ho-

Digitized by Google

die ſatis communiter *Eſdræ* libri tertius & quartus, *Machab.* l. 3. & 4. & additamenta aliquorum aliorum librorum, quos notat *Sixtus* Senenſis, nec tamen ab Eccleſia inter Canonicos reputantur.

2. Non poteſt igitur alia aſsignari regula, quam vniuerſæ Catholicæ Eccleſiæ receptio libri vt ſacri: aliàs poteſt in diminutiori gradu recipi, & vt jam dixi cum reliquis compingi, & vt *vtilis* legi in *conuentibus*, nec ſimpliciter ſacer haberi, ſicut etiam alibi dixi & dicturus ſum: ſæpè aliqua doctrina poteſt à Patribus recipi, ex probabili tantum fundamento, quod non arguit ſtatim diuinam originem, ſed quando traditur vt *Diuina* ſimpliciter.

Sic videtur arguendum in propoſito. Quòd ſcilicet conſtet aliquos libros vniuerſim recipi, nec ſatis conſtat in quoto gradu, nempè an ſolum vt *vtiles*, vel etiam vt *ſacri* fuerint recepti, vt dixi de Traditionibus, ſpecialiter in caſu *Cypr.* tunc ſuperueniens Eccleſiæ declaratio Conciliaris, omnē aufert dubitandi anſam, ſicut in *Tridentino* factum.

3. Nec tamen impedit quo minùs dicatur *Eccleſiam* vniuerſalem hos vel illos libros in Canonem acceptaſſe, eo quod aliquæ Eccleſiæ ex ignorantia illos necdum admiſerant, ſicut ex multis cauſis potuit accidiſſe. Vndè *Beda*, potiùs *Vilfridus* apud *Bedam* in hiſtoria Angliæ lib. 3. c. 25. excuſat *Pictos* & *Scotos* errore Quartadecimanorum laborantes, eò quod remotis illis regionibus diſsiti potuerunt non audiuiſſe determinationes Conciliares Eccleſiæ, ex quo falſas hac in parte pro veris amplexabantur Traditiones (eadem ratio eſt de ſcripturis) Imò non video, quin hodie aliqui libri Canonici poſsint è memoria excidiſſe in aliquibus regionibus propter rerum mutationes, vel latere aliquas partes mundi, vbi Chriſtum profitentur ex defectu commercij cum alijs. *Beſſarion* ad hoc propoſitum mira refert de ſua Græcia in Epiſtola ſua Generali, *Omnia impij occuparunt; omnia ita Barbari vicerunt*, &c. Poſtea. *Neſcitis quod omnes qui ad Orientem ſunt*, &c. *atq; ad Occidentem, qui Græcorum ſequuntur Eccleſiam, illi quidem ante centum annos, hi verò ante 50. & amplius annos*, &c. *ne de nomine quidem nouerant diuinam Scripturam, nec enumerare poterant, quot & qualia Biblia illius eſſent.* Poſtea. *Qui neque integrum, ſed fragmenta quædam*

quæ

Digitized by Google

quæ in Eccleſia leguntur vix aliquando habebant, &c. Imò poſsibile eſt ſubinde ſuppoſititia ſubintroduci, vt in ipſo Apoſtolorum tempore videtur accidiſſe: nam *D. Paulus* & *Syluanus* & *Timotheus* ſic ad Eccleſiam Theſſalonienſem ſcribunt Ep. 2. c. 2. Sic etiam *Hieron.* in fine ſui additamenti ad *Philonem* de Hebraicis nominibus, Epiſt. *Barnabæ* meminit: ſic etiam Apoſtolici illi quos vrgebant *Manichei* apud *S. Aug.* &c. Alij etiam erant ſuppoſiticij, de quibus ſic loquitur *Damaſcenus* Orat. 2. de Imaginibus. *Turpem & execrabilem, atq; impiam deteſtabilium Manichæorum & Græcorum, reliquorumq; hæreticorum ſcripturam, vt falſam ſtultamq; doctrinam continentem, & ad diaboli, ac dæmonum eius gloriam inuentam, licet Dei nomen contineat, reijcimus, atque improbamus*, &c. Sic etiam conſtat hodie apud Æthiopes de lib. quem vocant *Manda* & *Abetilis* Apoſtolis attributo, cuius vel apices vt diuinos venerantur, vt refert *Ortelius* ex *Fran. Aluares.* Infinitus eſſe poſſum in huiuſmodi inſtantijs, nec tamen dici poteſt hæc impedire ſenſum vniuerſalis Eccleſiæ de veris ſcripturis, propter rationes quas cap. penult. dedi.

4 Scio quidem apud veteres, diuerſas fuiſſe ſcripturarum diuiſiones ſolemnes, quas tractat *Caſſiodorus* de inſtit. Diuinarum Scripturarum c. 12. 13. prima eſt *Hieron.* ſecunda *Aug.* qui prorſus cum hodierna conuenit. Tertia eſt. 70. Interpretum quæ etiam ab hodierna haud diſcrepat, libros quidem *Machabeorum* trãsferre non poterant, quia nondum erant. Denique ſic concludit. *Nos omnia tria genera diuiſionum judicauimus affigenda, vt inſpecta diligentia atq; pertractata, non impugnare, ſed inuicem ſe potius exponere videantur.* Vnde licet multi Patres, id eſt *S. Hilar.* Epiſc. Pictau. & *Ruffin.* Preſbiter Aquilienſis, & Epiphan. Epiſcopus *Cypri*, & Synod. *Chalcedon.* non contraria dixerint, ſed diuerſa, omnes tamen per diuiſiones ſuas libros diuinos Sacramentis competentibus *aptauerunt.* Vtinam huc moderni librorum diuinorum numeratores collimare velint, vt multa quæ hac in parte exoriuntur diſsidia prorſus ſopiantur. Et certè Concil, 4. Roman. ſub *Damaſo* in quo maximus Epiſcoporum Cœtus erat, vt teſtatur *Theodor.* l. 5. Hiſt. c. 8. & 9. & 10. & vt habet

Digitized by Google

habet *Hieron*. Ep. 27. Epitaph. *Pauli* c. 2. erant Orientis & Occidentis Epiſcopi, erant ſcilicet *Ambroſ. Baſil. Hieron. Epiphan.* &c. In hoc dico Concilio patet fuiſſe concordatum Canonis Catalogum, namſic loquuntur, *Poſt has omnes Propheticas & Euangelicas atque Apoſtolicas, quas ſuperius deprompſimus Scripturas, quibus Eccleſ. Cath. per gratiam Dei fundata eſt*, &c. Et collectio Creſconiana apud *Baron.* tradit hunc Catalogum fuiſſe eum, quem texuit Conc. Rom. ſub *Gelaſio*, qui habetur in jure: & ex hoc conuincitur eſſe verum, quia eadem ipſa verba quæ recitaui prioris Concilij repetuntur in poſteriori poſt Catalogum, vndè conſtat inde deſumi. Hipponenſe etiam cum *Aug.* noſtrum Catalogum texuit, patet c. 38. abbreuiationum eiuſdem Concilij factorum à *Carthaginenſi*.

5. Notabile demum eſt quod non legitur fuiſſe vel vnam Eccleſiam, natioñe, vel quod longe minus eſt, vnum Corpus Chriſtianorum Catholicorum, qui directè contradixerint vni ex hodie admiſsis in Canonem: vel qui tanquam ſuppoſititium rejecerint, hoc eſt determinato judicio poſitiuè profanum judicarint. Hoc nullũ Concilium fecit; *Hebræi* etiam ſolum negatiuè ſe gerebant circa libros veteris inſtrumenti, de quibus à *Luthero* & *Caluino* dubitatum eſt. Suſpenderunt quidem ſubinde Concilia, ſua hac in parte judicia, ſcilicet non computando in Canone, vt fecit *Laodicenum* de libro *Apocalypſeos*, & aliquibus alijs hodie receptis: licet *Tertull.* de *Reſurrectione carnis* citet *Apocalypſim* vt *diuinam*, & vocet *Inſtrumentum Ioannis*, ſic etiam *Irenæus* l. 5. c. 21. Synodus etiam Trullana tota licet Græcanica, ipſum *Laodicenum* approbans ſine reſtrictione, non putauit ſe ſibi cõtradicere, dum in ſimul *Carthaginenſe* confirmat, vbi Catalogus Hodiernus habetur: vtique actus tales ſuſpenſiui non impediunt quo minus Eccleſia ſuo tempore illos admittat ſeu Canonizet, conſequenter ad ea quæ dixi.

6. Et ſic obtinuit Epiſtola *Iacobi*: *nam paulatim procedente tempore obtinuit authoritatem* vt ait *Hieronymus* in Catalogo. Et idem dici poteſt de Epiſtola ad *Hebræos* de qua patet apud eundem *Hieronymum* in Ep. 129. ad *Dardanum*, vbi apertè nos docet diſcernere ſcripturas

Canonicas

Digitized by Google

Canonicas à non Canonicis. *Hanc Epiſtolam quæ inſcribitur ad Hebræos, non ſolùm ab Eccleſijs Orientis, ſed ab omnibus retrò Eccleſijs, & Græci ſermonis Scriptoribus, quaſi Pauli Apoſtoli ſuſcipi, licet plerique eam vel Barnabæ vel Clementis arbitrentur, & nihil intereſſe cuius ſit, cum Eccleſiaſtici viri ſit, & quotidie Eccleſiarum lectione celebretur. Quod ſi eam Latinorum Conſuetudo non recipit inter Scripturas Canonicas, nec Græcorum quidem Eccleſiæ Apocalypſim Ioannis eadem libertate ſuſcipiunt: & tamen nos vtraque ſuſcipimus nequaquam huius temporis Conſuetudinem, ſed veterum Scriptorum authoritatem ſequentes, qui plerunque vtriuſque vtuntur teſtimonijs, non vt interdum de Apochryphis facere ſolent; quippe qui & Gentilium literarum non rarò vtantur exemplis, ſed quaſi Canonicis & Eccleſiaſticis.* Hic modus eſt certus cognoſcendi, an apud veteres aliquis liber habebatur vt Diuinus, & ſic paulatim obtinuit Epiſtola ad *Hebræos*, præſertim Eccleſia declarante.

7. De Apocalypſi nemo neſcit quamdiu fluctuauerit eius Canonizatio, de qua tamen poſt longa tempora habetur hoc teſtimonium in *Tolet.* 4. can. 10. *Apocalypſim librum multorum Conciliorum authoritas, & Synodica Sanctorum Præſulum Romanorum decreta, Ioannis Euangeliſtæ eſſe præſcribunt, & inter diuinos libros recipiendum conſtituerunt: Et quia plurimi ſunt qui eius authoritatem non recipiunt, eumque in Eccleſia Dei prædicare contemnunt, ſi quis eum deinceps aut non receperit,* &c. *Excommunicationis ſententiam habebit.*

Tertull. verò jam tum ab initio Eccleſiæ Apocalypſim citat, vt planè Diuinam, præter loca ſuperius citata, non longè poſt initium *de Hæreſibus*. In lib. etiam de *Fuga in perſecutione* inducit *Dominum* ibi loquentem.

8. *Cypr.* etiam Ep. 40. & de *bono pudicitiæ*, Hiſtoriam *Suſannæ* citat, & in lib. *de Oratione Dominica* c. 14. *Danielis* pro lacu *Leonum*. Sic etiam Ep. 66.

Origenes etiam l. 10. Stromatum, illa explicat Commentario.

Tertull. etiam de *Corona Militis*, citat *Suſannæ* Hiſtoriam: licet verum fatear, non Dominum ibi loquentem adferant, videntur tamen intimare quod eas non rejecerint.

Cypr. de *Oratione Dominica* citat *Tobiam.* vt Diuinam Script. Sic etiam de *Mortalitate*: *De opere & Eleemoſynis, loquitur in Scripturis Diuinis Spiritus Sanctus*, &c.

Hieronymus in *Prologo*, vt notat *Pamelius* ſuper *expoſitionem* Symboli apud *Cyprianum*, dicit Synodum *Nicanam* inter Sacras Scripturas *Iudith* connumeraſſe, & hoc non negat *Goulartius*, licet ſoleat ad ſingula carpere. Eam etiam citat vt Canonicam *Origenes* in c. vlt. lib. Iudicum. *Baſil.* etiam hom. in Hexam. citat Canticum 3. puerorum, vt *Diuinum* & etiam hom. 21. *in aliquot Sacra Scriptura* loca citat Hiſtoriam Bel.

Denique de ſingulis propemodùm libris apud quoſdàm modernos in Dubium vocatis, legi poteſt D. *Proſper* in tractatu de *Promiſſionibus* & *Prædictionibus Dei*, parte Prima: ſed præcipuè *Secunda*; vbi *Machabaos* c. 40. *Tobit.* c. 39. *Iudith*, *Eſdra* librum 2. c. 38. *Sapientiam* c. 36. *Eccleſiaſticum* c. 35. & alibi pro re nata. Et vt appareat hos & fere omnes cæteros, ipſum vt Diuinos citaſſe, ſub finem Capitis vltimi concludit: *Huc vſque juuante Domino, ſub lege figuratas promiſſiones prædictas, vt datum eſt, colligere valui*, &c. Vbi tanquam ex Diuinis libris ſe Chriſtum probaſſe teſtatur, & in *Prologo* partis Primæ, vt nullum ſit Dubium de mente ejus, loquens de Scripturis, quas citaturus eſt, dicit, *Iuuante illo cuius munere loquimur, Diuina teſtimonia collecta vndique, conjunctaque ſupplebunt ex omnibus Diuinis Scripturis*, &c. Vbi ad confirmationem Fidei ijs vſus eſt vt *diuinis*, quod vel maximè notandum eſt.

Nazianzenus quidem in ſua Metrica Scripturarum numeratione, eoſdem quos *Athanaſius*, tanquam non certos habet, quibus etiam adiungit Apocalypſim *Ioannis*. Hoc eſt certum, illos fuiſſe tunc in Eccleſia lectos, & cum reuerentia conſeruatos, nondum tamen enucleabatur, ad quod genus pertinebant, nempè Eccleſia nondum erat mota, ſeu per Hæreſes & ſeditiones ad hoc excitata.

Athanaſ. etiam in Synopſi, poſtquam libros Canonicos ſecundùm numerum literarum *Habraicorum* expoſuiſſet, ſubdit, *Libri non Canonici, qui Cathecumenis tantum leguntur, vbi Sapientiam, Salomonis, Sapien-*

tiam

tiam Syrach, *Eſther*, *Iudith*, *Tobiam*, (Machabæorum non meminit) recitat. In quadam etiam Epiſt. inter hos numerat librum quendam *Doctrinæ Apoſtolorum nomine* nuncupatum, & *Clementem*, & *Paſtorem*, quem etiam alibi citat contra *Arrianos*. Condiſtinguit hos poſteriores ab Apocryphis: nec dum igitur ſatis conſtabat ei, an diuinæ eſſent authoritatis necne, quorum aliquos Eccleſia poſtea Canonicos declarauit, reliquos extra Canonem poſuit. Nullatenus verò conueniebat cum modernis ſectarijs, qui omnes ad Apochryphos redigunt. *Damaſcenus* de *Orthodoxa* Fide l. 4. c. 18. aliquantum ab hodierno computu differt: duos ſolum ponit libros *Eſdræ*. Inter addititios numerat Sapientiam *Salomonis* & Sapientiam Ieſu (quam à *Sirach* patre Hebraicâ linguâ editam, ipſius nepos in Græcam conuertit) hoc eſt, *Eccleſiaſticum*, *Tobiam*, *Iudith*, *Machabeorum* 1. & 2. De duobus prioribus dicit, *tametſi alioqui præclari & elegantes libri ſint, non tamen alijs adnumerantur, neque in arca ſiti erant.* Vbi manifeſtum eſt, ipſum nullos poſitiuè reieciſſe, ſed ſolum non connumeraſſe, ſeu non determinare. In nouo Teſtamento non differt, niſi ſuperaddendo Canones Apoſtolorum per *Clementem* concinnatos.

10. Ferè omiſeram quòd *Hieronymus* in Epiſt 4. quæ eſt ad *Ruſticum*, citat *Eccleſiaſticum* ſub titulo Prouerbiorum *Salomonis* his verbis: *Apium fabricare aluearia, ad quas te mittunt Salomonis Prouerbia.* Quoad *Baruch* apud veteres ſolebat comprehendi ſub *Hieremia*, ſic *Cypr.* citat. c. 3. & lib. 2. *Teſtimoniorum*; ſic *Clem. Alexan.* lib. 2. *Pædag.* vocat diuinam Prophetiam. *Auguſt.* l. 18. de Ciuit. Dei c. 33. *Chryſoſt.* hom. de Trinit. *Caſſiodor.* in Pſalm. 81. & ferè omnes veteres poſt *Athan* in Synopſi: cautè igitur legẽdus eſt *Canus* in locis l. 12. c. 6.

11. In poſterioribus quidem octingentis annis, aliqui particulares Doctores, hac de re liberiùs loquuti ſunt, quam antea, ſed vt dixi c. penult. Eccleſia non cenſetur huiuſmodi ſcripta particularia cognoſcere, nec ſolet ad infinita talia attendere, niſi quando neceſsitas Eccleſiaſtica compellit, vt ibi notaui. Compulit verò commotio Lutheranica ad coactionem *Tridentini*, & huius rei enucleationem, vt patet in dogmatibus *Lutheri* & ſequacium. Attendendum igitur

Digitized by Google

eſt ad illa quæ dixi cap. penultimo, nam ex fundamentis ibi poſitis, facilè apparebit, penes Eccleſiam fuiſſe libros controuerſos in Canonem reponendi poteſtatem: Video optimè dicit *Scotus* in prologo q. 2. *Irrationabile eſt aliquid canonis recipere, & aliquid non cum Eccleſia Catholica, cui credendo, canonem recipio, recipere totum æqualiter.*

12. Qui igitur eas integras hodie non recipiunt, non eſt propter defectum authenticationis Eccleſiaſticæ, ſed vt *Manichæi* reſpuebant Scripturas veteris inſtrumenti, in quibus Originale Peccatum narratur, & quicquid inde in libris Apoſtolicis legitur, deteſtabili impudentia im miſſum fuiſſe contendunt à Corruptoribus Scripturarum, tanquam non fuerit ab Apoſtolis *dictum*, vt refert *Auguſtinus* l. Retract. de libero Arbitrio. De quibus etiam priùs egerat *de bono Perſeuer.* c. 9. *Quòd & Manichæi non recipiunt, qui non ſolum omnes veteris inſtrumenti Scripturas in nulla authoritate habent, verum etiam eas quæ ad nouum pertinent teſtamentum ſic accipiunt, vt ſuo quodam Priuilegio, imò Sacrilegio, quod volunt ſumant, quod nolunt, reijciant.*

Sic hi noui homines has vel illas reijciunt, quia non fauent eorum erroribus.

Cypr. de mortalitate citat *Sapientiam* vt diuinam, vbi *Spiritus Sanctus docet & de opere & eleemoſynis*, Eccleſiaſtici citat. c. 29. vt *Salomonis*. Sic etiam l. 2. Teſtimoniorum & alibi.

13. Sed *Pelagiani* apud *Hilarium* ad *Auguſt.* negabant librum *Sapientiæ* quia habet aliqua in c. 1. 2. & illud *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum eius*, &c. quæ non ſtabant cum principijs eorum contra Dei gratiam, vt facilè c. 14. ſub finem ibi apud *Auguſtinum*: & in Hypognoſtico.

Quibus *Auguſtinus*. l. 1. de Prædeſtinatione Sanctorum c. 14. ſic reſpondet: *Non debuit repudiari ſententia libri Sapientiæ, qui meruit in Eccleſia Chriſti tam longa annoſitate recitari: & ab omnibus Chriſtianis ab Epiſcopis vſque ad extremos laicos, fideles, Pœnitentes, Cathecumenos, cum Veneratione diuinæ Authoritatis audiri.*

Poſtea *Qui ſententijs Tractatorum inſtrui volunt, oportet vt iſtum librum Sapientiæ omnibus Tractatoribus anteponant, quoniam eum ſibi antepoſuerūt*

etiam

Digitized by Google

etiam temporibus proximis Apoſtolorum egregij Tractatores, qui eum teſtem adhibentes nihil ſe adhibere nihil diuinum Teſtimonium crediderunt &c.

Et certè *S. Ignatius* in Ep. ad *Tharſenſes*, citat, vt diuinam ſcripturam his verbis. *Et in libro Sapientiæ, ipſe* (ſc. Chriſtus) *de ſe ipſo refert, dicens cum faceret Cælum aderam, illi. Et iterum, Ego eram apud eum cuncta componens,* &c.

Hæc *Auguſtini* Reſponſio ſufficit pro cæteris libris à feruentioribus aliquot Sectarijs leuiter rejectis, vt ex authoritatibus veterum allatis cõſtet eos ſine omni rationabili fundamẽto reieciſſe. Et ideo ſuperſedeo.

CAPVT XXXVIII.

An & ex quo Capite Tranſubſtantiatio ſit de Fide?

1. CОntra veritatem Tranſubſtantiationis à Noſtratibus citatur vir aliàs doctiſsimus *Iohannes Ferus.* ex ordine Minorum, qui ſcribens in caput 26. *Matthæi* dixit, *Cum certum ſit ibi* nempè in altari, *eſſe Corpus Chriſti, quid opus eſt diſputare, num panis ſubſtantia maneat vel non?* Sunt ipſa eius verba f. 411. edit. Suid. 1562. quæ tamen haud putem ipſum protuliſſe dubitando, ſed veroſimilius alludendo ad illud *Innocentij*, myſteriorum Miſſæ lib. 4. c. 19. *Ego ſicut in alijs, ſic pariter in hoc, diuina Sacramenta magis veneranda quam diſcutienda profiteor.*

2. Et vt olim *Ambroſius* in *Lucam* l. 4. c. 5. propè finem obiter tangens diuinam Chriſti generationem dicit, *Etſi non licet mihi ſcire quemadmodum natus ſit, non licet tamen neſcire quod natus ſit.* Hîc etiam valere poteſt quod habet *Arnobius* in fine libri 2. *Comittamus nos Deo, nec plus apud nos valeat incredulitas noſtra quam illius nominis & potentiæ magnitudo.* Eadem penè loquitur *Cæcilius* apud *Minutium Felicem.* Pulchrè etiam *Baſil.* l. 5. contra *Eunon.* dixit ex Apoſtolo 1. *Tim.* 6. *Morbum eſſe animæ, malæ & curioſæ, de Deo quærere ea maximè, quæ cum Fide cunctis perſpicua ſunt. Hom.* etiam 25. de diuina Chriſti generatione incidenter agens dicit, *Pater erat, & Filius eſt genitus, ne dicas quando: ſed negligo*

Digitized by Google

hanc quæſtionem: Ne quæras quomodo, eſt enim impoßibilis reſponſio.

3. *Aliacenſis* vero 4. q. 6. a. 2. ait, aſſertum illud, quod ſubſtantia panis deſinit eſſe poſt conſecrationem, eſſe communem Sanctorum & Doctorum opinionem, *licet non ſequatur euidenter ex ſcriptura*; quod etiam poſteriùs tenuerunt *Scotus* 4. d. 11. q. 3. & *Occhamus* de *Sacramento Altaris* c. 5. Quod ſi fuerit communis Sanctorum opinio, vt rectè aſſerit doctiſſimus. *Aliacenſis*, manifeſtè conuincitur non eſſe nouum. Et certè in hac materia planè neceſſum eſt ad Sanctos confugere, ſi rem ad originem velimus penetrare, quinimo neceſſum fuit Eccleſiam, hanc Conciliarem aſſertionem ex *Traditione* accepiſſe, quæ ab Apoſtolis non aliter, quam per manus Patrum & Sanctorum huc vſque deſcenderit: vtique non potuit inniti Principijs quibuſdam Metaphyſicis, quæ *valdè infirma ſunt & dubia*, vt rectè doctiſſimus *Suarez* vbi inferiùs: Quod ſi ſuam declarationem fundaſſet ſolùm ſuper ſenſum Scripturæ, innixa fuiſſet huic principio Metaphyſico incerto, *quod nulla alia ratione, etiam per potentiam Dei abſolutam poſſent verba Chriſti fieri vera, niſi intercedente vera propriaq́; ſubſtantiali conuerſione*, & hoc adhuc alteri inniti debuiſſet, ſcilicet: *quod qualibet ſubſtantiarum mutatio eſſet vera conuerſio ſubſtantialis*, quorum vtrumque eſt planè incertum, vt paſsim patet in hac materia apud Scholaſticos: A *Patribus* igitur defluxit hæc deciſio, hoc eſt per lineam *Traditionis*, non præcisè ex vi, ſeu neceſſaria verborum ſignificatione, vt acutè obſeruauit ſubtiliſsimus *Scotus*, jam citatus, imò dicit quod alter ſenſus ſit facilior ſcilicet quod maneat panis.

4. *Cyrillus* quidem Hieroſolimitanus in *Myſtagogica quarta* clariùs veritatē tranſubſtantiationis oſtendit. *Hoc ſciens & pro certiſſimo habens panem hunc qui videtur à nobis, non eſſe panem, etiamſi guſtus panem eſſe ſentiat, ſed eſt Corpus Chriſti: & vinum quod à nobis conſpicitur, tametſi & ſenſu guſtus vinum eſſe videatur, non tamen vinum ſed Sanguinem eſſe Chriſti.* Certè vel nuſpiam, vel hîc euincetur in hac *Cyrilli* doctrina, nec qualicumque ſed Cathechiſtica, vera tranſubſtantiatio: & hoc docuit ante annos plus minus terdecies centum, nec alij contradixerunt. *Greg.* etiam *Niſſen.* in ſua (quam vocant) *magna Catechiſtica*, multa habet

habet pro hac veritate, *Rectè ergo nunc quoque Dei verbo ſanctificatum panē in Dei verbi corpus credo tranſmutari* εις σῶμα τȣ̃ θεȣ̃ λόγȣ μεταποιει-θαι πιςευομαι. Poſtea. *Quod ſtatim per verbum in corpus tranſmutetur, ſicut dictū eſt à verbo, Hoc eſt corpus meum*, poſteà, *Ea de cauſa per ſuæ gratiæ diſpenſationem, ſe per carnem inſerit omnibus credentibus, cōmiſtus & contemperatus corporibus credentium*, &c. poſteà. *Hæc autem dat virtute benedictionis, in illud tranſelementatâ eorum quæ apparent naturâ.* ταυτα δίδωσι; τῆ τῆς ευλογίας δυνάμει πρὸς εκεινο μετα ςοιχειώσας τῶν φαινομένων την φύσιν Non longè poſt ſecutus eſt *Auguſtinus* ſerm. 28. de verbis Domini. *Memini ſermonis mei, cum de Sacramentis tractarem: dixi vobis, quod ante verba Chriſti deprompta fuerint, jam non panis dicitur, ſed Corpus appellatur.* *Chryſoſt.* etiam hom. de Euchar. in Encen. ſeu de pœnit. ſerm. 5. *Non quod panis ſit, reſpicias: neque quod vinum ſit reputes*, ſtatim dicit *myſteria hîc conſumi Corporis*, (ſcilicet Chriſti) *ſubſtantia.* Quid aliud eſt, *myſteria* ſeu Symbola *conſumi corporis ſubſtantia*, quam tranſubſtantiari ſeu mutari in illud? *Ambroſ.* de initiand. c. 9. *Benedictione etiam ipſa natura mutatur. Cyprianus* de Cœna Domini, quem *Montacutius* voluminoſus Annaliſta Anglus, ſequens communem ſententiam, tribuit *Cypriano* in ſuo *Appello Cæſarem*; *Symon* etiam *Goulartius* Lutheranus in ſuis *Animaduerſionibus*, dicit quod recentiores Theologi (ex ſuis) nōnulli magni nominis tribuant *Cypriano*, tum ob ſtili conuenientiam, tum ob materiæ dignitatem & tractationem, & ipſe dixit vel eſſe *Cypriani* vel *Cypriani* diſcipuli. Et *Cauſabonus* in Exercitationibus licet dicat non eſſe *Cypriani*, fatetur non indignum *Cypriano*, *Panis iſte non in ſpecie ſed natura mutatur*, & paulò ante dixerat, *Panis iſte communis in carnem & Sanguinem mutatus*, &c. eodem loquendi modo ſæpe ſæpius vtitur in hoc tractatu. Quid eſt hoc in bona Philoſophia, *non ſpecie ſed natura mutari?* niſi ipſam naturam panis & vini mutari in Corpus & Sanguinem Chriſti, quod eſt *Tranſubſtantiatio* in ſenſu Eccleſiæ. Hoc & ſatis euincitur ex libro de lapſis non longè ab initio, & poſtea adhuc ter miraculoſam refert hiſtoriam de veritate ſanguinis Chriſti ipſo præſente factam, in quadam paruula, ex cuius viſceribus erupit Sanguis, nec deglutiri poterat, niſi violentia Diaconi: quia ſumpſerat

panem

Digitized by Google

caro ait prodeſt nihil. Nihil igitur contra veritatem, quam toties prædicat, hic habet, ſed *ad recogitatus illorum* ſe conuertit, qui erant purè carnales. Certè ſi aliquid valent hæc verba deſumpta ex *6. Iohannis*, valent pro opinione *Cajetani* & aliorum qui negant hîc tractari de Euchariſtia.

7. Sic etiam ſubinde apud alios Priſcos, vt *Origenem, Nazianzenum* etiam & *Auguſtinum* inuenitur figura Corporis, quæ ſi rectè attendantur, cõfirmant veritatem, quam etiam ſexcenties alibi in terminis habent, vt etiam *Lactantius* l. 4. c. 18.

Damaſcenus etiam Priſcorum textus illos ſubobſcuros tractans, d iit & probat illos loqui de ſpeciebus ante, non poſt conſeruationem conſideratis, quod dignum eſt obſeruatu.

Denique ſciendum quod veteres de induſtria hæc myſteria obſcurè tractare ſolebant, ſecundùm illud diuini *Dionyſij* de Eccleſ. Hierar c. 1. *Nequaquam ea paſſim rudibus tradens, ſed Sanctis ſolis, ſanctarum rerum intelligentius ſacratiùs pandens.* Ad eundem tenorem conſtanter loquuntur omnes veteres vt *Cyrillus Hieroſ.* in præfat. ad Catecheſim. *Orig.* contra *Celſum. Baſil.* de Spiritu ſancto c. 27. *Naz.* orat. 42. *Chryſoſ.* hom. 4. in 1. ad Cor. *Aug.* ſexcenties tum ſpecialiter in pſ. 39. & 109. tum in *Ioh.* tract. 26. hoc obiter.

8. *Euſebius* non ille *Emiſſenus*, cuius *Hieronymus* meminit, ſed alter *Gallicanus* hom. 5. de *Paſchate*, vel *S. Iſidorus*, ſub vtriuſque enim nomine inſcribitur, & *Gratianus* aſcribit *Emiſſeno* de conſecr. d. 2. Cap. *Quia Corpus.* Et *Paſchaſius Rubbertus* Epiſt. ad *Frudegar.* de Corpore Chriſti. Sed vt dixi veroſimilius eſt eſſe *Gallicani. Quando benedicendæ verbis cæleſtibus creaturæ ſacris altaribus imponuntur, antequam inuocatione ſummi numinis conſecrentur, ſubſtantia illis eſt panis & vini: poſt verba autem Chriſti, corpus & ſanguis eſt Chriſti. Quid autem mirum eſt, ſi ea quæ verbo creare potuit, verbo poſſet creata conuertere.* Pergit. *Imò jam minoris videtur eſſe miraculi, ſi id quod ex nihilo cognoſcitur condidiſſe, jam conditum in melius valeat commutare.* Frequens eſt in illa Homilia de mutatione panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti: & hujuſmodi loquen di ſtilus non importat mutationes metaphoricas & imagina-

Digitized by Google

9. Vtraque denique Eccleſia in *Florentino*, & etiam Decretum *Eugenij* hanc veritatem explicat per nomen *conuerſionis* ſcilicet panis in Corpus Chriſti, &c. Imò Græci in *Florentino* ſatis intimarunt ſe nunquam diſſenſiſſe à Latinis in explicatione huius puncti, quod accuratè declarat *Nicænus* in ipſo *Florentino*, imò dicit omnes Sanctos Doctores cum *Chryſoſtomo* hoc tenuiſſe; intentum quidem principale ſermonis eſt de effectiuis verbis Domini (quod controuertebatur) inuoluitur tamen reſolutio huius difficultatis ſatis perſpicuè, vt in Hiſtoria patet, quod vel maxime attendendum eſt.

10. *Cyprianus* etiam in tractatu citato de *Cæna Domini* eandem adhibendā dicit verborum formā in Conſecratione, ſicut hodie docet Eccleſia in *Flor.* quod addo cōtra *à Capite fontium* in opere ſuo contra Sacramentarios; vbi plus tribuit benedictioni Sacerdotis quam verbis Chriſti à Sacerdote prolatis; Dicit verò *Cypr. Ex quo à Domino dictum eſt, Hoc facite in meam commemorationem, hæc eſt caro mea, ſeu vt alia lectio habet, Hoc eſt Corpus meum, & hic eſt Sanguis meus, quotieſcumq; his verbis & hac Fide actum eſt, panis iſte ſuperſubſtantialis & Calix benedictione ſolenni ſacratus ad totius hominis vitā, ſalutemq; profuit*, &c. vtrumque hìc docet *Cyprianus*, quod Patres in *Florentino*; ſcilicet verba Chriſti eſſe hìc effectiua, & tranſubſtantiationem ſeu Conuerſionem ſubſtantiæ panis, quod verba ſequentia & præcedentia dabunt.

11. Et hodierni Græci hac in parte nobiſcum conueniunt, vt teſtatur *Hieremias* eorum Patriarcha in ſua & Eccleſiæ Græcæ confeſsione, ſeu vt vocat, Cēſura ad Germanos directa. Dominus etiam *Sands* popularis noſter & proteſtans, in ſua *Relatione Religionum Occidentalium Eccleſiarum*, de Græcis agens hæc habet verba: *Cum Romanis conueniūt quoad doctrinam Tranſubſtantiationis*, & loquitur vt oculatus teſtis, qui illas Eccleſias peragrârat. Sumus ergo ſecuri de ſenſu Eccleſiæ tàm Latinorum quàm Græcorū, de alijs non eſt, multūcurandum: *ſiquidem*, vt rectè obſeruat *Beſſarion* in ſua Epiſtola Generali; *Omnes aliæ Congregationes illegitimæ quædam ſunt, hæreſum plenæ, olim quidem à Sanctis Patribus & Doctoribus atq; Concilijs vniuerſalibus condemnatarum ac reprobatarum*. Quod ipſe dicit illas fuiſſe condemnatas à Sanctis Patribus,

Digitized by Google

Sanguinem, qui de pendentis in Cruce latere emanauit. Hæc refert *Lanfrancus*, & addit, quod hanc definitionem *Neſtorio* tranſmiſerunt, qui Conuerſionem etiam agnouit in verum Corpus & Sanguinem, non Chriſti, ſed alterius hominis juſti, &c. adeò vt nec ipſe hanc veritatem quoad mutationem illam realem ignorauerit. Fuit etiam definitum in Romano contra *Berengarium*, vt etiam declarat *Lanfrancus* his verbis. *Nicolaus Papa comperiens te docere panem, vinumq́ Altaris poſt conſecrationem ſine materiali mutatione in priſtinis eſſentijs remanere*,&c. Vbi patet iſtum fuiſſe vnum ex erroribus damnatis Berengarij.

15. Neſcio verò quo colore his nuperis diebus, obijciebatur factum *S. Leonis* ſerm. 4. in Quadrag. dum *Manicheos* reprehenderet, quòd tantum Euchariſtiam ſumere ſolerent ſub vnica ſpecie panis non vini. Nam hæc non faciebant ex opinione quod ibi non eſſet verus Sanguis Chriſti per veram conuerſionem adductus, &c. Sed putabant vinum eſſe Creaturam Diaboli, & ideò non idoneam materiam ad tantum Sacramentum, & hoc redarguebat *S. Leo*, & ſi non decipior, *Gelaſius* c. *Comperimus* de conſec. d. 2. licet *Sanctus Thomas* 3. p. q. 80.a. 12. ad 1. dicit *Gelaſium* redarguere Sacerdotes aliquos qui conſecrabant vtramque ſpeciem, ſed nolebant accipere ſub ſpecie vini, quod putabat eſſe contra primam Inſtitutionem,& per conſequens, *Sacrilegium*, vtrumque poteſt eſſe verum.

16. Non nego tamem apud veteres ſubinde reperiri in hoc myſterio nomen *Conuerſionis* in extenſiori ſenſu: nam Conuerſionem ex *communi* ſolum pane in *ſanctificatum* adhibuit alibi *Cyrillus* in Catechiſtica, ſed hoc idem importare poteſt, ac prior eius loquendi modus. *Gelaſius* etiam *Cizicenus*, non ille Romanus, de *duabus Chriſti naturis*, conuerſionem agnouit, ſed manente panis & vini ſubſtantia, *vt in hanc, ſcilicet in diuinam tranſeunt ſancto Spiritu perficiente ſubſtantiam, permanentes tamen in ſua proprietate naturæ*, &c. Ibi *tranſitio* ſeu conuerſio agnoſcitur, deſitio figurarum negatur. *Facundus* etam forte huc proſpexit in *defenſione trium Capitulorum Chalcedonienſium* l.9.& alij non rarò hoc ipſum indicant, & ſæpe ſæpius ſubobſcurè locuti ſunt, adeo vt ad alios ſenſus alludere viderentur, hoc non negandum eſt, & fortè de

Digitized by Google

ſolùm Aduerſariorum, ſed ſubinde puſillorum efficiunt ſcandalum. Vtinam ſuper huiuſcemodi pro dignitate inuigilaretur. Redeam.

Legendus etiam eſt *Auguſtinus* Ep. 118. magnam celebrantium & communicantium narrat deuotionem, ſic etiam *Proſper* de hoc agit vt de re ab omnibus conceſſa, *de Dimidio temporis* c. 6. & paſsim.

18. Innocentius verò tertius de *Officio Miſſæ* p. 2. c. 26. recenſet tres opiniones Theologorum in hac materia, quarum vna voluit panem manere, vt eum citat *Scotus* vbi inferius, ſic etiam *Occhamus* ſtatim ſub initium Tractatus *de Sacramento Altaris*, omnes tamen, vt dixi de Patribus, fatebantur Corpus & Sanguinem realiter adeſſe, quod vt notat *Scotus* 4. d. 11. q. 3. *ab ipſa inſtitutione huius Sacramenti ſimpliciter erat de Fide, & oppoſitum manifeſta Hæreſis.*

19. Quòd præter vnanimes Pàtrum conſenſus ſatis arguitur ex *Marco Valentiniano* apud *Irenæum* l. 1. c. 9. Vbi fingebat ad preces ſuas Sanguinem Chriſti deſcendere, &c. Quod non poterat niſi ſic tum crederetur. Non poſſum verò omittere vnum *Irenæi locum* l. 4. c. 32. vbi rationem Sacramenti ſub realitate Corporis, &c. & Sacrificij optimè explicat. *Sed & ſuis diſcipulis dans Conſilium primitias Deo offerre ex ſuis Creaturis, non quaſi indigenti, ſed vt ipſi nec infructuoſi, nec ingrati ſint, eum qui ex creatura panis eſt, accepit & gratias egit, dicens Hoc eſt Corpus meum. Et Calicem ſimiliter, qui eſt ex ea Creatura quæ eſt ſecundùm nos, ſuum Sanguinem confeſſus eſt, & noui Teſtamenti nouam docuit oblationem, quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens in vniuerſo mundo offert Deo, ei qui alimenta nobis præſtat primitias ſuorum munerum in nouo Teſtamento, de quo in duodecim Prophetis Malachias ſic præſignificauit, non eſt mihi voluntas in vobis dicit Dominus Omnipotens & Sacrificium non accipiam de manibus veſtris. Quoniam ab ortu Solis ad Occaſum nomen meum glorificatur inter gentes, & in omni loco incenſum offertur nomini meo & Sacrificium purum*, &c. Verba non indigent Commentario, clarius tamen & plenius quaſi ſeipſum commentans ſingula confirmat in c. 34. Et iterum l. 5. c. 4. pro abſurdo infert contra Hæreticos, qui realem Chriſti humanitatem negabant, illinc ſequi non eſſe veram Chriſti Carnem & Sanguinem in Euchariſtia, quaſi hoc eſſet notius altero. *Iuſtinus* Martyr

po, neque offerre, neque Sacrificium immolare, nec miſſas celebrare. Audiant hunc Apoſtolicum virum Sectarij huius temporis. Illa quæ dicit de celebratione myſteriorum præſente ſolùm Epiſcopo, tangunt illius temporis œconomiam.

22. Denique ex ſuppoſitione huius veritatis de reali præſentia corporis & Sanguinis Chriſti, valde conſequenter Patres Chriſtum ſub ſpeciebus latitantem *adorandum* docuerunt, quod tamen idololatricum fuiſſet, niſi Chriſtus adfuiſſet. Sic *Aug.* tum alibi, tum in Ep. 120. fusè. *Nemo autem illam carnem manducat, niſi prius adorauerit.* In pſ. 94. *Ambroſ.* l. 3. de Spiritu Sancto poſt alia. *Caro Chriſti, quam hodie in myſterijs adoramus*, &c. Sic communiter veteres.

Vnum verò eſt valde notabile, quod primus adnotauit noſter *Hauzeur* in ſuo 2. tomo ad *Aug.* in Pſal. 98. in *Difficultate* 3. quam meritò vocat grauiſsimam. *Auguſt.* tractans illa *Pſalmiſtæ* verba: *Adorate ſcabellum pedum ejus, quoniam Sanctum eſt*, poſt alia pulcherrima dicta, quæ ſpectant ad venerationem, & modum venerationis Imaginum, tandem occaſionaliter deuenit ad verba *Ioan. 6. Niſi quis manducauerit*, &c. Vbi ſic loquitur: Non hoc inquit corpus quod videtis, manducaturi eſtis, & bibituri illum Sanguinem, quem fuſuri ſunt, qui me crucifigent, &c. Vbi *Hauzeur.* Ex qua negatione Hujus corporis & Sanguinis, omnes Hæretici à *Berengario* in nunc, inſultant veritati ac reali præſentiæ Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia. Recitat doctiſsimus vir, qui *Auguſtino* totus incumbit, reſponſiones *Lanfranci, Guidmundi, Algeri* & poſt alios *Peronij*: Sed tandem ex penitioribus, & lõgè ſecretiſsimis *Auguſtini* myſterijs, quæ fideliter imbibit, & toti Orbi *propinat*, reſponſionem quæ ſequitur. Itaque ad continendam prauitatem ac pertinaciam hæreticam, prodeat, non tantùm ſimilis, ſed prorſus æqualis, eademque *B. Auguſtini* locutio ex Tract. 95. De identitate & non identitate Corporis Chriſti glorioſi, ſecum ipſo mortali, in illud *Ioan.* 16. Et jam non videbitis me. *Quid ergo eſt niſi quomodo ſum, cum vobiſcũ ſum? Hunc ergò Chriſtum, id eſt, talem Chriſtum non erant jam viſuri. Et ipſa eſt juſtitia Fidei. De qua 2. Cor. 5. Etſi noueramus Chriſtum ſecũdùm carnẽ, ſed nunc jam non nouimus.* Ecce expreſſiſsimam negationem *hujus Chriſti*, & expoſitionẽ *talis Chriſti*: prout

exponendum eſt, *non hoc Corpus quod videtis*, pro non *tali*. Quando igitur dixit *Auguſtinus*, *non hoc Corpus quod videtis, manducaturi eſtis*, &c. nequaquam negat veritatem Corporis Chriſti, ſed talietatem ejus, hoc eſt, non ſub illo modo, quo tunc conuerſabatur, licet realiter idem ſit corpus quoad ſubſtantiam, ſicut de Corpore Chriſti glorioſo, & in carne exiſtente, argumētatus eſt ſupra. Connaturalem *Auguſtini* ſenſum ſcilicet elicuit fidelis hic ejus ſectator & interpres, quod nullo modo tranſilire potui, quia ſingulariter mentem ejus attingit & aperit conſequenter ad alia *Auguſtini* loca certiſsima.

23. Conuerſionem igitur in hoc myſterio agnouiſſe communiter SS. Patres in confeſſo eſt, ſed an illa fuerit ſubſtantialis, an formalis, ex Patribus definire non voluit, nec valuit *Magiſter* 4. d. 11. Et certè ipſa Eccleſia ſuis in Concilijs hactenus non definiuit, nempè quia ad Fidem nihil refert, an in ineffabili hac ſubſtantiarum conuerſione intercedat ſubſtantialis actio, vel mutatio Phyſica & propria, à qua rectè vocetur Conuerſio ſubſtantialis: eſt tamen conuerſio ſubſtantiæ, vt definitum eſt in *Trid*. ſeſſ. 13. can. 2. ſed vt dixi non definitur, ne quidem tangitur: an ſit ſubſtantialis, quæ eſt quæſtio metaphyſica.

24. Et hinc *Eſpencæus* de Euchar. adoratione l. 4. in fine cap. 6. contra obiecta Berengariana concludit, *Chriſtum Deum credimus, edimus, adoramus & verba expoſita mellita nobis ſunt, oleumq́ fiunt, & oſſa vſque, nos penetrant, ineffabilem ſuæ in Sacramento præſentiæ modum illi committentes, & prout conuenit deuotioni Fidelium venerantes*: Opto verò cum ipſo l. 4. de Euchar. adoratione, qui poſtquam de hac re ſubtiliter diſſeruerat, ſubnectit, *Vtinam ſuper his duntaxat loquendi formulis, non etiam de rerum ſubſtantia hæc hodierna eſſet Helena*. Nam vt bene *Suarez* in 3. p. diſp. 50. q. 75. a. 5. ſect. 1. in fine. *Si quis confitendo rem totam, vocem Tranſubſtantiationis abijceret vt ineptam & barbaram, in re ipſa non exiſtimo eſſe Hæreticum; quia vſus vocis per ſe non pertinet ad objectum Fidei*. Et ideò vt notat à *Caſtro* verbo Indulgentia. *De tranſubſtantiatione panis in Corpus Chriſti rara eſt in antiquis Scriptoribus mentio*: nempe vt poſtea addit, Apud Priſcos authores, *hæc ſub talibus nominibus non commemorantur*.

25. Notan-

Digitized by Google

25. Notandum tamen quod Eccleſia poteſt *nouas voces* proponere, ſeu antiquas veritates nouis vocibus explicare ad euitandas Hæreticorum æquiuocationes, hinc ὁμȣ́σιον, hinc θεοτόκος, & alia id genus multa obtinuerunt. Vndè Apoſtolus ad *Timotheum* Ep. 2. c. 1. *Formam habe ſanorum verborum, quæ à me audiſti in Fide & dilectione in Chriſto Ieſu.* Sed *præter vocis nouitatem, ſenſum etiam nobis nouum atque inuſitatum afferre nunquam licuit, & ideo hæc omnia veluti peregrina atque à pia Fide penitus aliena repudiarem atque auerterem*, vt loquitur *Baſilius* vere magnus, de Fide, qui & Ep. 300. dicit vnum notabile, & hoc nobis inſeruit. *Vocem illam Homouſion ſiniſtrè à nonnullis acceptam, ſunt qui nondum admiſerunt: quos jure quis dignos reprehenſione dixerit, & eoſdem iterum iure excuſandos. Patrum enim veſtigijs non inſiſtere, & ſuam ipſorum excogitatam ſententiam velut potiorem voci illorum anteferre tanquam præſumptionis plenum non vocat culpa, eandem verò rurſus à nonnullis reprehenſam, ſuſpectam habere, videtur aliquatenus illos à Culpa liberare*, &c.

26. *Parſonius* quidem *Ieſuita* Anglus, non ſolum de nomine, ſed de re ipſa agens, dum decem quas vocat diſputationes habitas de religione in Anglia explicat fol. 93. n. 4. dicit hoc ſolum eſſe *appendicem* articuli de Corpore Chriſti. Dicit autem doctiſsimus *Stapletonus* in declaratione aſſertionis nouæ l. 8. controu. 4. c. 15. to. 1. *quod in explicatione eorum quæ potius appendices Fidei, quam ad eius ſubſtantiam pertinent, Eccleſia errare poteſt.* Sic etiam *Canus* in *Locis*, & eſt communis opinio Doctorum; nec hoc potuit latere *Parſonium*. Sed in his omnibus attendendus eſt finis ipſe datæ *infallibilitatis*, qui in eodem apud *Stapletonum* loco, eſt propter publicam ſalutem fidelium, non autem propter inutiles curioſitates explendas, aut ſubtilitates non neceſſarias inueſtigandas.

27 Quum igitur certò judicauerint Paſtores Eccleſiæ determinationem illius *modi*, quo panis in Chriſti Corpus in Sacramento conuertitur, eſſe ad publicam ſalutem Fidelium vtrimque neceſſariam, clarè decerni potuit, quicquid ridiculè effutiat *Lutherus* art. 28. præſertim cum Sancti Patres vt ex dictis patet, ſexcenties id affirmarint, & ex ipſis diuerſa Concilia in illam deſcenderint ſententiam. De-

Digitized by Google

mum omnia loca veterum, in quibus dicitur ſumi Corpus & Sanguis Chriſti (quæ apud *Tertullianum* de Oratione, *Cyprian.* ſpecialiter Ep.63. & Ep.54. & 56. & reliquos infinita propemodum inueniuntur) arguunt Tranſubſtantiationem: aliàs dicerent, Panis qui dicitur Corpus, &c. Vt etiam *Simon Goulartius Lutheranus* in ſuis notis ad *Cypr.* Ep. 83. ſic corrigit *Tertullianum*, cuius verba ex *Pamelio* refert de Oratione, vbi dicit *accepto Corpore* &c. addit ille, nempè Pane qui dicitur Corpus, &c. gloſſa voluntaria & inſipida. Et quod præcipuum eſt, vtraque Eccleſia in declaratione huius veritatis conuenit, & ideò omninò judicandum eſt de Fide quidem eſſe, non tamen eſſe æqualis neceſsitatis: quia tunc fuiſſe æque ſemper de Fide (quod rectè negat *Scotus*) cum articulo de reali præſentia Corporis Chriſti in Euchariſtia, quod *ab ipſa inſtitutione huius Sacramenti ſimpliciter erat de Fide* vt *Doctor ſubtilis optimè docet.*

28. Et ideo vt alios omittam, Sanctus *Cyrillus Alexand.* hoc myſterium explicans l.4. ſuper *Iohannem*, ſemper vertit Orationem ſuam ad *Iudæos* non Chriſtianos, quaſi apud eos veritas huius myſterij ſupponeretur, & ad illa verba. *Litigabant ergo Iudæi ad inuicem dicentes: Quomodo poteſt hic nobis Carnem ſuam dare ad manducandum?* poſt alia dicit, *In ſuſceptione diuinorum myſteriorum Fidem habere quidem vos oportet, curioſitatis expertem, neque cum aliquid dicitur ſubijcere illud*, Quomodo. *Iudaicum enim eſt vocabulũ, & extremi proinde cauſa ſupplicij.* Pulchrè igitur *Aug.* Ep. 49. in ſolutione quæſtionis 2. *Conſilium Deo tribuamus, nobis obedientiam teneamus*, & poſtea. *Quamdiu paruus & infirmus eſt Intellectus hominis, diuinæ debet credere veritati.* Libro etiam de vnitate Eccleſiæ c.7. piè admodum, vt vbique ſolet, clamat, *ſileant humanarum contentionum animoſa & pernicioſa certamina, inclinemus aurem verbo Dei.* Et ad idem *Cyprianus* de Cæna Domini, vbi egregiè omnes huius Sacramenti, vel apices tractat & probat, & tandem dicit, *Inter Dominicæ menſæ conuiuas, animalis Homo non admittitur: quicquid caro & Sanguis dictat, ab hoc cœtu excluditur, nihil ſapit, nihil prodeſt quicquid in ſenſus molitur ſublimius, omne quicquid à ſuis rationibus deuium videtur, ſapientes huius ſæculi ad dementiam referunt, & à veritate reputant alienum.*

Huc

Digitized by Google

Huc igitur non accedendum, hîc non ſubtilizandum, ſed Deo ſimpliciter credendum, quod ſi non fecerimus, facilè huc & illuc declinabimus, ſecundùm illud *Irenæi* l. 2. c. 47. *Hæc autem cæcitas & ſtultiloquium inde prouenit vobis, quod nihil Deo reſeruetis.* Et vt *Baſilius* hom. 2. in *Hexameron*. *Veritatis Deprauatores ſuam mentem accommodant Scripturæ, imò ad ſuam voluntatem mentem ſcripturarum trahunt ac peruertunt.* &c. *deſinant à fabuloſis figmentis, nec eam potentiam quæ nulla poteſt mente comprehendi, quæque voce humana penitus ineffabilis eſt, ſuarum imbecillate cogitationum, ratiocinationumque metiri velint.*

Grauiſsimè etiam *diuus Petrus Chryſologus* ſerm. 141. huiuſmodi Philoſophos in opinionibus ſuis ſpumoſis & inanibus detumeſcentes ridet. *Tu Hîc totum vis de ratione conſtare, vbi totũ conſiſtit ex Fide, quod tamen non ſine ratione ſubſiſtit, ſed ratione Dei non tua.* Hic ſtilus veterum.

29. Licet non ſcripturis ſolis hæc veritas habeatur, ſed conſtans concurrebat Eccleſia, & omnium fidelium conſenſus ab initio Fidei, vt etiam *Origenes* luculentè teſtatur certitudinem huius articuli ab ipſis Fidei Chriſtianæ ſcintillis, ſic enim contra *Celſum* loquitur l. 6. f. 495. edit: Pariſ. *Iudæi Chriſtianæ doctrinæ* initio *ſpargebant rumorem, quod eius Secta homines mactati pueri veſcerentur carnibus.* Scilicet quia Chriſti Corpus in Sacramento recipiebant. Idem teſtatur *Tertullianus* omnium primus in *Apologetico* contra *Gentes*, c. 7. & 9.

Hoc ipſum abundè teſtatur *Minutius Felix* in ſuo Octauio, vbi ex hoc Capite acerbiùs Chriſtianos agitat. *Infantis (prohneſas) ſitienter ſanguinem lambunt, huius certatim membra diſpertiunt*: hac *fæderantur hoſtia, hac conſcientia ſceleris ad ſilentium mutuum pignorantur: Hæc ſacra ſacrilegijs omnibus tetriora.* Hæc & plura ille. Sic alij veteres paſsim. Et *Cyprianus* in tractatu, cui Titulus *De Dominica oratione* explicat quartam petitionem, *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*, de quotidiana ſumptione Euchariſtiæ ſicut tunc moris erat, vt etiam ibi oſtendit, dicens, *Hunc autem panem* dari nobis quotidie poſtulamus, ne qui in Chriſto ſumus, & Euchariſtiam quotidie ad cibum *ſalutis accipimus*, &c. Sic *Auguſtinus* de *Bono* perſeuerantiæ c. 4. citat & ſequitur *Cyprianum*. Huc etiam tendit illud quod Maximus *Ethnicus* exprobrabat

Digitized by Google

brabat *Auguſtino* Ep. 43. *Quis eſt iſte Deus quem vobis Chriſtiani quaſi proprium vendicatis, & in locis abditis præſentem vos videre componitis?* Et ideo Chriſtiani Punici apud *Aug.* de peccat. meritis & remiſ. l. 1. c. 24. quoties occaſio eſſet loquendi, tractandi vel quomodolibet agendi de Euchariſtia, *vitam* appellitabant, nempè quia ducit ad vitam æternam.

30. Denique hoc ipſum oſtendit alia Doctrina apud veteres celebris: dum oblationem in Eccleſia vſitatam huius Myſterij, Sacrificium Sanguinis & Corporis Chriſti appellitant. Sic *Cypr.* tum alibi ſæpè, tum de lapſis, Patres etiam in quadam Synod. *Alexandrina* in Epiſt. Synod. in cauſa *Athanaſij*, & habetur in ſecunda eius Apol. *Sacra noſtra vt in præſentia, ita etiam ſemper pura, innocentiaque fuere, non niſi Chriſti Sanguine eiuſq; cultu ſanctificata.* Multa plura in eadem Epiſt. habentur, præſertim vbi exponitur falſa *Arrianorum* calumnia contra *Athan.* de *imminutione Myſtici Poculi*, id eſt, in quo continebatur Sanguis Chrſti. S. etiam & magnus Pater *Ephræm* ſerm. in ſanctos Patres, qui illo tempore defuncti erant. *Quando porrò honorandi Sacerdotes ſanctæ aſſiſtunt Menſæ ad Sacrificium offerendum, &c. Cùm Fide ſuſcipiunt Corpus Chriſti Domini qui ſemper cum illis eſt.* In ſermone etiam de Antichriſto, lugebunt Eccleſiæ, &c. eò quod amplius Deo non offeratur diuina oblatio, &c. *Hieronymus* Epiſt. 17. quæ eſt *Paulæ* & *Euſtochij* ad *Marcellam*: *Recurre ad Geneſim*, & *Melchiſedech Regem Salem huius Principem inuenies Ciuitatis, qui jam tunc in typo Chriſti panem & vinum obtulit, & myſterium Chriſtianum in Saluatoris Sanguine & Corpore dedicauit. Auguſtinus* lib. 16. de Ciuit. ibi (cum *Melchiſedech* benedixit *Abraham*) *primum apparuit Sacrificium, quod nunc à Chriſtianis offertur Deo toto orbe terrarum, impleturus illud, quod longè poſt hoc factum per Prophetam dicitur ad Chriſtum*, &c. *Tu es Sacerdos ſecundùm*, &c. Etiam in *Pſalmis* 33. con. 2. Erat ibi (inter Iudæos) Sacrificium ſecundùm ordinem *Aaron*, & poſtea, *ipſe de Corpore & Sanguine ſuo inſtituit Sacrificium ſecundùm ordine Melchiſedech.*

31. Imò *Aug.* Ep. 59. deſcribit modum celebrandi ſui temporis. Hoc etiam eſt quod habet Ep. 107. *Quando audis Sacerdotem Dei ad Altare,*

Altare, &c. quod ſecundò repetit longè poſtea in eadem Ep. In fine etiam Epiſt. 110. poſtquam egerat de deſignatione ſui Succeſſoris, concludit, *Benè habet, vt ea quæ Dei ſunt, circa Sacrificium eius agere valeamus*, &c. Hoc etiam frequenter habetur apud *Poſsidonium* de vita *Auguſt*. Sic etiam *Proſper* eius Diſcipulus loco citato.

Diuus etiam *Chryſologus* tum alibi ſexcenties, Sacrificij Corporis & Sanguinis Chriſti meminit, vt etiam oſtendi, tum ſermone 103. eandem veritatem ſatis inſinuat, & vnà antiquam fidelium cõſuetudinem declarat, reponendi *Eleemoſinas* in pauperes erogandas ſuper *Altare*. Verba ſunt. *Doleo certè, Doleo quando lego. Chriſti cunabula magos rigaſſe auro, & video Altare Corporis Chriſti Chriſtianos vacuum reliquiſſe. Et in tempore hoc præſertim quando ſe pauperum fames vaſtat*. Poſtea. *Repleamus Altare Dei, vt noſtra horrea repleat plenitudo*, &c.

Gelaſius etiam *Cizizenus* l. 2. de actibus Conc. *Nic*. c. 30. dicit. *Fide intelligamus jacere in ſacra illa menſa agnum Dei tollentem peccata mundi incruente à Sacerdotibus immolatum*, &c. *Hieron*. Ep. 150. ad *Hedibiam* q. 2. *Ipſe comedens & qui comeditur, illius bibimus ſanguinem, & ſine ipſo potare non poſſumus, & quotidie in Sacrificijs ejus de genimine vitis veræ & vineæ Sorec, quæ interpretatur Electa, rubeſcẽtia muſta calcamus*, &c. *Baſilius* etiam hom. de *Iejunio* ante medium, dicit, *Neque enim fas eſt ſine jejunio ſacrificium attingere, non ſolùm in myſtica nunc & vera Dei adoratione, ſed nec in illa, in qua ſacrificium ſecundùm legem in figura offerebatur*.

32. Et vt alios omittam, *Gildas* Britannorum noſtrorum antiquiſſimus nec indoctus ſcriptor, ſæpe ſæpius horum myſteriorum & terribilis ſacrificij meminit, iam tum ab initio Fidei Chriſtianæ, vbique terrarum, & in hoc Regno celebratiſsmi: quod etiam non leuiter inſinuat fuiſſe à *Tiberij* Cæſaris tempore, cum reliquis orbis partibus illuminatum. *Tertullianus* etiam aduerſus Iudæos c. 3. dicendo. *Britannorum inacceſſa Romanis loca, Chriſto vero ſubdita*. Meminit noſtram Britanniam fuiſſe Chriſtianam. *Origenes* etiam hom. 4. in *Ezechielem* idem teſtatur. Fides igitur huius Britanniæ, quoad Cæleſtia hæc miſteria, Fidem Chriſti primeuam, & totius orbis genuinam declarat. Hiſtoriam *Beda* omnes norunt, & quod in ſingulis paginis hanc eandem

Digitized by Google

dem Fidem oleat, nemo neſcit, præcipuè l. 5. c. 22. vndè rectè *Eraſmus* ſuperiùs citatus. *Hactenus cum omnibus Chriſtianis, Chriſtum pro me paſſum adoraui in Euchariſtia.*

33. Denique non ſolùm apud veteres conſtans erat tàm doctrina quàm praxis, ſacrificium hoc offerendi: ſed etiam rationem Propitiatorij ei vnanimiter tribuebant. Quod ſatis arguitur ex conſtanti oblatione pro viuis & Defunctis apud *Tertull. Cyprianum, Nazianzenum*, qui anniuerſarij etiam pro Defunctis ſacrificij meminerũt. Sic *Damaſcenus* in oratione ſua pro Defunctis. Sic etiam *Chryſoſtomus* frequenter, præſertim in cap. 8. *Matthæi* de ſacerdotio fusè; vbi modum ſacrificandi exponit: ſic & *Auguſtinus* ſæpius præſertim 10. de Ciuit. Dei c. 20.

Tandem apud omnes veteres Liturgias hoc inuenitur, quod neminem latere poteſt, qui res alias obuias notauit. Præterea legat qui voluerit *Dionyſium Areop.* in Eccl. *Hier.* c. 7. p. 3. *Athanaſium* q. 34. ad *Antioch. Chryſoſtomum* Hom. 3. in Ep. ad *Philyppenſes*, *Epiphanium* in confutatione Hæreſis *Arrianæ. Nazianzenũ* in orationibus de morte Matris & ſororis *Gorgoniæ*. Digniſsimus eſt etiam lectu in orat. in ſepultura *Cæſarij* Fratris: vbi contra hodiernos Nouatores deſcribit modum ſepeliendi veteris Eccleſiæ prout etiam facit *Dion. Areop.* loco citato. Quod ſi petatur in quo conſiſtat ratio propitiationis ex opere ſcilicet operato, hoc eſt ex Chriſti inſtitutione huic ſacrificio collata? optimè reſpondet Cardinalis *Alanus* popularis noſter de Euchariſtiæ ſacrificio l. 2. c. 33. *Ego nunquam inuenio vſum ſacrificij à Patribus ad pauciora reſtingi peccata, quam ipſa immolatio Crucis.* Addit poſtea *quem effectum habet etiam ex opere operato, cum illud faciat per applicationem Paſsionis Chriſti: licet non immediatè, quemadmodum Sacramenta, primam gratiam tribuat. Nec proprie dicitur propitiatorium, ex eo quod pœnas tantum, reliquias aut immunditias ex peccato remanentes auferat aut imminuat: cum reuerà propter pœnarum tantum exolutionem dicatur potius ſatisfactorium*, ſic ille. Totum hoc videtur accurate definiri in *Tridentino* ſeſſ. 22. cap. 1. *Incruento ſacrificio virtus paſsionis applicatur in remiſſionem peccatorum, quæ quotidie à nobis committuntur.*

c. 2.

Digitized by Google

c. 2. ſubnectit. *Hac oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina* & peccata etiam *ingentia* dimittit. Hoc eſt igitur quod docuit doctiſsimus Cardinalis, *licet non immediatè, quemadmodum Sacramenta, quia gratiam & donum pœnitentiæ concedendo*, &c. Quod valdè notatu dignum iudico.

Quod ſi obijciatur, ſi habeat hoc ex opere operato, ergo debet haberi effectus certò & ſemper. Ad hoc primò reflectendum eſt ad terminum illum, *non immediatè*: deindè reflectendum eſt ad verba *Tridentini* in eodem cap. 2. Docet Sancta Synodus, Sacrificium iſtud verè propitiatorium eſſe, &c. vt ſi cum vero corde & recta Fide, cum metu & reuerentia contriti ac pœnitentes ad Deum accedamus, miſericordiam conſequamur & gratiam inueniamus, &c. Notanda ſunt verba, *ſi cum vero corde*, &c. Et tunc ſemper dat effectum.

Hoc eſt, ſi Deus dederit nobis auxilium ſeu donum actualis pœnitentiæ, ſeu quod idem eſt, ſi per gratiam eius actu doluerimus, &c. Virtute huius ſacrificij *crimina & peccata etiam ingentia dimittit*. Adeò vt ſemper & ex opere operato concedantur vlteriora auxilia in ordine ad gratiam primam, & ad remiſsionem peccatorum quorum cunque, licet non immediatè vt Sacramenta quæ dicuntur mortuorum, tribuat primam gratiam; vt rectè Cardinalis, qui in diuerſis Capitulis hac de re diſſerit, legi etiam poſſunt Doctores in hunc *Tridentini* locum citati à *Barboſa* in ſuis Collectaneis.

Hoc fuſiùs diſcuſsi propter noſtrates. Iam verò propter *Caluiniſtas* qui ponunt æqualitatem in miniſterio Sacramentorum, ſubijcio ſequens caput.

CAPVT XXXIX.

An vnquam licuerit Diaconis vel Laicis Chriſti Corpus conficere?

1. APparentia eſt aliqua, quod eò vſque venerit *Tertullianus*, quod etiam in caſibus neceſsitatis, videatur jus Sacrificandi non ſolùm Diaconis, & perſonis quibuſlibet ſacris, ſed etiam laicis competere velle: quod tum alibi, tum præcipuè *in libro de exhortat. caſtitatis*, his verbis alloquens Laicum, docere videtur. *Vani erimus, ſi putaverimus quod Sacerdotibus non liceat, Laicis licere. Nonne & Laici Sacerdotes ſumus. Regnum quoque Nos & Sacerdotes Deo & Patri ſuo fecit. Differentiam inter ordinem & Plebem conſtituit Eccleſiæ authoritas, & honor per ordinis conſeſſū ſanctificatus à Deo sibi Eccleſiaſtici ordinis non eſt cōſeſſus? Et offert & tingit Sacerdos. Eſt ibi ſolus, ſed & vbi tres, Eccleſia eſt, licet Laici*, &c. Vbi *offerre* & *tingere* docet conuenire Laicis, nam hoc ibi intendit pro locis vbi non ſunt Sacerdotes: nam ſi adſint tres Laici, ibi Eccleſia eſt, in qua offerre & tingere licet. Et ideo ſubdit. *Igitur ſi habes jus Sacerdotis in temetipſo, vbi neceſſe eſt, habeas oportet etiam diſciplinam Sacerdotis, vbi neceſſe eſt habere jus Sacerdotis.* Et ideo alij ſic legunt. *Adeo vbi Eccleſiaſtici Ordinis non conſeſſus, & offers & tingis*, & Sacerdos es *tibi ſolus*, &c.

Hic *Rhenanus* debuiſſet ſe interponere, & aliquo probabili Comentario mentē eius explicare, qui in alijs locis ſatis prodigè cōmentatur.

Videtur quidem prima facie *Tertullianus* de Sacrificio Corporis & Sanguinis Chriſti hic agere, ex alio ſcilicet errore motus, quod differentia Sacerdotis & Laici non ſit preciſè ex Iure Diuino, vt ex verbis patet. Quo quidem poſito, facilè obtinebitur, Laicos præſertim in Sacerdotum abſentia offerre, ſeu vt Poſteriores loquuntur conſecrare ſeu celebrare diuina poſſe: præſertim dato Saluatoris præcepto de omnium ſacra Communione ex *Iohan. 6.*

2. Funda-

2. Fundamentum verò erroneum huius ſui erroris, ſi hoc vult, eſt contra ſenſum omnium Eccleſiarum & veterum Patrum, Scripturas aliter intelligentium: etiam contra *Cyprianum* in mille locis, qui tamen plus ſtuduit lectioni *Tertulliani* quam omnes, imò ipſemet ad *Scapulam* ſic loquitur, *Hi ſunt qui ſe vltrò apud temerarios conuenas ſine diuina diſpoſitione præficiunt, qui ſe præpoſitos ſine vlla ordinationis lege conſtituunt* &c. Vbi patet eum ex Diuino Iure, nam *diuina diſpoſitione*, differentiam Cleri & Laicatus concedere. Satis etiam concluditur ex tritiſsimo illo *Hieronymi* textu, quem examinaui in Apologia Epiſcoporum, agens de diſtinctione Epiſcopi & Sacerdotis, & ex ijs quæ dixi, in citato opere circa *extraordinarias miſsiones* (vt vocant) *miniſtrorum*.

3. Laicos quidem ſubinde reſeruaſſe Hoſtias à Sacerdote conſecratas, & ſibi ipſis in abſentia Sacerdotis miniſtraſſe, negari non poteſt: vt de Eremitis, & alijs in tempore Perſecutionis conſtat apud *Baſilium* Ep. 289. fusè, cuius verba adſero cap. 42. de vtraque ſpecie. Vbi etiam alios expendo. Et etiam habetur in Concilio *Trullano* can. 58. *Laicus ſi præſente Preſbytero aut Diacono ſemet Sacrorum myſteriorum faciat participem, per Hebdomadam abſtineto.* Vel vt alia habet *Tranſlatio. Nemo eorum qui ſunt ex ordine Laicorum, diuina ſibi myſteria impartiat præſente Epiſcopo, vel Preſbytero, vel Diacono. Qui ſecus fecerit, vna ſeptimana ſegregetur.*

4. Ego putarem *Tertullianum* nihil aliud velle, quam quod in abſentia hominum Sacrorum, Synaxim jam à Sacerdote confectam, & illis Traditã, ſibi ipſis pro opportunitate tribuant: quod nec vnquam licuit ipſis præſentibus, ſecundùm omnes tàm veteres, quàm nouos Eccleſiæ Canones. Et in hoc ſenſu eos Sacerdotes appellitaſſe, ſcilicet in ordine ad actus ſic offerendi & tingendi, & quod conſequens eſt, differentiam inter Ordinem & Plebem (vt ipſe loquitur) authoritate Eccleſiæ conſtitui, nempè ordinando prædictos actus ſic & non aliter à Laicis exerceri poſſe, quod eſt ipſos aliquam ſimilitudinem cum Preſbyteris habuiſſe.

5. Imò nec Preſbytero præſente, ſacra vel tangere vnquam ipſis licuit, vt probat olim commendatiſsimum *Ambroſij* factum prohi-

Digitized by Google

bentis Imperatori ingreſſum in ipſo Choro, addentis. *Purpura enim Imperatores, non item Sacerdotes facit.* Laici igitur tunc non erant Sacerdotes, conſequenter nec offerre potuerunt etiam ſecundùm Principia *Tertulliani.*

Canon etiam. 69. *Trullanus* decernit, *nulli omnium qui ſit in Laicorum numero, liceat intra ſacrum altare ingredi*, &c. Quantò ergo minus offerre. Sic etiam Canon. 3. Turonenſis ſecundi. Res hæc eſt apud veteres obuia.

6. Alij fortè malint *Tertullianum* intelligere de quadam antiqua conſuetudine, quam apud Primæuos Chriſtianos abſentibus Sacerdotibus inoleuiſſe contendunt, ſcilicet ſpeciem quandam Synaxeos, ſeu ſacras quaſdam epulas celebraſſe in memoriam Paſsionis, & quaſi ad imitationem Cœnæ Dominicæ, quas veteres Agapes nominabant: & propter ſimilitudinem actuum, Laicos ſuperiùs nominaſſe Sacerdotes, & *offerre* dixiſſe, quod quidem non eſt improbabile. Quod verò vel prior ſenſus, quem aſsignaui; vel hic poſterior, qui alijs magis arridet, ſit genuina eius Interpretatio, ex hoc non adeo obſcurè deducitur: quod dum de reali Euchariſtiæ ſumptione agit, libro *de Coron. mil.* fatetur non à Laicis vllo caſu, ſed ſolum ab Epiſcopis vel Sacerdotibus dari. Verba ſunt. *Euchariſtiæ Sacramentum & in tempore victus & omnibus mandatum à Domino, etiam ante Lucanis cætibus, nec de aliorum manu quam Præſidentium ſumimus.*

Vtique quomodo vnquam vel vſpiam à Laicis, *ſi nec de aliorum manu quam Præſidentium ſumimus?*

7. Denique omitto quantùm hic liber Eccleſiæ Dei fuerit pernicioſus, Montanicum ſcilicet Spiritum vbique olens, necnon alijs Hæreſibus refertus, & ideò ſemper ab omnibus fidelibus explodebatur, & conſequenter authoritas ejus ſi hoc vellet, quod prætenditur, non valet in re tam graui, in præjudicium veritatis. Dixi Montanicum ſpiritum olere & ideò non mirum eſſe debet, ſi *Tertull.* hoc opus ſcripſerit, Laicos *offerre* etiam in proprio ſenſu, & ipſos eſſe Sacerdotes intimare (licet vt dixi verba eius hoc non dent,) quando quidem Montaniſtæ & qui ex illis deſcendebant, & in Hæreſibus conueniebant *Phryges &*

ges & Priſcillianiſtæ vt teſtatur *Epiphanus* cõtra Hæreſes l. 2.to.1.Hæreſi. 48. & 49. hanc Hæreſim tenuerint: nempè tàm Laicos quàm fœminas promiſcuè, eſſe *Epiſcopos* & Preſbyteros & Sacrificium etiam offerre, &c. *Hi autem tales etiam locum quendam deſertum in Phrygia, Pepuzam quondam appellatam Ciuitatem*, &c. *Vnde eo abeuntes myſteria quædam perficiunt in loco, & ſacrificant velut putant.* Poſtea. *Puerum quendam valdè infantem in feſtiuitate quadam per totum corpus æreis aciculis compungentes*, ſanguinem ipſius ſibi ipſis comparant ad apparatum videlicet, *Sacrificij*. Et in Hæreſi 49. Epiſcopi quoque apud ipſos ſunt mulieres, & Presbyteri mulieres, & alia quæ nihil differre dicunt. In Chriſto enim IESV neque maſculus, *neque fœmina*, &c. Hos ibi delineat *Epiphan.* Aliqui tamen fuerunt Acatholici, qui his nuperis diebus Laicos & fæminas ad Sacerdotium ex ſuperiùs citatis *Tertulliani* locis euehere leuiſsimè contenderunt: imò non ſolum jus ad rem, ſed in re, ſcilicet poſſeſsionem & cõſuetudinem Sacrificandi antiquiſsimam arguere ex allatis probare attentabant. Sed *Epiphanius* qualitatem Sacrificij, & tàm iuris, quàm conſuetudinis, ſi quæ fuerit, fundamentum expoſuit. Ipſe etiam *Tertull.* lib. de Præſ. c. 41. ortum iſtius conſuetudinis enarrat. *Nam & Laicis ſacerdotalia munera injungunt.* De abuſibus Hæreticorum in Sacramentis agit. Non igitur apud Catholicos iſte mos inualuerat; nec ipſe laudat, quinimò acriter carpit dum Catholicus eſt. Quod etiam iſte fuit communis Eccleſiæ ſenſus, patet in Synod. *Alexandrina* apud *Athanaſium* in cauſa *Iſchytæ*, qui à non vero Epiſcopo ordinatus Præſbiter, ſed à Colytho ſolum Preſbitero, omnium Catholicorum votis ad Laicatum reductus erat, nec rem ſacram agere potuit.

8. Aliquam quidem præ ſe ferre poteſt veriſimilitudinem de Diaconis, quod ipſi celebrare conſueuerant, licet per abuſum, præſertim in abſentia Sacerdotum, ſecundùm Ca. 15. *Arelatenſ.* Concil. 1. cuius authoritas eſt eò major, quod Epiſcopi qui intererant *Niceno* etiam ſubſcripſerunt, Canonis titulus eſt. *Vt Leuitæ non offerant. De Diaconis quos cognouimus multis locis offerre, placuit minimè fieri debere.* Antiquiſsimum etiam Concil. Ancyranum c. 2. agens de Diaconis

Digitized by Google

qui inuiti Diis immolabant ſic ſtatuit. *Diaconi ſimiliter qui immolauerunt, poſtea autem iterum reluctati ſunt, illum quidem honorem habere oportet. Ceſſare verò debent ab omni ſacro, ita vt nec Panem, nec Calicem offerant, nec pronuntient, niſi fortè aliqui Epiſcoporum conſcij ſint laboris eorum, & humilitatis & manſuetudinis, & voluerint eis aliquid amplius tribuere vel adimere. Penes ipſos ergo erit de his poteſtas.* Hoc Concilium videtur ſupponere Diaconos potuiſſe de jure offerre, cum ob pænam ipſis interdicitur de futuro, niſi Epiſcopi aliud judicent.

Prior etiam *Arelatenſis* Canon prohibet quidem ipſos deinceps offerre, ſed non arguit facti irritationem, ſi attentarint, quod tamen docet Eccleſia Hodierna.

9. Sciendum igitur quod per *Offerre*, hîc intelligitur Euchariſtiam miniſtrare, quod ſecundùm Canones non licebat Diaconis, ſine licentia Preſbyteri, & ideo cautum eſt Canon. 18. ejuſdem Concilij, *vt Honorem Presbyteris reſeruent, & ſine conſcientia ipſorum nihil agant.* Et vt habetur in Concilio *Arelat.* 2. Can. 15. Poſt alia ad eorum officium ſpectãtia: *Chriſti Corpus miniſtrant, at non præſente Presbytero ſub pæna depoſitionis.* Quod ſatis etiam colligitur ex *Nicæno* Can. 14. vbi in Terminis ſupponit Concilium, vt rem claram, eos nunquam habuiſſe poteſtatem offerendi in ſuo rigore ſumptum, quod multum valere debet ad eruendum ſenſum *Aretalenſ.* 1. quandoquidem vt dixi patet ex ſubſcriptionibus vtriuſque, eoſdem Patres, vtrobique ſubſcripſiſſe. Hoc ſic enodato; facilè dabitur *Ancyranum* nihil aliud voluiſſe. Quod etiam iuuat ſenſum quem ad *Tertullianum* applicui, nempè quod *offerre* in ſenſu veterum, ſubinde Euchariſtiam miniſtrare ſignificabat. Quod etiam expreſsè habetur in conſtit. Apoſt. l. 8. c. 13. Epiſcopus *dat oblationem, dicens Corpus Chriſti* & Populus communicans reſpondet. *Amen.*

10. Non verò me latet apud veteres vocabulum *offerre*, aliud ſubinde importare. Sicut apud *Cyprian.* lib. *de opere & eleemoſyna. Dominicum celebrare te credis, quæ Corbonam omninò non reſpicis, quæ in Dominicum ſine Sacrificio venis, quæ partem de Sacrificio, quod pauper obtulit ſumis.* Agit de oblatione quam quiſque in Altari offerre ſolebat,

(vt

(vt plurimùm erat panis) & vocat Sacrificium, quod Sacerdos benedicere ſolebat & populo diſtribuere (hodie ferè eſt idem mos) & poteſt fieri, quod Diaconi præter ſuum officium, hos panes benedicere volebant, & ideò reprehenditur. Canone etiam Apoſtolorum quarto, *offerre non licet aliquid ad Altare præter nouas ſpicas,* &c. *tempore quo ſancta celebratur oblatio.* Vbi offerre ſumitur in duplici ſenſu, in priori pro oblatione illa laicali: in poſteriori, pro oblatione Euchariſtica. Et vt dixi fortè non licebat Diaconis illas priores oblationes *offerre,* id eſt benedicere & diſtribuere inconſultis Preſbyteris.

Deinde habetur Canon *Fœlicis* Papæ. *De Clericis & Monachis aut puellis Dei, aut ſecularibus, vt duobus annis oblationes, modis omnibus non ſinantur offerre.* Vbi clarum eſt ibi illud *offerre,* non poſſe ſignificare oblationem Euchariſtiæ, quod ſecundùm Canones nunquam licuit puellis, &c. Ex quibus concluditur *offerre* in Concilijs ſuperiùs citatis nihil arguere pro oblatione Euchariſtica: multò minùs Laicorum, Diaconorum, ſed planè oppoſitum. Eccleſiaſticus etiam vſus (quem hactenus oſtendi) vocabuli *offerre,* multùm juuat ſenſum, quem dedi *Tertulliano.*

Optimè igitur docet *Doctor Subtilis* 4. d. 13. q. 2. quòd ſolus Sacerdos, qui rectè fuerit ordinatus ſecundùm claues Eccleſiæ, vt habetur *Ext. de Sum. Trin. & Fid. Cath.* Sed vndè accipit Eccleſia fundamentum iſtius ſententiæ? Reſpondeo ex illo verbo Chriſti *Mat.* 26. *Hac quotieſcumque feceritis,* &c. vbi loquitur Apoſtolis, vel ad minus nonniſi diſcipulis, quibus in Eccleſia ad minus non ſuccedant niſi Sacerdotes. Apoſtolis ſuccedunt Epiſcopi, Diſcipulis Preſbyteri, vt habetur d. 21. In nouo teſtamento. Habetur idem etiam ex illa ſententia *Pauli* 1. ad *Cor.* c. 10. *Panis quem frangimus nonne communicatio Corporis Domini eſt?* quem frangimus *nos* inquit ſcilicet Apoſtoli & Diſcipuli eius: ſi enim quilibet fidelis poſſet conficere, non oporteret aliquem alium alijs frangere, &c.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XXXX.

De Communione Paruulorum, an ſcilicet hæc fuerit de Fide?

1. QVæſtio hæc, ſicut & ſequens, in ſolẽnibus congreſsibus cum Popularibus noſtris ſæpe ſæpius adductæ ſunt contra veritatem Traditionum: & ideo accuratam vtriuſque hiſtoriam inſtituo, vt nulla deinceps ſuperſit diſputationis anſa.

Innocentius in Epiſtola quæ eſt apud *Auguſt.* ad Patres Concilij *Mileuitani. Auguſt.* lib. 1. contra *Iulianum*, & lib. 1. ad *Bonifacium*, & alij celeberrimi Epiſcopi, vt ſaluti neceſſariam tradi volebant paruulis Communionem. Vbi cap. 22. dicit *Auguſt. Nec illud cogitatis, eos vitam habere non poſſe, qui fuerint expertes Corporis & Sanguinis Chriſti, dicente ipſo, Niſi manducaueritis carnem meam & biberitis Sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis*, &c.

2. Imò per ſexcentos annos, vt vult *Maldonatus* in. 6. *Iohannis* praxis vigebat vniuerſaliter: ſed falſum eſt, nam nullibi conſtat de vniuerſali & ſucceſsiua ab Apoſtolis ad illa tempora deriuatione, patet quidem ad aliquot ſæcula vſum Communionis Paruulorum in aliquibus Prouincijs duraſſe, ſicut inter Prouectos ſub vtraque ſpecie ferè vniuerſaliler.

3. Sed vt ſupra dixi, non ex neceſsitate, ne quiden præcepti, ſed ad *agibilia* reduci debet, ſicut & hæc talis qualiſcumque conſuetudo fuit.

De agibilibus legendus. *Auguſt.* Ep. 118. vbi fusè diſputat, & illinc ſolue quæ hìc dicere videtur.

Nec ad quod genus Traditionum reduci debeat, vſpiam fuit conciliariter declaratum. Nec quod notatu dignum eſt, in Hiſpania, Punicis licet partibus ferè contigua, nota fuit hæc conſuetudo, vt mox cõſtabit ex poſitiuo teſtimonio Concilij *Elibertini* circa tempora Concilij *Nicæni* primi, nec in Anglia tum apud veteres noſtros Scriptores *Gildam*, *Bedam*, & poſteriores Conciliorum noſtrorum Tractatores, *Liwordum*, *Splemanum*, & cæteros, vt etiam in actis ipſiſmet Conciliorum

Digitized by Google

liorum patet, vbi nec ſemel huius rei meminerunt, nec *Greg. Magnus Auguſtino* Apoſtolo noſtro inter cæteras Inſtructiones hanc vel leuiter tetigit: nec recordor *Pelagium Britannum* noſtrum huius vllibi meminiſſe. *Iulianus* quidem toties ab *Aug.* agitatus hoc ſemper tranſilit tanquam aliud agens. Patres etiam Concilij *Mileuitani* in Ep. Synodali *Innocentio primo* directa, vocant Baptiſmum *Chriſtianæ gratiæ Sacramentum*, nec ſemel Communionis meminerunt, ſicut nec Patres Chartaginenſes eaſdem res definientes.

4. *Aug.* quidem videtur putare *Innocentium* in Ep. ad Patres *Mileuitanos* hanc doctrinam definijſſe *S. Innocentio quid reſpondeas, qui paruulos definiuit, niſi manducauerit carnem Filij hominis, vitam æternam habere non poſſe.* Sed Epiſtola illa non ſatis arguit definitionem Eccleſiæ judicialem, nec *Auguſtinus* in præſenti Scholarum rigore accepit vocabulum illud *definiuit*: ſicut dum egit de Baptiſmo Hæretici miniſtrantis, dicit. *Definire non audeam ſine authoritate tanti Concilij, quantum tantæ rei ſufficit* l. 7. de Bapt. vbi ſine dubio nihil aliud importat, quam determinare vel reſoluere, nam aliàs in omni ſententia Epiſcopi Diocеſani non poſſunt quæſtiones Fidei ſtrictè *definire.*

5. Multoties quidem & ſolemniter hanc ſuam & multarum Eccleſiarum Romanæ ditionis premit *Aug.* ſententiam, vt videre eſt Ep. 106. vbi ait, *Nullus qui ſe meminit Catholicæ Fidei Chriſtianum, negat aut dubitat Paruulos, non accepta gratia Regenerationis in Chriſto, ſine cibo carnis eius & Sãguinis potu, habere in ſe vitam, ac per hoc pœnæ ſempiternæ obnoxios*, &c. De Trin. l. 2. c. 10. De Peccatorum meritis & remiſſ. l. 1. c. 20. vbi ſtrenuiſsimè hoc probat, & inter multa quæ ibi habet, tandem dicit. *Et ſi non manducauerint carnem Filij hominis, nec ipſi habebunt vitam*, vbi eãdem prorſus neceſsitatem ponit Euchariſtiæ ac Baptiſmi. & inde c. 24. dicit, *vnde, niſi ex antiqua vt exiſtimo & Apiſtolica Traditione, qua Eccleſiæ Chriſti inſitum tenent, præter Baptiſmum & Participationem Dominicæ menſæ non ad regnũm Dei, ſed nec ad ſalutem & vitam æternam poſſe quenquam hominum peruenire? Hoc enim Scriptura teſtatur*, &c. Et ibidem probat Punicos Chriſtianos idem ſenſiſſe de neceſsitate vtriuſque.

Digitized by Google

Vbique valde conſtans & reſolutus videtur.

Cypr. Ep. 107. æqualem etiam ponit neceſsitatem vtriuſque in ordine ad Paruulos. Qui etiam de lapſis apud *Aug.* Ep. 23. conſuetudinis communicandi Infantes meminit. Quod etiam legi poſtea apud eum. Videtur etiam ante eos *Dionyſius* de Eccleſ. *Hier.* c. 2. p. 2. &. 3. Paruulorum Communionem inter Apoſtolicos Baptiſmi ritus recenſere.

Pontius Paulinus Baptiſmum & Euchariſtiam (morem Eccleſiæ deſcribens) jungit in ſuis verſibus apud *Rhenanum* in argumento lib. *Tertull.* de *Corona Militis*, & ibidem adfert *Hieronymum* ſuper *Iſaiam*.

Faber Scholiaſtes in alijs antiquitatum monumentis de Infantum Communione ſic refert inueniri. *Si Epiſcopus adeſt ſtatim confirmari oportet; poſtea, Communicari.*

D. Tho. dicit ſuo etiamnum tempore Græcos, communicaſſe paruulos, p. 3. q. 80. a. 9. ad 3. Ad regulam igitur ſuperius datam in huiuſmodi difficultatibus ſemper recurrendum eſt.

6. Nam vt patet in *Florentino* cum pleno vtriuſque Eccleſiæ conſenſu definitum eſt, *Illorum animas qui poſt Baptiſma ſuſceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt*, &c. *In cælum mox recipi & intueri clarè Deum trinum & vnum ſicuti eſt*, &c. Et certè hic ſtilus conſtantiſsimus Eccleſiæ in omnibus Concilijs, illum etiam *fuiſſe vniuerſalis* Eccleſiæ ſenſum in hac materia, paſsim habetur in aliorum Sãctorum Patrum ſcriptis, qui Baptiſmum ſufficere ad ſalutem vbique prædicarunt.

Baſil. l. de Baptiſmo c. 2. *Qui enim mortuus eſt (ideſt Baptizatus) juſtificatus eſt, liberatus eſt, ab omni peccato repurgatus eſt, non ſolum quod operibus ac verbis, ſed quod & ipſis Cogitationũ affectibus ſit commiſſum*, &c.

In hom. etiam 13. quæ eſt exhortatio ad Baptiſmum, vocat eum *viaticum*, & de eius effectibus edifferens, dicit, quod *Baptiſmus eſt Captiuorum & æris alieni remiſſio, peccati mors, animæ regeneratio; amictus ſplendens; ſignum quod nulla fraude adulterari poteſt, vehiculum ad cælum, Regni cæleſtis Conciliatio, Adoptionis gradus*, &c. Multus eſt & frequens in hoc ſtilo.

Imò

Imò ipſe *Aug.* ſæpiſsimè *fatetur remiſsionem peccatorum & vitam æternam haberi poſt Baptiſmum* v. g. l. 2. De peccatorũ meritis ac remiſſ. c. 7. De Prædeſtinatione Sanctorum l. 1. c. 12. Dicit *Regenerationem haberi per Baptiſmum.* Addit. *Hoc Catholica Fides nouit.* Et c. 14. clarius. Et etiam l. 2. ſub finem cap. 12. & clariſsimè Ep. 105. Sic etiam Ep. 50. & 54. & 57. fusè. Ep. etiam 59. non ſolùm quoad juſtificationem, ſed vitam æternam. Sic etiam Ep. 89. poſt initium. In eadem Epiſtola in ſolutione tertiæ quæſtionis.

Pro Coronide ſit Ep. 23. ſub finem. Item de Prædeſt. Sanctorum l. 1. c. 12. In his & ſexcentis alijs locis, tàm Peccatorum remiſsionem quàm vitam æternam concedit Baptiſmo. Non ad longum refero verba, ne ſim tædio lectori.

Ad eundem planè ſenſum loquitur *Diuus Petrus Chryſologus* ſerm. 137. *Chriſti Baptiſma, ſic regenerat, ſic immutat, ſic hominem reddit ex vetere nouum, vt præterita neſciat, non recordetur antiqua, qui de terreno cæleſtis jam cæleſtia poſsidet & diuina,* &c.

Tandem præ omnibus alijs, luculentum dat teſtimonium *Hieronymus* in Dialogo aduerſus *Luciferianos*, non longè à medio, vbi de hac re ediſſerens, hæc habet verba. *Si ad Epiſcopi tantum imprecationem, Spiritus Sanctus defluit* (nempè in Confirmatione quæ ab Epiſcopis ſolis dari ſolebat, vt ibidem teſtatur) *lugendi ſunt qui in vinculis aut in Caſtellis, aut in remotioribus locis per Presbyteros & Diaconos Baptizati ante dormierunt, quam ab Epiſcopis inuiſerentur.* Plura ibi habet ad hoc propoſitum.

Patet etiam in Concilio *Eliberis* in Hiſpania celebrato, Can. 77. tempore *Silueſtri* 1. vbi decernitur. *Quod ſi quis Diaconus regens plebem ſine Epiſcopo vel Presbytero aliquos baptizauerit, Epiſcopus eos, per Benedictionem perficere debebit. Quod ſi ante de ſæculo receſſerit, ſub Fide qua quis crediderit, poterit eſſe juſtus.* Saluari ergo poſſunt Baptizati ſine Communione Euchariſtiæ, tàm ex *Hieronymo* cauſam fidelium ibi agente, quàm ex hoc Concilio grauiſsimo.

7. Notandum verò ad majorem horum & ſimilium locorum efficaciam, quod non ſolebant communicari, niſi poſt cõfirmationem, vt

ibidem, & ex ſuperius allatis, & paſsim alibi patet apud veteres.

Quod etiam declarat *Dionyſius* loco citato c. 2. p. 2. *Pontifex diuino ac deifico prorſus vnguento virum ſignans, ſacratiſsimæ communionis participem facit.*

Vnde *Cypr.* Ep. 70. ad *Ianuarium* & cæteros Epiſcopos *Numidas*, dicit, *vngi quoque neceſſe eſt eum, qui Baptizatus eſt, vt accepto Chriſmate, id eſt vnctione, eſſe vnctus Dei, & habere in ſe gratiam Chriſti poſsit, Porrò autem Euchariſtia, & vndè Baptizati vnguntur,* &c. Vbi clarè oſtendit, ex ordine quem ponit, modum fuiſſe, baptizare, vngere, & vltimò Euchariſtiam dare.

Et in Ritualibus antiquis, præſertim in noſtro *Sariſburienſi* (vt vocant) ſic habetur. *Si Epiſcopus adſit ſtatim eum confirmari oportet, & poſtea communicari*, &c.

Clarè etiam in Conc. *Laodic.* Can. 7. in fine *inunctos etiam Sancto Chriſmate, diuino Sacramento communicare conuenit.* Hoc Concilium totius Eccleſiæ manifeſtat ſenſum, nam vniuerſim receptum eſt, etiam in Trullo, &c.

Ex quibus omnibus manifeſtè conſtat, quod caſu quo Epiſcopus abfuerit, vt ferè ſemper contigiſſe neceſſum eſt, ſi Eccleſiæ œconomiam ſpectemus, conſequens eſt, quod interea morientes baptizati, ſaluarentur ſine Communione Euchariſtiæ, & hoc in judicio & ſenſu communi Eccleſiæ.

Deindè vel maximè obſeruandum eſt, quòd *Diuinus Dionyſius* habet de Eccleſ. *Hier.* p. 1. c. 3. agens de ijs quæ in ſynaxi, ſanctaque Communione fiunt. *Neq; enim fermè fas eſt Sacerdotalis muneris myſterium aliquod peragi, niſi diuinum illud Euchariſtiæ auguſtiſsimumq; Sacramentum compleat*, &c. Conſuetudo igitur communicandi paruulos poſt baptiſmum, &c. non oriebatur ex concepta opinione de ejus neceſsitate, ſed ex illa altera conſuetudine complendi Sacerdotalia munera per Euchariſtiæ Sacramentum.

8. Fideliſsimus tandem *Auguſtini* diſcipulus *Oroſius* in Apologia ſic loquitur. *Lauacrum regenerationis quod accipere poſſent, per quod ſalui fierent, non acceperunt, juſtè vtique damnantur*, &c. Salus igitur per ſolum

Baptiſmum

Baptiſmum habebatur in eius ſententia, qui etiam per omnia callebat & ſequebatur mentem *Auguſtini*.

Proſper etiam *Feruidus* eius ſectator, hoc vbique docet in libro ſententiarum *Auguſtini* & alibi, & in Epiſt. ad *Aug.* per *Sacramentum Sanguinis Chriſti, intelligit Chriſti paſsionem, quam vnuſquiſq; participat, qui per Dei gratiam regeneratur.* In reſponſione etiam ad obiectionem nonam Gallorum patenter aſſerit, *æternam vitam haberi per Bapiſmum, per quem fit membrum Corporis Chriſti, ſeu incorporatur Chriſto*: & ſententia 341. cui Titulus, *Qui edunt Corpus Chriſti*, dicit. *Eſcam vitæ accipit, & æternitatis poculum bibit, qui in Chriſto manet, & cuius Chriſtus eſt habitator*, &c. Quid clarius? In Epiſt. etiam ad *Demetriadem* fusè idem docet, & dicit, quod per Baptiſmum, quis *in Chriſti Corpus conuertitur*, &c. Et profitetur ſe ſequi ſuum *Magiſtrum*. Docet verò apertiſſimè Sacramentum Sanguinis & Corporis Chriſti participari per Baptiſmum, quod certè vel maximè inſeruit ad dignoſcendā mentē *Aug.*

Hæc igitur vult *Aug.* neminem ſcilicet ſaluari poſſe, qui non per Chriſti Paſsionē regeneratur ſeu incorporatur Chriſto in Baptiſmo.

Hoc denique docuit non ignobilis ille ſi quis alius *Auguſtini* ſectator *Fulgentius* de Fide ad *Petrum*. *Firmiſsimè tene, & nullatenus dubites, paruulis, qui nec propria voluntate credere, nec pœnitentiam pro peccato, quod originaliter trahunt, agere poſſunt, Sacramētum Fidei, quod eſt ſanctum baptiſma, quamdiu rationis eorum ætas capax non eſſe poteſt, ſufficere ad ſalutem.*

Nihil certe plenius hac de re dici vel deſiderari poteſt, & vt dixi quod præcipuum eſt, ad mentem ſui & omnium *Magiſtri Auguſtini* hæc protulit, & adeo *Auguſtinum* olet, quod multi hoc eius opus *Auguſtino* tribuerint.

9. Fuiſſe etiam Eccleſiæ ſenſum patet ex alijs Concilijs, v. g. *Arauſicano* primò ſub *Leone* primo Can. 11. vbi ſic habetur. *Subitò obmuteſcens (prout Statutum eſt) baptizari, aut pœnitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis præteritæ Teſtimonium aliorum verbis habet, præſentibus in ſuo nutu.* Vbi aperte conſtat, Patres hæc duo Sacramenta in ordine ad adultos de neceſsitate medij neceſſaria judicaſſe, prout etiam declarauit *Trid.* ſed de Euchariſtia nullam feciſſe mentionem, nec ordinationem

Digitized by Google

pro homine in extremis exiſtente: ſufficienter arguit ipſos non parem judicaſſe neceſsitatem, imò oſtendit Eccleſiam non adeo conſtanter miniſtraſſe Euchariſtiam, ſicut cætera duo.

10. ideò multi cùm *Aug.* neceſsitatem Euchariſtiæ inculcantes in ordine ad Infantes, de Spirituali intelligere volunt, hoc eſt de incorporatione cum Chriſto, vt loquutus eſt *Proſper.*

Vnde *Hugo* de Sacramentis l. 2. c. 20. ex *Aug. Nulli eſt aliquatenus ambigendum, tunc vnumquemque fidelium Corporis Sanguiniſque Domini participem fieri, quando in Baptiſmo Membrum Corporis Chriſti efficitur. Nec alienari ab illius panis conſortio, etiamſi antequam illum panem comedat & Calicem bibat, de hoc ſæculo in vnitate Corporis Chriſti abſcedat. Deinde quando Aug. dicit, non cogitetis vitam habere poſſe qui ſunt expertes Corporis & Sanguinis Domini*, vbi loquitur de Paruulis, vt patet De Conſecr. d. 4. c. *In Eccleſia. Adrianus* de Sacramento Baptiſmi a. 2. intelligit eum quoad ſpiritualem manducationem, quæ fit per Fidem & Charitatem, vt patet de Conſecr. d. 4. c. Nulli.

Tandem Doctiſsimus *Tuamenſis* in ſuo ex *Auguſtino* tractatu de *Statu Paruulorum* c. 23. de hac re agens dicit, *vita non habetur ſine manducatione Corporis Chriſti, ac ſocietate membrorum eius, quæ acquiritur per Baptiſmum Chriſti, quam iſti Sancti (vt colligitur ex Auguſtino l. 21. ciuit. c. 25. & tract. in Ioh. & ex Innoc. in Epiſt. ad Patres Concil. Mileu.) intelligunt per illam, ad vitam æternam habendam.* Hactenus hic magnus & juratiſsimus *Aug.* Diſcipulus. Quod etiam ibidem proſequitur. Cuius authoritas in eruendo ſenſum *Aug.* me & quoſuis alios côuincere debet, quippe plus minus 20. annos commoratus eſt in lectione *Aug.*

11. Alij *Auguſtinum* de ſumptione in voto intellexerunt, ſed quia difficile eſt concipi votum Infantum, in Eccleſiam refundunt quaſi votum Eccleſiæ ipſis ſufficeret. v. g. Dicunt Doctores omnia ferè Sacramenta ordinari ad Euchariſtiam, & vt dicit *Dyoniſ.* de Eccleſ. *Hier. Nullum ferè Sacramentum Hierarchici ordinis ſine Diuina Euchariſtia perficitur.* Et ideo ſumptio Baptiſmi in voto ſaltem Eccleſiæ comprehēdit ſumptionem Euchariſtiæ, & in hoc ſenſu neceſſariam eſſe Euchariſtiam etiam Infantibus.

12. Ego

12. Ego quidem præcipuè propter tot celebres eius ſectatores planè conuincor hanc eſſe ejus mentem. Aliqui tamen hoc volunt, ne ἀντιλογίας *Auguſtinum* accuſent. Quaſi & ipſe ſecundùm diuerſa pro diuerſis temporibus occurrentia Principia, non poſſet diuerſimodè opinari, quod in infinitis ſe feciſſe teſtatur.

Illi igitur qui tenerent *Aug.* voluiſſe Euchariſtiam Infantibus neceſſariam, facilè dicerent, nullas hic ἀντιλογίας, vel diuerſas *Aug.* ſententias interuenire. Sed ſubinde Euchariſtiæ ſpecificam non facit mentionem, quia illam ſufficienter intelligi putat in mentione Baptiſmi, eò quod ſemper conjungi ſolebant in Punicis ſaltem partibus, vt planè teſtatur. Et hinc in Ep. 153. *Martiano* ſcribens Catechumeno, dicit *Exhortor grauitatem, & prudentiam tuam, vt jam etiam fidelium Sacramenta percipias. Nec ſpecificat vnum vel alterum*, nempè quia pernotiſsimum erat illa duo in illis partibus coniungi ſolere.

Nec poteſt dici quòd *Auguſt.* mutauit ſententiam, nec poteſt tàm citò prioris ſuæ ſententiæ tàm ſolemnis obliuiſci, vt in eiſdem fermè locis aliter judicaret, quin ſaltem rationes, cur mutaſſet ſententiam, expoſuiſſet.

Dicerent igitur illi, quòd ſemper putabat eam æquè cum Baptiſmo neceſſariam, ſed non adeo conſtanter de Euchariſtia eſt locutus ac de altero; quia Controuerſia cum Pelagianis tangebat Baptiſmum non Euchariſtiam, & hoc ob peccatum Originale.

13. *Priuata* verò eius ſententia debet nos mouere, præſertim cum abundè conſtet alium fuiſſe & eſſe Eccleſiæ ſenſum, & vt ante dixi, ad *agibilia* reduci debet, quæ variari poſſunt ſecundùm eum.

Dixi *priuata ejus ſententia*, &c. quod inde colligi poſſet non obſcurè quia dum in verbis citatis, eam ad Trad. antiquam reducit, addit *vt exiſtimo*, & hoc ſine dubio propter praxim quam viderat. Hæc in gratiam ipſorum, qui tamen rigidè cortici verborum adhærere malunt.

14. Sed in rei veritate aliter dicendum judico, tum propter Eccleſiæ ſenſum apertiſsimè diuerſum (cui adhærere voluit) tum propter celeberrimos eius diſcipulos citatos, qui ejus modum loquendi exactè ſciebant. Vbique igitur intellexit de Spirituali manducatione ſeu in

voto

Digitized by Google

ninò quam frequenter viuere? Quater igitur nos ſingulis ſeptimanis communicamus. Dominico Die, feria quarta, in Paraſceue, & Sabbato, ſed & per dies etiam alios, ſi Martyris alicuius memoria celebretur. Quoniam verò per tẽpora illa perſecutionũ, cogebantur homines neceſſariò Sacerdote vel miniſtro non præſente proprijs manibus ſumere Cõmunionem, non eſt niſi ſuperuacuum vt demõſtrem illam ipſam rem non eſſe grauiter & iniquè ferendam: eo quod inueterata conſuetudo hoc ipſum re ipſa confirmatum dederat. Nam & illi omnes, qui per eremos vitam monaſticam inſtituunt, vbi copia non ſuppetit Sacerdotis cum habeant domi communionem, de ſuis manibus illam percipiunt. Alexandriæ autem & per Ægiptum vnuſquiſq; etiam de plebe, vt plurimum habet domi ſuæ Communionem. Nam cum ſemel Sacerdos ſacrificium peragat, & diſtribuat, qui ſuſceperit illud integrũ, ſimul ac quotidie de illa ſuſceperit, quam à dante acceperat Sacerdote, credere debet, & tenetur, nec injuria, ſe eandem ſuſcipere & percipere. Nam & in Eccleſia ipſa Sacerdos partem aliquam in manus tradit, & illam apprehẽdit; qui percipit, cum omni libera poteſtate, atque ita ſuis proprijs manibus eandem ſuo ori admotam ingerit, &c. Traditio illa in manuum alterius, & conſeruatio eiuſdem domi, & perceptio eiuſdem de omnibus proprijs, &c. nullo artificio poſſunt intelligi de Calice, ſed ſolum de pane conſecrato. Hoc ingenuè expendant omnes.

4. *Cypr.* etiam in libro de Lapſis, hoc ipſum teſtatur, vbi dicit *quandam mulierem Sacrificijs Idolorum contaminatam, cum Repoſitorium ſeu arcam ſuam in qua Sãctum Domini poſuerat, manibus pollutis tentaſſet aperire, ignis efflans eam terruit, nec tangere erat auſa.* Hæc cõſeruatio in arca & manuum contrectatio, apertiſsimè conuincunt etiam contra Proteruientem, vnius ſpeciei Communionem. In lib. etiam de Spectaculis narrat de *quodam feſtinanter eunte ad Spectacula, & ferente ſecum Euchariſtiam, vbi* æquè clarum eſt non poſſe intelligi de vtraque ſpecie, nec aliter hactenus ſomniatum eſt.

Tertullianus etiam vtriſque antiquior lib. de Oratione ſatis oſtendit, non adeo ſcrupuloſè tunc tẽporis vtriuſque ſpeciei ſumptioni in publica Communione inſtare ſolitos fuiſſe Chriſtianos, vſque adeo *accepto Corpore Stationem liceret ſoluere.* Hoc eſt antequam ſumerent Calicem.

Digitized by Google

5. Meritò igitur dicit Synodus *Conſtantienſis, fuiſſe olim laudabilem & approbatam Conſuetudinem*, & addit poſtea, *& diutiſſimè obſeruatum ſub vna ſpecie Communicandi*: fatetur quidem ſeſſ. 13. in *Primitiua Eccleſia fuiſſe adminiſtratum ſub vtraque*, ſed non dicit vniuerſaliter, nec dici potuit, tum ob praxim contrariam quoad Infantes, & etiam Adultos in caſibus aſsignatis. Prohibet verò *ſub Excommunicatione ne deinceps fiat ob irreuerentiam.*

Baſilienſis etiam ſeſſ. 30. dicit hanc Conſuetudinem *à Sanctis Patribus rationabiliter introductam, & hactenus diutiſſimè obſeruatam fuiſſe.*

6. In probationem harum Conciliarium determinationum, pono hoc argumentum. Eccleſia Dei in primis ſuis temporibus iudicauit hîc & nunc, ſeu in ordine ad has vel illas perſonas ſub hac vel illa ſpecie, & non ſub vtraque communicandum eſſe; ergo iudicare poteſt in ordine ad vniuerſam Eccleſiam, quod ſecundùm circumſtantias debitas communicandum ſit in vna ſpecie tantum. Antecedens patet ex ſuperius allatis. Conſequentia verò ſic deducitur.

7. Tota difficultas quæ prætenditur ab Aduerſarijs, eſt inſtitutio Chriſti ſub vtraque ſpecie: ſed Eccleſia Dei non poteſt plus diſpenſare in Chriſti inſtitutione, ſeu contraire eius inſtitutioni in ordine ad particulares perſonas, quam in ordine ad ipſam Eccleſiam ergo.

Dices fuiſſe neceſsitatem in illis caſibus, ſecus in vniuerſæ Eccleſiæ communione in vnica ſpecie.

Ad hoc dico duo. Primum quod ſi penes Eccleſiam ſit poteſtas iudicandi de neceſsitate huius vel illius perſonæ, æquè ſi non magis penes eam eſt poteſtas in ordine ad totum eius corpus; hoc negari non poteſt, nam aliàs Eccleſia non eſſet ſufficienter inſtructa in ordine ad ſeipſam, vel minus in ordine ad totum quam ad partes, quod eſt ridiculum. Secundùm. Quod ſi Chriſtus inſtituiſſet vtramque ſpeciem ſimpliciter neceſſariam: Eccleſia nunquam ordinaſſet in caſibus aſsignatis dari in vnica ſpecie; ſicut ob eam rationem nunquam auſa eſt permittere celebrationem ſeu conſecrationem ſub vnica ſpecie, quacunque neceſsitate ſuperueniente; Manifeſtum igitur eſt, Eccleſiam Dei nunquam iudicaſſe vtramque ſpeciem ex diuina inſtitutione *ſimpliciter*

Digitized by Google

pliciter neceſſariam. Et ideò optimè dicit *Caryophilus* Græcus contra *Gerganum* blaſphemia 55. *Si ſolo pane Sacrificaret* Sacerdos, imperfectum eſſet Sacrificium, quod Chriſtus Dominus in duabus inſtituit ſpeciebus: Sed peracto incruento Sacrificio, nec ipſe Chriſtus, nec Apoſtolus, nec perpetua conſuetudo Eccleſiæ adſtringit Laicos ad Communionem ſub vtraque ſpecie. Idcirco incruentum Sacrificium iuxta figuram *Melchiſedech* in ſpeciebus panis & vini conficitur, ad Communionem verò non ſpectat figura *Melchiſedech*. Et blaſphemias fruſtra euomunt diuiniſsimi Sacramenti oppugnatores.

8. Ex his Topis, optimo jure *Tridentinum* Communionem ſub vna ſpecie renouauit, niſi aliter hìc & nunc judicaret Summus Pontifex, qui *pro ſua ſingulari prudentia id efficiat, quod vtile Reipub. Chriſtianæ & ſalutare petentibus vſum Calicis Conjudicauerit*. Seſſ. 22.

CAPVT XXXXII.

De Sacramento Confeſsionis, quæritur an ſit de Fide, & ex quo capite: vbi multa vetera diſcutiuntur.

1. AD Sacramentum Confeſsionis quod attinet, duplicem Diuinæ Inſtitutionis indubitatum habet Titulum: manifeſtos ſcilicet Diuinæ Scripturæ Cõtextus cuiuis obuios, de quibus hic non quæritur, & continuatam ab ipſis Fidei Chriſtianæ primiordijs traditionem: quam hic breuiter oſtendo.

De naſcente Eccleſia conſtat tàm apud *Origenem* contra *Celſum*, præcipuè verò *Origenes* hoc habet ſuper *Pſal*. 37. vbi de publica & priuata Cõfeſsione clarè agit, poſtea declarabo. *Baſilius* etiã *de Inſtitutione Monachorum*, clare, & alibi, vt ſtatim declaro. Habetur etiam apud *Minutium Fælicem*, *Tertull.* & alios veteres vbi Gentiles, accuſabant Chriſtianos, quod Antiſtitis & Sacerdotis colebant Genitalia, nempè quando ad genua ejus procumbebant in peccatorum Confeſsione.

2. *Athanaſius* in Ep. ad *Serapionem* in illud. *Quicunque dixerit verbum contra filium hominis*, &c. exactè deſcribit differentiam inter Baptiſ-

Digitized by Google

mum & Pænitentiam ſecundùm doctrinam hodiernam. *Eſtque inter Pænitentiam & Baptiſmum non leue diſcrimen. Quem enim pænitet, is deſinit quidem peccare, ſed tamen retinet vulnerum Cicatrices.* Hoc eſt vt rectè docet Eccleſia, poſt abſolutionem remanet reatus ad ſatisfactionem. Pergit *Athan. Qui autem baptizatur, tum veterem hominem exuit, tum ſupernè renouatur, quaſi de integro regeneratus Spiritus Sancti gratia.* Hoc eſt omnis reatus culpa & pœna deletur, & inſuper gratia infunditur.

Niſſenus etiam orat. 11. contra *Eunom.* habetur to. 2. edit. Par. *Si enim venerandorum & honorabilium nominum ſanctæ Trinitatis confeſſio eſt inutilis, inutiles etiam ſunt Eccleſiæ Ritus in ijs, aut in ritibus eſt ſigillum*, deprecatio, baptiſma, *peccatorum confeſſio*, &c. græcè dicitur ἡ τῶν ἁμαρτιῶν ἐξαγόρευσις, hoc eſt peccatorum ſecretorum accuſatio.

3. *Auguſt.* tum alibi ſæpè, tum de Ciuitat. l. 20. c. 20. in Ep. 179. fusè hoc inter alia agit. *Quantus in Eccleſia fieri ſolet ab vtroque ſexu, atq; ab omni ætate concurſus, alijs Baptiſmum flagitantibus, alijs Reconciliationem, alijs etiam Pænitentiæ ipſius accuſationem*, &c. *Vbi ſi miniſtri deſunt, quantum exitium ſequitur eos qui de iſto ſæculo non regenenerati exeunt, vel ligati*, vbi æqualem ponit neceſsitatem in Baptiſmo & abſolutione pænitentiali. Legatur pro vtroque *Aug.* Ep. 118.

Hieronymus in *Matth.* c. 16. & in c. 10. Eccleſ. Exponens illud. *Si mordeat ſerpens in ſilentio* & ſexcenties alibi.

Baſilius Regula 288. & 229. *Chriſoſtomus* de Sacerdotio. Et qui cæteris antiquior *Cypr.* de Lapſis, quem poſtea particulariter expendam: *Petrus* etiam *Chryſologus* longè clariſsimè vt ſtatim conſtabit.

4. *Vetuſtus* etiam ille *Britanniæ* noſtræ Scriptor *Gildas* in voluminoſa Epiſt. *Confeſſionis* meminit. Exactè etiam Patriota noſter *Beda* in Hiſtoria l. 4. c. 25. & 27. Negari tamen non poteſt, non fuiſſe adeo frequentata à veteribus ante celebrationem Miſſæ, vt hodie laudabiliter, vt ex *Tert. Cypr. Hieron.* & *Aug.* & alijs ſexcẽties obſeruaui. Fortè putabant minora peccata etiã mortalia per Sacramentũ Euchariſtiæ deleri.

Et certè apud Antiquos non videtur hoc adeo crudum. Et ideo *S. Ephræm.* in l. de Sacerdotio, poſtquam multa præclarè dixerat de dignitate Sacerdotali ſub Euangelium præſertim in ordine ad tremenda

Sacrificia

Digitized by Google

Sacrificia ſubnectit. *Cumque oblata fuerint tremenda myſteria*, immortalitate plena, præuio Sacerdote orationem *pro cunctis faciente, tunc animæ accedentes, per illa myſteria, macularum purificationem accipiunt.* Vides homo, illuſtrẽ miraculi editionem? Cernis ſublime Sacrificiũ, quam *facile ſordes animarum eluat?* Et reuera hunc loquendi ſtilum frequens inuenio. Certè *Doctor Subtilis* 4. d. 9. q. 1. hoc vult in aliquibus ſaltem occurentijs v. g. poſt debitam examinationem, *Si qua alia peccata lateant per iſtud Sacramentum etiam remittuntur.* Si etiam contritus ad euitandum ſcandalum communicat, &c.

Popularis etiam noſter Cardinalis *Alanus* l. 2. c. 25 c. 33. & 52. & alibi, docet, quod ſub ratione tam Sacrificij quàm Sacramẽti poteſt dare primam gratiam, hoc eſt, tàm celebranti, quàm communicanti, vbi egregriè vtrumque declarat. Poſteriores etiam varij hoc præclarè docent, inter quos *Diana* non eſt numerandus vltimo loco, qui ſic rectè docet tract. 6. reſol. 98. *Euchariſtiæ Sacramentum non eſſe* à Chriſto inſtitutũ, ad conferendam primam gratiam, ſed ad conferendum augmentum eius; In duobus tamen caſibus illam conferre poteſt. Primò ſi quis diligenter diſcuſsit conſcientiam ſuam, & nullius culpæ conſcius: fuit tunc ſi cum dolore accedat ad Communionem, ex attrito per Euchariſtiam fit contritus, & accipiet primam gratiam. Secũdò ſi quis memor eſt peccati mortalis, & de illo habeat attritionem, quam putat eſſe contritionem, ſi vrgeat neceſsitas communicandi & ſacerdos non adſit, &c. Sed *D. Subtilis*, non adeò ſcrupuloſè ponit. Sed ſi non habeat *idoneum confeſſorem:* quod valde notandum eſt. Hæc obiter ad conſolationem frequenter celebrantium & communicantiũ.

Baptiſmus licet indubiè ſemper æſtimabatur neceſſarius, tamen non adeò frequentabatur vt hodie, vt patet in Concil. *Matiſconenſi* can. 3. & *Antiſidorenſi* can. 18. & *Triburienſi* can. 12. *Tertull.* lib. de Pænitentia, dilationes illas acriter pungit, prout *Niſſenus* in duabus Orationbus contra *eos qui differunt baptiſmum*, ſunt admodũ elegãtes. Nihil eſt magis obuium apud veteres, vt videre eſt apud *Nazianzenum* de matre, ſorore ac fratre orat. 10. & alibi, orat. 11. Apud *Ambroſium* de ſubitanea morte Imperatoris, hominis pij, *Valentiniani* iunioris & ſexcentas alias perſonas erga Chriſtum deuotiſsimas; quod in vtroque

Vbique valde conſtans & reſolutus videtur.

Cypr. Ep. 107. æqualem etiam ponit neceſsitatem vtriuſque in ordine ad Paruulos. Qui etiam de lapſis apud *Aug.* Ep. 23. conſuetudinis communicandi Infantes meminit. Quod etiam legi poſtea apud eum. Videtur etiam ante eos *Dionyſius* de Eccleſ. *Hier.* c. 2. p. 2. & 3. Paruulorum Communionem inter Apoſtolicos Baptiſmi ritus recenſere.

Pontius Paulinus Baptiſmum & Euchariſtiam (morem Eccleſiæ deſcribens) jungit in ſuis verſibus apud *Rhenanum* in argumento lib. *Tertull.* de *Corona Militis*, & ibidem adfert *Hieronymum* ſuper *Iſaiam*.

Faber Scholiaſtes in alijs antiquitatum monumentis de Infantum Communione ſic refert inueniri. *Si Epiſcopus adeſt ſtatim confirmari oportet; poſtea, Communicari.*

D. Tho. dicit ſuo etiamnum tempore Græcos, communicaſſe paruulos, p. 3. q. 80. a. 9. ad 3. Ad regulam igitur ſuperius datam in huiuſmodi difficultatibus ſemper recurrendum eſt.

6. Nam vt patet in *Florentino* cum pleno vtriuſque Eccleſiæ conſenſu definitum eſt, *Illorum animas qui poſt Baptiſma ſuſceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt*, &c. *In cælum mox recipi & intueri clarè Deum trinum & vnum ſicuti eſt*, &c. Et certè hic ſtilus conſtantiſsimus Eccleſiæ in omnibus Concilijs, illum etiam *fuiſſe vniuerſalis* Eccleſiæ ſenſum in hac materia, paſsim habetur in aliorum Sãctorum Patrum ſcriptis, qui Baptiſmum ſufficere ad ſalutem vbique prædicarunt.

Baſil. l. de Baptiſmo c. 2. *Qui enim mortuus eſt (ideſt Baptizatus) juſtificatus eſt, liberatus eſt, ab omni peccato repurgatus eſt, non ſolum quod operibus ac verbis, ſed quod & ipſis Cogitationũ affectibus ſit commiſſum*, &c.

In hom. etiam 13. quæ eſt exhortatio ad Baptiſmum, vocat eum *viaticum*, & de eius effectibus ediſſerens, dicit, quod *Baptiſmus eſt Captiuorum & æris alieni remiſsio, peccati mors, animæ regeneratio; amictus ſplendens, ſignum quod nulla fraude adulterari poteſt, vehiculum ad cælum, Regni cæleſtis Conciliatio, Adoptionis gradus*, &c. Multus eſt & frequens in hoc ſtilo.

Imò.

Imò ipſe *Aug.* ſæpiſsimè *fatetur remiſsionem peccatorum & vitam æternam haberi poſt Baptiſmum* v. g. l. 2. De peccatorũ meritis ac remiſſ. c. 7. De Prædeſtinatione Sanctorum l. 1. c. 12. Dicit *Regenerationem haberi per Baptiſmum.* Addit. *Hoc Catholica Fides nouit.* Et c. 14. clarius. Et etiam l. 2. ſub finem cap. 12. & clariſsimè Ep. 105. Sic etiam Ep. 50. & 54. & 57. fusè. Ep. etiam 59. non ſolùm quoad juſtificationem, ſed vitam æternam. Sic etiam Ep. 89. poſt initium. In eadem Epiſtola in ſolutione tertiæ quæſtionis.

Pro Coronide ſit Ep. 23. ſub finem. Item de Prædeſt. Sanctorum l. 1. c. 12. In his & ſexcentis alijs locis, tàm Peccatorum remiſsionem quàm vitam æternam concedit Baptiſmo. Non ad longum refero verba, ne ſim tædio lectori.

Ad eundem planè ſenſum loquitur *Diuus Petrus Chryſologus* ſerm. 137. *Chriſti Baptiſma, ſic regenerat, ſic immutat, ſic hominem reddit ex vetere nouum, vt præterita neſciat, non recordetur antiqua, qui de terreno cæleſtis jam cæleſtia poſsidet & diuina,* &c.

Tandem præ omnibus alijs, luculentum dat teſtimonium *Hieronymus* in Dialogo aduerſus *Luciferianos*, non longè à medio, vbi de hac re ediſſerens, hæc habet verba. *Si ad Epiſcopi tantum imprecationem, Spiritus Sanctus defluit* (nempè in Confirmatione quæ ab Epiſcopis ſolis dari ſolebat, vt ibidem teſtatur) *lugendi ſunt qui in vinculis aut in Caſtellis, aut in remotioribus locis per Presbyteros & Diaconos Baptizati ante dormierunt, quàm ab Epiſcopis inuiſerentur.* Plura ibi habet ad hoc propoſitum.

Patet etiam in Concilio *Eliberis* in Hiſpania celebrato, Can. 77. tempore *Silueſtri* 1. vbi decernitur. *Quod ſi quis Diaconus regens plebem ſine Epiſcopo vel Presbytero aliquos baptizauerit, Epiſcopus eos, per Benedictionem perficere debebit. Quod ſi ante de ſæculo receſſerit, ſub Fide qua quis crediderit, poterit eſſe juſtus.* Saluari ergo poſſunt Baptizati ſine Communione Euchariſtiæ, tàm ex *Hieronymo* cauſam fidelium ibi agente, quàm ex hoc Concilio grauiſsimo.

7. Notandum verò ad majorem horum & ſimilium locorum efficaciam, quod non ſolebant communicari, niſi poſt cõfirmationem, vt

Digitized by Google

ibidem, & ex ſuperius allatis, & paſsim alibi patet apud veteres.

Quod etiam declarat *Dionyſius* loco citato c. 2. p. 2. *Pontifex diuino ac deifico prorſus vnguento virum ſignans, ſacratiſſimæ communionis participem facit.*

Vnde *Cypr*. Ep. 70. ad *Ianuarium* & cæteros Epiſcopos *Numidas*, dicit, *vngi quoque neceſſe eſt eum, qui Baptizatus eſt, vt accepto Chriſmate, id eſt vnctione, eſſe vnctus Dei, & habere in ſe gratiam Chriſti poſſit, Porrò autem Euchariſtia, & vndè Baptizati vnguntur,* &c. Vbi clarè oſtendit, ex ordine quem ponit, modum fuiſſe, baptizare, vngere, & vltimò Euchariſtiam dare.

Et in Ritualibus antiquis, præſertim in noſtro *Sariſburienſi* (vt vocant) ſic habetur. *Si Epiſcopus adſit ſtatim eum confirmari oportet, & poſtea communicari,* &c.

Clarè etiam in Conc. *Laodic*. Can. 7. in fine *inunctos etiam Sancto Chriſmate, diuino Sacramento communicare conuenit.* Hoc Concilium totius Eccleſiæ manifeſtat ſenſum, nam vniuerſim receptum eſt, etiam in Trullo, &c.

Ex quibus omnibus manifeſtè conſtat, quod caſu quo Epiſcopus abſuerit, vt ferè ſemper contigiſſe neceſſum eſt, ſi Eccleſiæ œconomiam ſpectemus, conſequens eſt, quod interea morientes baptizati, ſaluarentur ſine Communione Euchariſtiæ, & hoc in judicio & ſenſu communi Eccleſiæ.

Deindè vel maximè obſeruandum eſt, quòd *Diuinus Dionyſius* habet de Eccleſ. *Hier*. p. 1. c. 3. agens de ijs quæ in ſynaxi, ſanctáque Communione fiunt. *Neq; enim fermè fas eſt Sacerdotalis muneris myſterium aliquod peragi, niſi diuinum illud Euchariſtiæ auguſtiſſimumq; Sacramentum compleat*, &c. Conſuetudo igitur communicandi paruulos poſt baptiſmum, &c. non oriebatur ex concepta opinione de ejus neceſsitate, ſed ex illa altera conſuetudine complendi Sacerdotalia munera per Euchariſtiæ Sacramentum.

8. Fideliſsimus tandem *Auguſtini* diſcipulus *Oroſius* in Apologia ſic loquitur. *Lauacrum regenerationis quod accipere poſſent, per quod ſalui fierent, non acceperunt, iuſtè vtique damnantur*, &c. Salus igitur per ſolum

Baptiſmum

Baptiſmum habebatur in eius ſententia, qui etiam per omnia calle-bat & ſequebatur mentem *Auguſtini.*

Proſper etiam *Feruidus* eius ſectator, hoc vbique docet in libro ſententiarum *Auguſtini* & alibi, & in Epiſt. ad *Aug.* per *Sacramentum Sanguinis Chriſti, intelligit Chriſti paſsionem, quam vnuſquiſq; participat, qui per Dei gratiam regeneratur.* In reſponſione etiam ad objectionem nonam Gallorum patenter aſſerit, *æternam vitam haberi per Bapiſmum, per quem fit membrum Corporis Chriſti, ſeu incorporatur Chriſto*: & ſententia 341. cui Titulus, *Qui edunt Corpus Chriſti*, dicit. *Eſcam vitæ accipit, & æternitatis poculum bibit, qui in Chriſto manet, & cuius Chriſtus eſt habitator*, &c. Quid clarius? In Epiſt. etiam ad *Demetriadem* fusè idem docet, & dicit, quod per Baptiſmum, quis *in Chriſti Corpus conuertitur*, &c. Et profitetur ſe ſequi ſuum *Magiſtrum.* Docet verò apertiſſimè Sacramentum Sanguinis & Corporis Chriſti participari per Baptiſmum, quod certè vel maximè inſeruit ad dignoſcendã mentẽ *Aug.*

Hæc igitur vult *Aug.* neminem ſcilicet ſaluari poſſe, qui non per Chriſti Paſsionẽ regeneratur ſeu incorporatur Chriſto in Baptiſmo.

Hoc denique docuit non ignobilis ille ſi quis alius *Auguſtini* ſectator *Fulgentius* de Fide ad *Petrum. Firmiſsimè tene, & nullatenus dubites, paruulis, qui nec propria voluntate credere, nec pænitentiam pro peccato, quod originaliter trahunt, agere poſſunt, Sacramẽtum Fidei, quod eſt ſanctum baptiſma, quamdiu rationis eorum ætas capax non eſſe poteſt, ſufficere ad ſalutem.*

Nihil certe plenius hac de re dici vel deſiderari poteſt, & vt dixi quod præcipuum eſt, ad mentem ſui & omnium *Magiſtri Auguſtini* hæc protulit, & adeo *Auguſtinum* olet, quod multi hoc eius opus *Auguſtino* tribuerint.

9. Fuiſſe etiam Eccleſiæ ſenſum patet ex alijs Concilijs, v. g. *Arauſicano* primò ſub *Leone* primo Can. 11. vbi ſic habetur. *Subitò obmuteſcens (prout Statutum eſt) baptizari, aut pænitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis præteritæ Teſtimonium aliorum verbis habet, præſentibus in ſuo nutu.* Vbi aperte conſtat, Patres hæc duo Sacramenta in ordine ad adultos de neceſsitate medij neceſſaria judicaſſe, prout etiam declarauit *Trid.* ſed de Euchariſtia nullam feciſſe mentionem, nec ordinationem

 pro

Digitized by Google

pro homine in extremis exiſtente : ſufficienter arguit ipſos non parem judicaſſe neceſsitatem, imò oſtendit Eccleſiam non adeo conſtanter miniſtraſſe Euchariſtiam, ſicut cætera duo.

10. ideò multi cùm *Aug.* neceſsitatem Euchariſtiæ inculcantes in ordine ad Infantes, de Spirituali intelligere volunt, hoc eſt de incorporatione cum Chriſto, vt loquutus eſt *Proſper.*

Vnde *Hugo* de Sacramentis l. 2. c. 20. ex *Aug. Nulli eſt aliquatenus ambigendum, tunc vnumquemque fidelium Corporis Sanguiniſque Domini participem fieri, quando in Baptiſmo Membrum Corporis Chriſti efficitur. Nec alienari ab illius panis conſortio, etiamſi antequam illum panem comedat & Calicem bibat, de hoc ſæculo in vnitate Corporis Chriſti abſcedat. Deinde quando Aug. dicit, non cogitetis vitam habere poſſe qui ſunt expertes Corporis & Sanguinis Domini,* vbi loquitur de Paruulis, vt patet De Conſecr. d. 4. c. *In Eccleſia. Adrianus* de Sacramento Baptiſmi a. 2. intelligit eum quoad ſpiritualem manducationem, quæ fit per Fidem & Charitatem, vt patet de Conſecr. d. 4. c. Nulli.

Tandem Doctiſsimus *Tuamenſis* in ſuo ex *Auguſtino* tractatu de *Statu Paruulorum* c. 23. de hac re agens dicit, *vita non habetur ſine manducatione Corporis Chriſti, ac ſocietate membrorum eius, quæ acquiritur per Baptiſmum Chriſti, quam iſti Sancti (vt colligitur ex Auguſtino l. 21. ciuit. c. 25. & tract. in Ioh. & ex Innoc. in Epiſt. ad Patres Concil. Mileu.) intelligunt per illam, ad vitam æternam habendam.* Hactenus hic magnus & iuratiſsimus *Aug.* Diſcipulus. Quod etiam ibidem proſequitur. Cuius authoritas in eruendo ſenſum *Aug.* me & quoſuis alios conuincere debet, quippe plus minus 20. annos commoratus eſt in lectione *Aug.*

11. Alij *Auguſtinum* de ſumptione in voto intellexerunt, ſed quia difficile eſt concipi votum Infantum, in Eccleſiam refundunt quaſi votum Eccleſiæ ipſis ſufficeret. v. g. Dicunt Doctores omnia ferè Sacramenta ordinari ad Euchariſtiam, & vt dicit *Dyoniſ.* de Eccleſ. *Hier. Nullum ferè Sacramentum Hierarchici ordinis ſine Diuina Euchariſtia perficitur.* Et ideo ſumptio Baptiſmi in voto ſaltem Eccleſiæ comprehēdit ſumptionem Euchariſtiæ, & in hoc ſenſu neceſſariam eſſe Euchariſtiam etiam Infantibus.

12. Ego

Digitized by Google

12. Ego quidem præcipuè propter tot celebres eius ſectatores plane conuincor hanc eſſe ejus mentem. Aliqui tamen hoc volunt, ne ἀντιλογίας *Auguſtinum* accuſent. Quaſi & ipſe ſecundùm diuerſa pro diuerſis temporibus occurrentia Principia, non poſſet diuerſimodè opinari, quod in infinitis ſe feciſſe teſtatur.

Illi igitur qui tenerent *Aug.* voluiſſe Euchariſtiam Infantibus neceſſariam, facilè dicerent, nullas hic ἀντιλογίας, vel diuerſas *Aug.* ſententias interuenire. Sed ſubinde Euchariſtiæ ſpecificam non facit mentionem, quia illam ſufficienter intelligi putat in mentione Baptiſmi, eò quod ſemper conjungi ſolebant in Punicis ſaltem partibus, vt planè teſtatur. Et hinc in Ep. 153. *Martiano* ſcribens Catechumeno, dicit *Exhortor grauitatem, & prudentiam tuam, vt jam etiam fidelium Sacramenta percipias. Nec ſpecificat vnum vel alterum*, nempè quia pernotiſsimum erat illa duo in illis partibus coniungi ſolere.

Nec poteſt dici quòd *Auguſt.* mutauit ſententiam, nec poteſt tàm citò prioris ſuæ ſententiæ tàm ſolemnis obliuiſci, vt in eiſdem fermè locis aliter judicaret, quin ſaltem rationes, cur mutaſſet ſententiam, expoſuiſſet.

Dicerent igitur illi, quòd ſemper putabat eam æquè cum Baptiſmo neceſſariam, ſed non adeo conſtanter de Euchariſtia eſt locutus ac de altero; quia Controuerſia cum Pelagianis tangebat Baptiſmum non Euchariſtiam, & hoc ob peccatum Originale.

13. *Priuata* verò eius ſententia debet nos mouere, præſertim cum abundè conſtet alium fuiſſe & eſſe Eccleſiæ ſenſum, & vt ante dixi, ad *agibilia* reduci debet, quæ variari poſſunt ſecundùm eum.

Dixi *priuata ejus ſententia*, &c. quod inde colligi poſſet non obſcurè quia dum in verbis citatis, eam ad Trad. antiquam reducit, addit *vt exiſtimo*, & hoc ſine dubio propter praxim quam viderat. Hæc in gratiam ipſorum, qui tamen rigidè cortici verborum adhærere malunt.

14. Sed in rei veritate aliter dicendum judico, tum propter Eccleſiæ ſenſum apertiſsimè diuerſum (cui adhærere voluit) tum propter celeberrimos eius diſcipulos citatos, qui ejus modum loquendi exactè ſciebant. Vbique igitur intellexit de Spirituali manducatione ſeu in

voto

Digitized by Google

ninò quam frequenter viuere? Quater igitur nos ſingulis ſeptimanis communicamus. Dominico Die, feria quarta, in Paraſceue, & Sabbato, ſed & per dies etiam alios, ſi Martyris alicuius memoria celebretur. Quoniam verò per tẽpora illa perſecutionũ, cogebantur homines neceſſariò Sacerdote vel miniſtro non præſente proprijs manibus ſumere Cõmunionem, non eſt niſi ſuperuacuum vt demõſtrem illam ipſam rem non eſſe grauiter & iniquè ferendam: eo quod inueterata conſuetudo hoc ipſum re ipſa confirmatum dederat. Nam & illi omnes, qui per eremos vitam monaſticam inſtituunt, vbi copia non ſuppetit Sacerdotis cum habeant domi communionem, de ſuis manibus illam percipiunt. Alexandriæ autem & per Ægiptum vnuſquiſq; etiam de plebe, vt plurimum habet domi ſua Communionem. Nam cum ſemel Sacerdos ſacrificium peragat, & diſtribuat, qui ſuſceperit illud integrũ, ſimul ac quotidie de illa ſuſceperit, quam à dante acceperat Sacerdote, credere debet, & tenetur, nec injuria, ſe eandem ſuſcipere & percipere. Nam & in Eccleſia ipſa Sacerdos partem aliquam in manus tradit, & illam apprehẽdit; qui percipit, cum omni libera poteſtate, atque ita ſuis proprijs manibus eandem ſuo ori admotam ingerit, &c. Traditio illa in manuum alterius, & conſeruatio eiuſdem domi, & perceptio eiuſdem de omnibus proprijs, &c. nullo artificio poſſunt intelligi de Calice, ſed ſolum de pane conſecrato. Hoc ingenuè expendant omnes.

4. *Cypr.* etiam in libro de Lapſis, hoc ipſum teſtatur, vbi dicit *quandam mulierem Sacrificijs Idolorum contaminatam, cum Repoſitorium ſeu arcam ſuam in qua Sãctum Domini poſuerat, manibus pollutis tentaſſet aperire, ignis efflans eam terruit, nec tangere erat auſa.* Hæc cõſeruatio in arca & manuum contrectatio, apertiſsimè conuincunt etiam contra Proteruientem, vnius ſpeciei Communionem. In lib. etiam de Spectaculis narrat de *quodam feſtinanter eunte ad Spectacula, & ferente ſecum Euchariſtiam, vbi* æquè clarum eſt non poſſe intelligi de vtraque ſpecie, nec aliter hactenus ſomniatum eſt.

Tertullianus etiam vtriſque antiquior lib. de Oratione ſatis oſtendit, non adeo ſcrupuloſè tunc tẽporis vtriuſque ſpeciei ſumptioni in publica Communione inſtare ſolitos fuiſſe Chriſtianos, vſque adeo *accepto Corpore Stationem liceret ſoluere.* Hoc eſt antequam ſumerent Calicem.

5. Meritò igitur dicit Synodus *Conſtantienſis, fuiſſe olim laudabilem & approbatam Conſuetudinem*, & addit poſtea, *& diutiſſimè obſeruatum ſub vna ſpecie Communicandi*: fatetur quidem ſeſſ. 13. in *Primitiua Eccleſia fuiſſe adminiſtratum ſub vtraque*, ſed non dicit vniuerſaliter, nec dici potuit, tum ob praxim contrariam quoad Infantes, & etiam Adultos in caſibus aſsignatis. Prohibet verò *ſub Excommunicatione ne deinceps fiat ob irreuerentiam.*

Baſilienſis etiam ſeſſ. 30. dicit hanc Conſuetudinem *à Sanctis Patribus rationabiliter introductam, & hactenus diutiſſimè obſeruatam fuiſſe.*

6. In probationem harum Conciliarium determinationum, pono hoc argumentum. Eccleſia Dei in primis ſuis temporibus iudicauit hìc & nùnc, ſeu in ordine ad has vel illas perſonas ſub hac vel illa ſpecie, & non ſub vtraque communicandum eſſe; ergo iudicare poteſt in ordine ad vniuerſam Eccleſiam, quod ſecundùm circumſtantias debitas communicandum ſit in vna ſpecie tantum. Antecedens patet ex ſuperius allatis. Conſequentia verò ſic deducitur.

7. Tota difficultas quæ prætenditur ab Aduerſarijs, eſt inſtitutio Chriſti ſub vtraque ſpecie: ſed Eccleſia Dei non poteſt plus diſpenſare in Chriſti inſtitutione, ſeu contraire eius inſtitutioni in ordine ad particulares perſonas, quam in ordine ad ipſam Eccleſiam ergo.

Dices fuiſſe neceſsitatem in illis caſibus, ſecus in vniuerſæ Eccleſiæ communione in vnica ſpecie.

Ad hoc dico duo. Primum quod ſi penes Eccleſiam ſit poteſtas iudicandi de neceſsitate huius vel illius perſonæ, æquè ſi non magis penes eam eſt poteſtas in ordine ad totum eius corpus; hoc negari non poteſt, nam aliàs Eccleſia non eſſet ſufficienter inſtructa in ordine ad ſeipſam, vel minus in ordine ad totum quam ad partes, quod eſt ridiculum. Secundùm. Quod ſi Chriſtus inſtituiſſet vtramque ſpeciem ſimpliciter neceſſariam: Eccleſia nunquam ordinaſſet in caſibus aſsignatis dari in vnica ſpecie; ſicut ob eam rationem nunquam auſa eſt permittere celebrationem ſeu conſecrationem ſub vnica ſpecie, quacunque neceſsitate ſuperueniente; Manifeſtum igitur eſt, Eccleſiam Dei nunquam iudicaſſe vtramque ſpeciem ex diuina inſtitutione *ſimpliciter*

Digitized by Google

pliciter neceſſariam. Et ideò optimè dicit *Caryophilus* Græcus contra *Gerganum* blaſphemia 55. *Si ſolo pane Sacrificaret* Sacerdos, imperfe-ctum eſſet Sacrificium, quod Chriſtus Dominus in duabus inſtituit ſpeciebus: Sed peracto in cruento Sacrificio, nec ipſe Chriſtus, nec Apoſtolus, nec perpetua conſuetudo Eccleſiæ adſtringit Laicos ad Communionem ſub vtraque ſpecie. Idcirco incruentum Sacrificium iuxta figuram *Melchiſedech* in ſpeciebus panis & vini conficitur, ad Communionem verò non ſpectat figura *Melchiſedech*. Et blaſphe-mias fruſtra euomunt diuiniſsimi Sacramenti oppugnatores.

8. Ex his Topis, optimo jure *Tridentinum* Communionem ſub vna ſpecie renouauit, niſi aliter hîc & nunc judicaret Summus Pontifex, qui *pro ſua ſingulari prudentia id efficiat, quod vtile Reipub. Chriſtianæ & ſalutare petentibus vſum Calicis Conjudicauerit*. Seſſ. 22.

CAPVT XXXXII.

De Sacramento Confeſsionis, quæritur an ſit de Fide, & ex quo capite: vbi multa vetera diſcutiuntur.

1. AD Sacramentum Confeſsionis quod attinet, duplicem Diuinæ Inſtitutionis indubitatum habet Titulum: manifeſtos ſcilicet Diuinæ Scripturæ Cõtextus cuiuis obuios, de quibus hic non quæritur, & continuatam ab ipſis Fidei Chriſtianæ primiordijs traditionem: quam hic breuiter oſtendo.

De naſcente Eccleſia conſtat tàm apud *Origenem* contra *Celſum*, præcipuè verò *Origenes* hoc habet ſuper *Pſal*. 37. vbi de publica & pri-uata Cõfeſsione clarè agit, poſtea declarabo. *Baſilius* etiã *de Inſtitutione Monachorum*, clare, & alibi, vt ſtatim declaro. Habetur etiam apud *Minutium Fælicem*, *Tertull*. & alios veteres vbi Gentiles, accuſabant Chriſtianos, quod Antiſtitis & Sacerdotis colebant Genitalia, nempè quando ad genua ejus procumbebant in peccatorum Confeſsione.

2. *Athanaſius* in Ep. ad *Serapionem* in illud. *Quicunque dixerit verbum contra filium hominis*, &c. exactè deſcribit differentiam inter Baptiſ-

Digitized by Google

Sacrificia ſubnectit. *Cumque oblata fuerint tremenda myſteria*, im mortalitate plena, præuio Sacerdote orationem *pro cunctis faciente, tunc animæ accedentes, per illa myſteria, macularum purificationem accipiunt.* Vides homo, illuſtrẽ miraculi editionem? Cernis ſublime Sacrificiũ, quam *facile ſordes animarum eluat?* Et reuera hunc loquendi ſtilum frequens inuenio. Certè *Doctor Subtilis* 4. d. 9. q. 1. hoc vult in aliquibus ſaltem occurentijs v. g. poſt debitam examinationem, *Si qua alia peccata lateant per iſtud Sacramentum etiam remittuntur.* Si etiam contritus ad euitandum ſcandalum communicat, &c.

Popularis etiam noſter Cardinalis *Alanus* l. 2. c. 25 c. 33. & 52. & alibi, docet, quod ſub ratione tam Sacrificij quàm Sacramẽti poteſt dare primam gratiam, hoc eſt, tàm celebranti, quàm communicanti, vbi egregriè vtrumque declarat. Poſteriores etiam varij hoc præclarè docent, inter quos *Diana* non eſt numerandus vltimo loco, qui ſic rectè docet tract. 6. reſol. 98. *Euchariſtiæ Sacramentum non eſſe* à Chriſto inſtitutũ, ad conferendam primam gratiam, ſed ad conferendum augmentum eius; In duobus tamen caſibus illam conferre poteſt. Primò ſi quis diligenter diſcuſsit conſcientiam ſuam, & nullius culpæ conſcius: fuit tunc ſi cum dolore accedat ad Communionem, ex attrito per Euchariſtiam fit contritus, & accipiet primam gratiam. Secũdò ſi quis memor eſt peccati mortalis, & de illo habeat attritionem, quam putat eſſe contritionem, ſi vrgeat neceſsitas communicandi & ſacerdos non adſit, &c. Sed *D. Subtilis*, non adeò ſcrupuloſè ponit. Sed ſi non habeat *idoneum confeſſorem:* quod valde notandum eſt. Hæc obiter ad conſolationem frequenter celebrantium & communicantiũ.

Baptiſmus licet indubiè ſemper æſtimabatur neceſſarius, tamen non adeò frequentabatur vt hodie, vt patet in Concil. *Matiſconenſi* can. 3. & *Antiſidorenſi* can. 18. & *Triburienſi* can. 12. *Tertull.* lib. de Pænitentia, dilationes illas acriter pungit, prout *Niſſenus* in duabus Orationbus contra *eos qui differunt baptiſmum*, ſunt admodũ elegãtes. Nihil eſt magis obuium apud veteres, vt videre eſt apud *Nazianzenum* de matre, ſorore ac fratre orat. 10. & alibi, orat. 11. Apud *Ambroſium* de ſubitanea morte Imperatoris, hominis pij, *Valentiniani* iunioris & ſexcentas alias perſonas erga Chriſtum deuotiſsimas; quod in vtroque

Digitized by Google

Sacramento poſterior Eccleſiæ praxis ſalubriter correxit.

5. Quoad Confeſsionem autem optimum eſt teſtimonium *Gelaſij primi. Nullum* inquit *eſt peccatum pro quo aut non oret Eccleſia remittendum, aut quod data ſibi diuinitus poteſtate deſiſtentibus ab eodem non poſſit abſoluere,* &c. Hæc habentur in Tomo ſuo de vinculo Anathematis ſuper acta Concilij *Chalcedonenſis.*

Scio hæc verba, ſicut etiam ſuperiùs allata ex *Aug.* intelligi poſſe de publica Confeſsione, quam etiam haud imptobabiliter cõtendunt aliqui fuiſſe Sacramentalem; quod pauliſper expendendum erit. Eſt verò certum, ſemper fuiſſe in vſu ſecretam Confeſsionem ab initio Eccleſiæ, vt conſtabit ex dicendis, & ſatis declarat Concil. *Cabilon.* c. 33. ſed quæſtio poteſt eſſe, an non pro ratione circumſtantiarum ſubindè fieret publicè & ſacramentaliter, hoc eſt, an non vtroque modo fieret cum vera ratione Sacramenti?

Scotus 4. d. 17. q. vnica agens de Confeſsione, dicit *forum iſtud ex natura ſecretiſſimum,* adeò vt videatur velle eſſe de ratione Sacramenti Confeſsionis, quod ſit ſecreta. Sed mens Doctoris eſt, quod Confeſſio in quantum eſt publica, per accidens ſe habeat ad rationem Sacramenti, quia ratio Sacramenti conſiſtit in accuſatione ſuipſius apud Iudicem in ordine ad abſolutionem ſacramentalem, non igitur ratio publicæ Confeſsionis ingreditur illam rationem, ſed eſt ei extrinſeca & impertinens: vult igitur quod *quantum ad modum, non ſit ſacramentalis,* cum quo benè conſiſtit quod ſit quantum ad ſubſtantiam: nec aliud requiritur quam quod à Chriſto non fuerit prohibitum publicè peccata etiam ſecreta confiteri, vt etiam in *Tridentino* habetur. Non igitur deſinit eſſe Sacramentum ex eo quod Confeſsio ſit publica.

Profectò videtur *Tertull.* in lib. de Pœnitentia hoc planè voluiſſe, nam Pœnitentiam (quam vocant) ſecundam, ſeu ἐξομολογήσει, vbi agit de publica Confeſsione, in qua mos erat Preſbyteris aduolui, & aris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis ſuæ *iniungere,* &c. quæ non ſtant cum ſecreta; hanc tamen non minùs certam facit Baptiſmo, *quem* vocat *intinctionem Pænitentiæ*, quinimò quoad effectum abſolutionis à Prælato prorſus adæquat, quod certè dici

dici non poſſet, ſi rationem Sacramenti non haberet: æqualem etiam ponit neceſsitatem poſt Naufragium ibidem, ſic *Hieronymus* ſic *Aug.* citatus.

Imo verba *Gregorij Niſſeni* citata quæ omni dubio procul (vt vel proteruientibus patet) intelligẽda ſunt de Sacramentali; vbi æquiparat Baptiſmo & Confirmationi: tamen verbum quo vſus eſt ἐξαγόρευσις in rigore ſignificare videtur, non quamcunque accuſationem ſeu declarationem mentalium ſeu ſecretorum peccatorum τῶν ἁμαρτιῶν, ſed *publicam.* Vnde apud *Plut.* ἐξαγορευων τα αυτα κακα hoc eſt *palam* efferre, ſeu profiteri in publicum, &c. Et vel ex hoc videtur euidens, quod componatur ſeu deriuetur ab αγορευω vel αγορεω, quod eſt concionem habere in publico.

Conſequens igitur eſt non eſſe de Sacramenti eſſentia, quod fiat ſecretò, ſeu ad aurem, licet aliqui hoc velint etiam valdè docti; ſed quicquid ſit de hoc, Patres citati tàm ſecretam, quàm publicam docent ſecundùm diuerſas circumſtantias de quibus agunt.

6. Obijcere ſolent *Chriſoſtomum* hom. 41. *Non tibi dico vt te prodas in publicum, neque vt te apud alios accuſes; ſed obedire te volo Prophetæ dicenti Reuela Domino viam tuam.* hom. etiam 2. in Pſalm. *Miſerere* idem habet.

Sed non ſatis mirari poſſum quod ex hac locutionis forma inferre velint Confeſsionis præſertim ſecretæ prohibitionem, cum apud veteres nihil frequentius, quam ſub hoc loquendi modo diſtinguere peccatorum confeſsionem, à cæteris hominum Colloquijs. Vnde.

Tertull. l. de Pænitentia dicit, *Huius igitur pænitentiæ ſecundæ & vnius, quantò in arcto negotium eſt, tantò operoſior probatio, vt non ſola conſcientia proferatur ſed aliquo etiam actu adminiſtretur. Is autem actus magis Græco vocabulo exprimitur & frequentatur, Exomologeſis eſt quâ delictum Domino noſtrum confitemur, non quidem ignaro*, &c. Poſtea. *Ergo cum te ad fratrum genua protendis, Chriſtum contrectas, Chriſtum exoras.* Poſtea. *Si quid humanæ notitiæ ſubduxerimus, proinde & Deum celabimus*, &c. *An melius eſt damnatum latere quam palam abſolui?* pulchra habet contra pudorem confitendi.

Domino igitur confiteri, & Sacerdoti peccata propalare optimè

Digitized by Google

conſiſtunt in ſtilo veterum. Et hoc eſt quod dicit *S. Leo* Ep. 80. (ſecundùm editionem Pariſienſem) *Illam etiam contra Apoſtolicam regulam præſumptionem quam nuper agnoui à quibuſdam illicita vſurpatione committi, modis omnibus conſtituo ſubmoueri* (de pænitentia videlicet quæ ita à fidelibus poſtulatur) *ne de ſingulorum peccatorum genere, libellis ſcripta profeſſio publicè recitetur: cum reatus conſcientiarum ſufficiat ſolis Sacerdotibus indicare confeſſione ſecreta*, &c. *Sufficit enim illa confeſſio quæ primum Deo offertur, tum etiam Sacerdoti, qui pro delictis pænitentium precator accedit. Tunc enim demum plures ad pænitentiam poterunt prouocari, ſi populi auribus non publicetur conſcientia pænitentis.* De eadem etiam materia agit in Ep. 91. ſecundùm eandem editionem.

7. Nec plus vrget factum Nectarij, nam ſolùm amouet Pænitentiarium publicum ſuó officio, nec *Zoſomenus* vel *Socrates* laudant eius factum. Licet vt dixi, ſi cum ſummo rigore vrgeatur factum illud, nihil poſsit euinci contra rem ipſam, ſed modum illum ſolemnem confitendi, quod nihil eſt.

Sanctus etiam magnus *Eprhæm.* apud *Niſſenum* in vita eius *docuit confiteri peccata accedentes ad ſe.* Nimirum cum eſſet in eremo docuit aduentantes modum ſe *Deo conciliandi*, ſcilicet per peççatorũ confeſsionem, &c. *Ambroſius* Ep. 3. ſimpliciter ſic loquitur. *Hanc ergo culpam Sacerdotes non auferunt, neque peccatum ejus qui in dolo ſe offert, & adhuc in ſtudio deliquendi eſt.* Hoc ſolum negando, quoad cætera poteſtatem abſoluendi in Sacerdotibus aſſerit.

Ferè prætermiſeram alterum beati *Ephræm* locum in l. *de Sacerdotio* ſub initium. *Intendamus* mẽtem fratres clarè ac liquidò, ad myſticam hanc formidalibẽque narrationem; quoniam abſque venerando & diuino Sacerdotio, remiſsio penatorum mortalibus *non conceditur.*

Petrus Chryſologus exactiſsimè oſtendit Eccleſiæ ſenſum & objectionem quam ex Nectario vel *Chryſoſtomo* adferre ſolent, præcludit ſermone 84. ad illa verba. *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* vbi ſic loquitur. *Dedit poteſtatem remittendi peccata qui in ſufflatione ſua infudit ipſam cordibus eorum, & largitus eſt remiſsionem. Hæc cum dixiſſet, inſufflauit eis dicens. Accipite Spiritum*

Digitized by Google

Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Vbi ſunt qui per homines hominibus remitti peccata non poſſe præſcribunt? qui ſemel Diabolica impulſione collapſos opprimunt, ne ſe erigant? qui languoribus curam, vulneribus crudeli Spiritu ſubtrahunt, negantq́; medicinã? &c. *Remittit Petrus peccata, & toto cum gaudio ſuſcipit Pœnitẽtes, atq; omnibus Sacerdotibus hanc à Deo conceſſam amplectitur poteſtatem*, &c. Claruit anno 450. ſub *Martiano Auguſto* ſecundùm *Trithemium*. Neſcio igitur quid dici poſsit niſi cum Iudæis Chriſto hanc poteſtatem negaremus.

8. Infinita ſunt Hæreticorum placita de hac re in diuerſas partes ſectorum, ſecundùm illud *Irenæi* l. 1. c. 32. *Et quid enim non eſt numerum dicere eorum, qui ſecundùm alterum & alterum modum exciderunt à veritate.* Alij negant poteſtatẽ, ſic *Caluiniſtæ*, Alij negant ſolùm huic actui rationem Sacramenti, &c. Sic *Proteſtantes* noſtrates, Alij vtrumque vt *Nouatiani*, alij neutrum negant, ſed impoſsibile reddunt, vt *Petrus Oximenſis* & eius ſequaces. ſed his miſsis.

9. Miror ſanè quòd *Rhenanus* habet ad lectorem de Definitionibus Eccleſiaſticorum Dogmatum. *Publicæ Confeſsionis ſeu conteſtationis, Tertullianus, Hieron. Ambroſ. Auguſt. Chryſoſtomus & omnes veteres meminerunt, ſecretâ iſtâ admiſſorum Confeſsione, quæ in aurem fit Sacerdoti prorſus adhuc ignotâ.* Miror dico quâ fronte hæc proferre auſus ſit, cum res apud veteres perſpicua ſit, vt ex dictis & dicendis conſtabit.

10. *Eraſmus* etiam in Ep. 30. *Hieron.* in caſu *Fabiolæ* publicè pænitentis ob admiſſum ſecundùm matrimonium viuo priori marito per diuortium licitè diſiuncto, dicit *ſecretam fuiſſe ignotam*: publicam etiam iugulat, vt notat *Marianus* in *Scholijs*, dum eam ſignis tantum & pænitentiæ impoſitione manifeſtam fieri ſolitam aſſerit. Sed ipſemet Textus *Hieronymi* clarè oſtendit *Fabiolam* verbis confeſſam, *nam aperuit cunctis vulnus ſuum*, &c. Quomodo verò cunctis peccatum ſuum aperire poſſet, niſi verbis? deinde omnes textus veterum hic examinati hoc dabunt.

Rhenanus verò in præfatione ad *Tertull.* de Pænitentia in fine fatetur: *Confeſsionem Hodiernam in aure, & vt ſæpe loquitur ad minutias vſq; ſaluberrimam eſſe, neminem poſſe inficiari.* Dixerat tamen paulò ante *Cæ-*

iterum Thom. ab Aquin. & Scotus homines nimis arguti, Confeſſionem hodie talem reddiderunt vt Ioannes ille Geilerius grauis ac Sanctus Theologus qui tot annis Argentorati concionatus eſt, apud amicos ſuos ſæpe teſtatus ſit, iuxta illorum Deuteroſeis impoſſibile eſſe confiteri, &c. Sed fruſtra hæc & ſine fundamento dicebantur, nec tamen confeſsionem hodie vſitatam in ſe tangunt, ſed fortè nimis ſcrupuloſum Conſcientiæ examen quoad minutias durius æſtimabat. Hic homo eſt ſemper in Scholaſticos iniurius, & plerũque ex leuiuſculis fundamentis, imò verius dixerim ex ignorantiſsimis, aliquos veteres legit, ſed valde paucos, & ex ipſorum tranſcurſorijs locutionibus condemnat aliquando conſtantem Patrum & ipſius Eccleſiæ doctrinam, vt *de perpetua B. Virginis integritate virginali*, & alijs non paucis rebus, quam tamen vix vllus ex ſolemnioribus Patribus non fusè declarat, & eam negantes, non infrequenter hæreſeos damnant.

11. Notandum certè vel maximè eſt, apud omnes Antiquitatem Chriſtianam olentes, liquidiſsimum eſſe, ſemper fuiſſe & viguiſſe in Eccleſia *Confeſſionem & abſolutionem* à Sacerdotibus ſemper conferri ſolitam, niſi fortè apud *Nouatianos*, qui pænitentiam negabant quos ſtatim Patres ſuffocarunt.

Modus verò cōfitendi, ſcilicet an ſecretò, an publicè quem ad diſciplinam Eccleſiaſticam ſpectaſſe aliqui putarunt, non ſemper nec in *eodem gradu* claruit apud veteres, nimirum nunc publicè, nunc ſecretò fiebat, vt ex dictis conſtat, & hoc potius naturam delicti ſpectaſſe videtur, ſi atrox publicè abſoluebatur, ſi minùs enorme, ſecretò: prout Sacerdos judicaret, an publicanda peccata, & publica pænitentia imponenda eſſet; necne, vt patet in loco citato *Origenis*, & ſuperius notauit *Roffenſis*: ſubinde etiam rationem perſonæ attendebant, non attento delicto vt patebit ex infra dicendis.

Verba *Origenis* ſunt. *Circumſpice cui debeas confiteri peccatum tuum, proba primo Medicū: ſi intellexerit & præuiderit talem eſſe languorem tuum, qui in conuētu totius Eccleſiæ exponi debeat, & curari, ex quo fortaſsis & cæteri ædificari poterunt, & ſic ipſe facilè ſanari: periti illius Medici Conſilio huc properandum eſt.*

12. Negari

12. Negari tamē non poteſt, quin Exomologeſin facere, non fuerit ſemper Sacramentale, quia apud Diaconum fiebat abſente Presbytero, præſertim in extremis, & ipſe abſoluebat, hoc eſt moribundum Pænitentem Eccleſiæ conciliabat, vt teſtatur *Cypr*. Ep. 13. Non recordor me quid ſimile inueniſſe apud alios veteres de Diacono, nec ſcio quid ſibi velit, niſi ſolùm in ordine ad Sepulturam Eccleſiaſticam publicos Pænitentes conciliare, caſu quo ſine culpa ſua diſceſſuri eſſent è vita ſine abſolutione Sacerdotali & Sacramentali.

Celotius l. 6. c. 23. de *Hierachia Ordinis* vult ſolùm Diaconos juridicè declarare potuiſſe moribundos ab Excommunicatione per Epiſcopos ſublata, jam abſolutos, & ad *remiſſionem* martyrum remiſſam eis fuiſſe reliquam debitam de jure pænitentiam, vt ſic *irent ad Dominum in pace*: vel vt ibidem loquitur *Celotius*, *Cypr*. ibi committit Diacono, vt Princeps Nuntio, ſcilicet vt abſolutionis indices litteras ad ægrum deferat, &c. Nam ſi rectè attenditur, cum illa ſcribit *Cyprianus*, jam tunc excommunicationem relaxat & pacem dat à martyribus promiſſam, ea tamen lege, vt nemini deferatur, qui *infirmitatis periculo non fuerit occupatus, neque delicti ſui Exomologeſim faciat*. Quâ conditione poſita, nihil de ſuo donat Diaconus, ſed tantum donatam ab Epiſcopo abſolutionem cenſurarum, & jus ad Euchariſtiam declarat.

Alij putant, vt *Becanus*, Diaconos in extremis eos à cenſuris abſoluiſſe, quod non ſatis clarè conſtat in iſto ſæculo Diaconis competijſſe.

Non recordor me aliquid ſimile apud veteres inueniſſe, niſi fortè diu poſt in libris Eccleſiaſticorum officiorum, vbi ſecundùm ordinem Romanum ſic dicitur. *Si autem neceſſitas euenerit, & Presbyter non fuerit præſens; diaconus ſuſcipiat pœnitentes ac det ſanctam Communionem*, ſed clarum eſt non intelligi per *ſuſcipere*, abſoluere à peccatis, nam vt ibidem dicitur. *Sicut autem Sacrificium offerre non debent niſi Epiſcopi vel Presbyteri, quibus regni cæleſtis claues traditæ ſunt: ſic nec judicia iſta alius vſurpare debet*. Diaconus igitur pænitentes recipit ad Communionem, qui peregerant pænitentiā à ſuperioribus impoſitam, & hoc erat ſuſcipere.

13. Quæ omnia juuant intentum meum de conſtanti *Traditione* Confeſsionis *quoad ſe*, licet *in modo* ſubinde variata fuerit.

Et certè ni fallor vtriuſque meminit *Cypr. de Lapſis*. De quadam muliere agens, quæ non erat confeſſa ante Sacram Communionem, dicit, *Impunitum diu non fuit nec occultum diſsimulatæ Conſcientiæ crimen: quæ feſellerat hominem, Deum ſenſit vltorem*. Vndè tanta orietur neceſsitas confitendi præſertim occulta, vt ſtatim Deum vltorem ſentiat, ſi non adferat peccati abſolutionem?

Alterius publicæ meminit §. *Quæſo vos* & etiam paulò poſt in priori loco, & adhuc ſæpius in eodem tractatu vtrumque habet. *Quoniam tamen de hoc vel cogitauerunt, hoc ipſum apud Sacerdotes Dei dolentes & ſimpliciter confitentes exomologeſim Conſcientiæ faciunt*, &c. Vbi ipſas *cogitationes* confitendas præſcribit, quod non videtur ſapere aliam quàm Confeſsionem Sacramentalem. In judicio ſanè *Cypr.* ad illam Confeſsionem ſubſecuta eſt abſolutio realis peccatorum.

Confiteantur ſinguli (quæſo vos fratres dilectiſsimi delictũ ſuum) dum adhuc qui deliquit in ſæculo eſt, dum admitti ejus Confeſsio poteſt, dum ſatisfactio & remiſsio facta per Sacerdotes apud Dominum grata eſt.

Hæc eius verba dabunt quod principaliter intendo, nempè jam tum viguiſſe Confeſsionem particularium peccatorum Sacerdoti, & realem remiſsionem eorundem quam ego non poſſum putare non fuiſſe Sacramentalem, ſiue fuerit ſemper ſecreta ſiue non.

Neceſsitas quã ponit *Cypr.* tum alibi ſæpe, tum Ep. 54. etiam in ipſo *Martyrio*, etiã in *eremo* reſpectu fidelis relinquentis omnia pro Chriſto, conuincunt eam fuiſſe Sacramentalem, vt etiam ibi colligit *Pamelius*.

14. Et hoc vult *Beda* in c. 5. Ep. *Iacobi*: *In hac ſententia iſta debet eſſe diſcretio, vt quotidiana leuiaq; peccata alterutrum coequalibus confiteamur, eorumq; credamus oratione ſaluari. Porrò grauioris lepræ immunditiam, juxta legem Sacerdoti pandamus, atq; ad eius arbitrium qualiter & quanto tempore juſſerit, purificari curemus* (vbi obiter notandum eſt *Bedam* intelligere locum adeo à multis agitatum *Iacobi*, *Confitemini alterutrum peccata veſtra*, de venialibus ſolum: grauiora verò Sacramentali & Sacerdotali refert abſolutioni) Per *purificationem* illam intelligit juſtificationem, quæ per pænitentiam à Sacerdote impoſitam ſubſequente abſolutione Sacramentali obtinetur.

15. Denique

Digitized by Google

15. Denique notandum, quod pænitentia ſemper ſolebat eſſe ſecreta pro fœminis adulteris, vt notat *Baſil.* Ep. 2. ad *Amphiloc.* c. 34. Sic etiam pro Sacerdotibus & Diaconis ob reuerentiam Miniſterij vt notat *S. Leo* Ep. 29. c. 2. vbi ſic loquitur. *Alienum eſt à Conſuetudine Eccleſiaſtica, vt qui in presbyterali honore, aut in Diaconij gradu fuerint conſecrati, pro crimine aliquo ſuo, per manus impoſitionem remedium accipiant pænitendi,* &c. *Vnde huiuſmodi Lapſis ad promerendam miſericordiam Dei, priuata eſt expetenda ſeceſsio, vbi illis ſatisfactio ſi fuerit digna, ſit etiam fructuoſa.* Qui loquendi ſtilus intimat, quod ſuperiùs notaui, ſcilicet rationem publici vel priuati in pænitētia, *diſciplinam* non *Sacramentum* ſpectaſſe, nam ratio Sacramenti cum vtroque conſiſtebat, vt dixi.

16. Tantæ etiam ſemper habebatur neceſsitatis, quod nunquam negari potuit lapſis pænitentia in exitu ritè rogantibus, vt vel in Concil. *Elibert.* conſtat, vbi perceptio Euchariſtiæ & abſolutio ab Excommunicatione negabatur, ſed ipſa peccatorum abſolutio virtualiter & implicitè concedebatur, Canon 1. & 2. vt norunt qui praxim Eccleſiæ veteris obſeruarunt, & hos Canones ſecundùm eam expendere volunt. Vt etiam ibidem Canon tertius indicat. Negando enim ſolum poſterius, conceduntur quæ ſunt priora. Vndè *Innoc.* 1. in Epiſt. ad *Exuperium* c. 2. *Obſeruatio prior, durior: poſterior, interueniente miſericordiâ inclinatior eſt. Nam conſuetudo prior tenuit, vt concederetur eis pænitentia, ſed Communio negaretur.* Imò adeò neceſſaria putabatur pænitentia, quod, vt habetur in Conc. *Arauſ.* 1. can. 11. *Subitò obmuteſcens, prout ſtatus eſt, baptizari, aut pænitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis aut præteritæ teſtimonium aliorum verbis habet, aut præſentis in ſuo nutu.* Vbi etiam notandum quod Patres æquè neceſſariam abſolutionem ac Baptiſmum putant.

17. Aduertendum verò quod ſubdit *Cypr.* in loco ſuperiori: *Pænitentia Crimine minor non ſit.* Hinc tàm graues imponebantur olim pænitentiæ, quas etiam renouari deſiderat *Tridentinum* ſeſſ. 14. c. 8. ad normam à *Cypriano* hìc poſitam, nempè vt ſemper habeatur ratio culpæ, prout etiam antiquitus ſancitum erat c. *Falſas* de Pænitentia d. 15. vbi ex *Gregorio* vocantur Pænitētiæ *Falſæ* quæ non proportionantur Peccatis.

Omninò etiam Concilia hoc cauendum docent: ſic *Lateran.* ſub *Innoc.* 2. Concil. *Melphit.* ſub *Vrban.* 2. In Concilio etiam quodam Anglico ſub *Greg.* 7. qui etiam ad Epiſcopos noſtros hac de re ſcripſit, ne minus facilè abſoluant pœnitentes ſine pœnitentijs ſufficientibus, quod videtur tunc malè inoleuiſſe in Anglia, quod reprehendit acriter.

18. Et ideò miror aliquos modernos docuiſſe Pœnitentiam à Sacerdote impoſitam habere tantum *rationem medicinæ*, contra *Trident.* ſeſſ. 14. c. 2. *Ad quam tamen nouitatem & integritatem per Sacramentum Pœnitentiæ, ſine magnis noſtris fletibus & laboribus, diuina id exigente juſtitia peruenire nequaquam poſſimus: vt meritò Pœnitentia laborioſus quidam Baptiſmus à Sanctis Patribus dictus fuerit. Specialiſſimè verò* in eadem ſeſſ. c. 8. *Pro qualitate Criminum & Pœnitentium facultate, ſalutares & conuenientes ſatisfactiones injungant. Habeant autem præ oculis, vt Satisfactio quam imponũt non ſit tantum ad nouæ vitã cuſtodiam & Infirmitatis Medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & Caſtigationem.*

19. Quo tamen non obſtante negari non poteſt, quin Eccleſia etiam in Conc. vniuerſalibus aliquãdo ordinauerit impartiri abſolutionem ſine pœnitentia proportionatã, imò ſubinde ſine vlla, vt de Infirmis, & moribundis Excommunicatis patet, eos reconciliari debere ſine pœnitentia, ſecundùm Canonem. 12. *Nicæni* Concil. tit. *de Excommunicatis de ſæculo exeuntibus.* Verba ſunt notabilia. *De His verò qui recedunt ex Corpore, antiquæ legis regula obſeruabitur etiam nunc, ita vt ſi fortè quis recedat à Corpore, neceſſario vitæ ſuæ viatico non defraudetur. Nihil igitur hîc innouatur, ſed regula antiquæ legis renouatur.*

Manifeſtum etiam eſt aliquando redeuntes ab Hæreſi per manus ſolùm impoſitionem fuiſſe reconciliatos. De his conſtat apud veteres, *Tertull.* in cauſa *Marcionis:* etiam *Cypr.* (licet ex omnibus Patribus eſſet diſciplinæ Eccleſiaſticæ rigidiſſimus zelator) ſæpiſſimè etiam apud *Auguſt.* in cauſa Donatiſtarum.

Hoc fuſius declaraui ſuperiùs capite cui Titulus *An & quomodo admittendi Hæretici ad Concilia*, &c. Vbi ex Concilijs, Summis Pontificibus, & veteribus Patribus confirmaui.

Grauiſſimè

Digitized by Google

Grauiſsimè verò conſulit *Nicænum* Can. 11. cui tit. *De his qui ſponte lapſi ſunt qualiter debeãt pænitere*. Vbi in corpore ſic habetur. *Ab omnibus verò illud præcipuè obſeruetur, vt animus eorum, & fructus Pænitentiæ attendatur*. Nam ſine dubio vbi eſt intenſior animi dolor, minor requiritur Pænitentia etiam ſecundùm Canones.

20. Notandum verò eſt, quod præter hos, qui tam faciles putantur in pænitentijs Sacramentalibus diminuendis, ſunt etiam aliqui qui Pænitentias regulares, ſcilicet Ordinum ab Eccleſia approbatorum *Flocci* faciunt, ſordium accuſant, & apud populum ſcommatibus lacerare dicuntur; Magnus tamen *Ephræm* apud *Niſſenum* in eius vita per omnia agit *Fratrem Minorem*, vt & multi apud *Aug.* de moribus Eccleſiæ Catholicæ: quibus in ſtylo Eccleſiæ, ſummæ erat laudis cantus laborioſus in Choro, quo Eccleſia ſemper eſt vſa & venerata, (vt cum cæteris patribus poſt Diuinum *Dionyſium* accuratè declarat *S. Greg. Niſſ.* in vita *S. Macrinæ. Illic vigebat aſsidua Pſalmorum decãtatio, quæ nullo vnquam tempore, nec die, nec nocte intermittebatur*, &c.) Cum *Eraſmo* autem in ſuo Encomio Moriæ humili loco habent. Contra huiuſmodi *impios* rerum ſacrarum *Cenſores*, acriter agit *Cyprianus Crouſſers* vir doctus Capuccinus in Præfatione ad ſuas Lectiones Paræneticas in regulam S. *Franciſci*, & alij eiuſdem ſacri ordinis, & aliorum Ordinum viri graues, quibus ineſt *zelus diuinus in eos, qui rabie aduerſus pietatem atq; religionem inuehuntur*, vt loquitur *S. Greg. Niſſ.* de *S. Ephræm.* Et reuerà tolerandi non ſunt; Nam mores Eccleſiæ veteris & modernæ, hoc eſt mores ab Eccleſia Catholica approbatiſsimos hæreticorum riſui exponunt; ob ratiunculas ex ſuggeſtione carnis, non inſpiratione Spiritus petitas; in doctrinam *Baſilij*, *Niſſeni*, ſancti & magni Patris *Ephræm*, *Hieronymi*, *Auguſtini* (vt facilè oſtendere eſt) & omnium veterum qui huiuſmodi tractarunt, irreuerenter inſiliunt. Sed fruſtra obganniunt, nam vt olim *Plinius* l. 5. c. 17. de Eſſenis *gens æterna eſt, in qua nemo naſcitur: tam fœcunda illis aliorum vitæ pœnitentia eſt*. Sed his miſsis, progrediamur.

21. Deinde quid importat articulus de remiſsione peccatorum niſi quod ſit in Eccleſia poteſtas abſoluendi à peccatis? *Solent quidem*

cum

Digitized by Google

cum irriſione dicere aduerſus nos Pagani, vt notat *Ruffinus* in expoſitione Symboli Apoſtolorũ, quod etiã hodie objiciunt Hæretici, *quod ipſi nos decipiamus, qui putamus Crimina quæ opere cõmiſſa ſunt, verbis poſſe purgari.*

Procul dubio intellexerunt de verbis Sacerdotis in abſolutione adhibitis. Quomodo verò fieret hæc abſolutio, & Peccatorum remiſsio, niſi Sacramentaliter, haud intelligo.

Hæc putem abundè conuincere, fuiſſe ſemper in Eccleſia veteri (de qua ſolùm contendũt hodierni *Caluiniſtæ*) creditum, penes Sacerdotes eſſe poteſtatem realiter abſoluendi à peccatis ritè confeſsis. Addo quod ſubinde fiebat confeſsio ad aurem, ſubinde etiam publicè in facie Eccleſiæ, & vterque modus conſiſtebat cum Sacramenti vera ratione. Hæc ego puto irrefragabiliter ſequi ex doctrina data veterum. Fuſior eſſe poſſum in huius vltimi puncti probatione, in quo major poteſt eſſe difficultas, ſed meo judicio, quæ hactenus allata ſunt ex monumentis veterum ſatis neruosè concludunt, nec plures probationes propter pluralitatem, niſi inſimul augeantur vires, apud viros doctos rem controuerſam promouebunt.

22. Vti dixi, poſteriora ſæcula prætermitto, nam cuiuis in ſcholis obuia ſunt. Extat verò Epiſtola *Nicephori Carthophylacis* ad *Theodoſium* Monachum, *De ligandi, ſoluendiq́ poteſtate*, vbi ipſo *Oecolampadio* Interprete hæc habentur verba. *Ligandi ſoluendique prouincia Pontificibus ipſis à Clementiſſimo Deo noſtro demandata eſt, ſiquidem ad Petrum ait, Quæcunque ligaueris*, &c. *vndè olim omnes oportebat ad ipſos Pontifices accedere, ſuaque illis occulta prodere, & ſic vel reconciliationem vel repudium ferre. Ignoro autem quo factum ſit*, &c. *id operæ ad Monachos tranſmiſiſſe, ad eos ſcilicet qui verè probati ſint*, &c. Hæc propter Interpretẽ adferre volui. *Balſamon* verò lib. 5. Reſp. Interrog. 19. refert tunc fuiſſe dubitatum, an Confeſsiones eſſent validæ, quæ fiebant laicis Sacerdotibus. Sic vocat Clerum ſecularem: vterque verò licet vnus Hæreticus, alter Schiſmaticus & Græcus in Eccleſia hanc poteſtatem abſoluendi fatentur. Ex quibus omnibus patet, nihil noui declaraſſe *Tridentinum* quoad Sacramentum Confeſsionis. Seſſ. 14.

CAPVT

CAPVT XXXXIII.

De Purgatorij aſſertione declaratur an & quomodo ſit de Fide.

1. DOgma eſt Catholicum, & ſemper fuit, tàm per manus Patrum, quàm ex ipſis ſacris Scripturis, poſteris traditum, eſſe locum aliquem *Purgationis* ſeu expiationis poſt mortem. Nam præter authoritatem librorum *Machabæorum*, qui naſcente Eccleſia nondum adeò clarebant, aliæ ſunt ſcripturæ, quæ hoc clarè docent; præſertim ſi adiungamus veterum explicationes. Dicit quidem *Doctor Subtilis* de hac re agens in quartum: quod præcipuè nitatur authoritate Apoſtoli ad *Corinth.* cap. 3. *Si cuius opus arſerit, detrimentum patietur, ipſe verò ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* Et verum quidem eſt, quod tàm Græci quàm Latini Patres neruoſiùs illinc hanc veritatem euincunt, ſic *Baſil.* in 4. cap. & 9. in *Iſaiam* fusè: ſic *Nazianzenus* in Orat. ad eos qui vocarunt & non currerunt non longè à fine: ſic *Ambroſius* in ipſa verba Apoſtoli. Nec minus clarè *Aug.* in Pſal. 37. facilè eſſet cumulum ſanctorum Patrum pro hac interpretatione adducere. Omitto alios textus licet ſatis efficaces. Sed præter Scripturas, dogma hoc Catholicum apud primitiuos Patres, &c. in ipſis Eccleſiæ cunabulis inualuerat, & praxis vniuerſalis Eccleſiæ in omnibus *Liturgijs* in hunc vſque diem retinuit, orando pro *expiandis* fidelibus defunctis, vt in Miſſa *S. Iacobi*, *S. Baſil.* Eccleſiæ Latinæ, Æthiopicæ, & hodiernæ Eccleſiæ Græcæ conſtat, apud Patres etiam apertiſsimum eſt.

2. *Nazianzenus* orat. 10. de morte fratris *Cæſarij*, poſt alia multa ad hoc propoſitum dicta, addit: *Alia verò dabimus, anniuerſarios honores & Commemorationes offerentes, ij quidem qui ſuperſtites erunt*, &c. vbi manifeſtum eſt ipſum promittere ſe quotánis celebraturum memoriam fratris in Altari: ad quid verò hoc feciſſet, niſi, vt iuuaretur anima defuncti, vel diuinare non licet? Sic etiam *Chryſoſtomus* Hom. 3. in

Ep. ad *Philippenſ. Epiph.* in confut. Hæreſis *Aeriana. Damaſcen.* de eadem re tractatum edidit: quem vocat, *De myſtica mortuorum conſideratione.* Scripſit etiam orationem de his qui in Fide obdormierunt, cui titulus eſt, Qua ratione Sacrificia & bona opera, quæ pro eis ſuſcepta ſunt, ipſis opitulentur, eiuſque orationis initium eſt *Eſca ſuaues*: vbi clarè & fusè hanc veritatem oſtendit ex Patribus præſertim Græcis.

Auguſt. Serm. 32. de verbis Apoſtoli. *Hoc inquit à Patribus traditum vniuerſa obſeruat Eccleſia, vt pro ijs qui in Corporis & Sanguinis Domini Communione, defuncti ſunt, cum ad ipſum Sacrificium loco ſuo commemorantur, oratur, ac pro illis quoque offerri id, commemoretur,* &c.

In lib. etiam *de cura pro mortuis* c. 1. cuius etiam meminit 2. Retract. 64. *In Machabæorum libris legimus oblatum pro mortuis Sacrifium: ſed etſi nuſquam in Scripturis veteribus legeretur, non parua tamen eſt vniuerſæ Eccleſiæ, quæ in hac conſuetudine claret, authoritas,* &c. vbi admittit libros *Machabæorum* inter Scripturas veteres, & *Traditionem* vniuerſalē pro Sacrificijs Deo oblatis pro defunctis allegat. Singula verba notatu digna, nam tot verba, tot probant Articulos ab hodiernis Aduerſarijs in dubium verſos. In Ep. etiam 64. eandem Conſuetudinem laudat. *Oblationes pro Spiritibus Dormientium, quas verè aliquid adjuuare credendum eſt, ſuper ipſas memorias non ſint ſumptuoſæ, atque omnibus petentibus ſine Typho, & cum alacritate præbeantur neque vendantur. Sed ſi quis aliquid pecuniæ offerre voluerit, in præſenti pauperibus,* &c.

3. In libro etiam ſecundo de *Geneſi* contra *Manichæos* c. 21. adhuc ipſius Purgatorij in *terminis* vt aiunt *terminantibus* meminit: agens enim de maledictione vniuerſali quæ poſt peccatū Adæ omnes inuadit. *In ſudore vultus tui edes panem tuum,* &c. poſt alia dicit. *Et hoc illi dictum eſt qui coluerit agrum ſuum,* &c. Poſtea. *Sed qui forte non coluerit, & ſpinis eum opprimi permiſerit, habet in hac vita maledictionem terræ ſuæ in omnibus operibus ſuis, & poſt hanc vitam habebit vel ignem Purgationis, vel pænam æternam. Ita nemo euadit iſtam ſententiam ſed agendum eſt vt ſaltem in hac tantum vita ſentiatur.* Quid clarius tàm quoad rem quàm nomen? Frequenter etiam alibi. Sed ne faſtidio ſim lectori erudito in re præſertim apud *Aug.* vulgatiſsima ſuperſedeo.

4. Contra

Digitized by Google

4. Contra textus tàm apertos mouere aliquẽ non debent loca ſubinde obſcura, vbi de *modo* purgationis fluctuare videtur, nimirum an qui titillationi Carnis hîc acquieuerit, ibi ejuſdem remorſibus ſit torquendus: & ſic de cæteris, vt inſinuare videtur de Ciuitate Dei & alibi, vt etiam ſubtiliter notauit *Peronius.* Et in hoc ſicut in multis alijs vbi non obuiat Fides, *platonizare* videtur, nec res in ſe omni caret probabilitate.

Nec modus ille expiationis futuræ hactenus eſt *conciliariter* declaratus quod ſciam, licet Scholaſtici multi determinent, & inclinare videtur *Doctor Subtilis* ad *ignem* Purgatorium propter textum illum *Pauli:* ſed dum de Fide agitur opiniones non recenſeo.

Vrbanus igitur octauus in *profeſſione Orthodoxæ Fidei ab Orientalibus facienda*, de Purgatorio agens in genere ſolum non in modo materiam, illam proponit; his verbis n. 15. Itẽ *ſi verè pænitentes in Dei charitate deceſſerint, antequam dignis pænitentiæ fructibus, de commiſsis ſatisfecerint & omiſsis, eorum animas pænis Purgatorijs poſt mortem purgari,* &c. Quoad hoc verò quam frequentiſsimum eſt inter omnes etiam veſtutiſsimos Patres.

Ambroſius. in Orat. funebri in fratrem *Satyrum*, & longè fuſiùs in obitu *Theodoſij*, & alibi ſæpiſsimè *expiationem* peccatorum poſt mortem oſtendit.

5. *Greg. Niſſenus* de anima & Reſurrectione circa medium ignis *Purgatorij*, ſcilicet χαραρσικῶς meminit; prout etiam *Boetius* de conſolatione Philoſophica. Hoc addo propter eos, qui de *nomine* altercantur. Imò *Niſſenus* in Oratione pro mortuis, ſic loquitur. Alijs autem poſt hanc vitã *Purgatorio igne* ἐν τῷ καθαρσίῳ πυρὶ materiæ labes & propenſionem ad malum *abſtergentibus*, & ad gratiam in initio naturæ conceſſam voluntariâ bonorum cupiditate *redeuntibus*, &c. Non me latet aliquos velle eum ex diſcurſu quo hîc fusè vtitur, probare *Origenis* errorem de temporalitate pœnarum infernalium: ſed quicquid ſit de hoc, à quo alij docti viri fæliciter eum eximere contendunt, ſaltem à fortiori concluditur eum agnoſcere ignem Purgatorium temporalem, quod hîc ſolùm quæro.

Tandem ipſe *Dionyſius* de Eccleſ. *Hierar.* c. 7. par. 3. *Accedens deindè venerandus Antiſtes precem ſacram ſupra mortuum peragit*, &c. *Precatur oratio illa diuinam Clementiam, vt cuncta dimittat per infirmitatem humanam admiſſa peccata defuncti* , &c.

6. Nec eſt certè dubitandum de authoritate horum librorum, cum *S. Athan.* in libro quæſtionum q. 4. agens de numero Angelorum citet *Dionyſium.*

Gregorius etiam *magnus* hom. 34. in Euangelia citat eadem eius opera ſecundùm receptam iſtius ſæculi ſententiam.

Photius etiam in ſua Bibliotheca *Damaſ.* ſæpè de imaginibus agens. Et in ſecũdo Nicæno in facie totius Cõcilij citauit *Hieroſolymitanus.* Alios etiam antiquiores citare poſſum, qui non obſcurè hoc tradiderunt.

7. Eſt vnus locus apud *Baſilium* vbi agens de igne infernali, ſic loquitur. *Exiſtimo quod ignis ad ſupplicium Diabolo & Angelis eius paratus Domini voce interciditur. Quoniam duo ſunt in igne potiſſima, vſtiua vis & illuſtratoria. Vis prior ignis acerrima quidem ad pænus irrogandus, repoſita eſt his qui vſtione ſunt digni. Altera nempè ſplendiſlui ſui luminis diffuſiua velut ſortitò ſuccedet ijs, qui charitate perfruituri ſunt gaudijs perennibus.* Non poſſum putare *Baſilium* per hæc verba velle animas beatas vel Angelos in cælis exiſtentes, indigere vi illa ignis infernalis illuſtratoria ad Cælos illuminandos, ſed longè ad hoc ſufficit Dei præſentia, vel fortè ſplẽdor ipſi loco cæleſti connaturalis, ſaltem quod cælum indigeat inferno ad ſui ſplendorem & ad Beatorum illuſtrationem videtur exoticum. Vult igitur *Baſilius* quod Defuncti quorum animæ ad tempus à diuina juſtitia ordinatum detinentur in inferno, vtique nondum ſatis purgatæ, fruentur quidem *ſplendifluo* illo *lumine*, nec adurentur igne vſtorio, quippè aliquando *claritate perfruituri gaudij perennis.* Punientur igitur quia in loco pænoſo detinebuntur, nec alia quam luce ignis infernalis potientur. Quid hoc poteſt eſſe aliud quam locus Purgationis?

8. *D.* etiam *Petrus Chryſologus*: ſerm. 123 ad illa verba. *Neq; hinc ad vos tranſire, neque huc tanſmeare quis poteſt.* Sic loquitur. *Terret fratres,*

terret

terret nimis huius vocis auditus, quia oſtendit poſt mortem, & ſemel apud inferos pænali cuſtodiæ deputatos ad Sanctorum quietem non poſſe tranſferri, niſi Chriſti gratia jam redempti, ab hac deſperatione, Sanctæ Eccleſiæ interceſſione ſoluantur, vt quod ſentētia negat, Eccleſia mereatur, praſtet gratia. Vbi duo ſunt notabilia: Vnū quod Eccleſiæ precibus ſoluantur à pænis poſt hanc vitam: ſecundùm, quod indè ſequitur, pænas illas eſſe tēporarias.

Poſt *Irenæum* etiam teſtatur *Tertull.* lib. *De Anima.* c. 55. (vt alij eum citant, ego nunquam vidi illum tractatum) nec extat cum reliquis eius operibus. *De Corona verò Militis*, narrat iam tum naſcente Eccleſia, *Oblationes pro defunctis* fieri conſueuiſſe, & in lib. de Monogamia refert offerri ſolitum *annuis diebus dormitionis* & addit rationem, *refrigerium* intimat, id eſt, poſtulat. Annon hoc eſt Purgatorium admittere, locum in quo refrigeratur anima?

In libro etiam de Reſurr. carnis, dicit: *Nemo peregrinatus à corpore ſtatim immoratur penes Dominum, niſi ex Martyrij prærogatiua, ſcilicet Paradiſo non inferis deuerſurus*, adeo vt reliqui omnes in ſententia eius ad *inferos* diuertantur: quid eſt hoc? *Cyprianus* etiam ſi quid ſapio in Epiſt. 51. §. *Nec putes*, planè Purgatorij meminit, vbi ad hunc ſenſum rectè exponit *Matth.* cap. 5. v. 26. de ſolutione *vltimi quadrantis*, & 1. ad *Corinth.* 3. 13. de purgare *diu* per ignem, &c. Verba ſunt legenda. In Epiſt. etiam 66. Pæna grauiſsima conſtituebatur, quod *non offeretur pro eo, nec Sacrificium pro dormitione eius celebraretur.* Nihil clarius dici poteſt.

Origines etiam contra *Celſum* l. 6. locum punitionis & purgationis agnouit. Sic etiam omnes poſteriores, licet de modo expiationis aliqui ſubdubitarint.

Optinè igitur dicit *Caſſander* in Conſultatione c. *de reiteratione. Omnibus ante Chriſtianis hoc perpetuò inſitum fuit, vt Spiritus eorum qui Chriſti Sacramento initiati in confeſſione Nominis ejus, cum aliqua Pænitentiæ ſignificatione ex hac vita exceſſerunt, Dei clementiæ cōmendarent, & eis remiſſionem peccatorum, quietem æternam & conſortium electorum precarentur.*

9. Tandem damnata eſt contraria Hæreſis in *Aerio*, teſte *Epiphanio* & *Aug.* de Hæreſibus, qui negabat ſacrificandum pro mortuis, &

denuò in *Waldenſibus*, *Henricianis*, & *Petrobuſianis*, vti conſtat, tum ex *D. Bernard.* hom. in Cant. Cant. 63. & 66. & *Petro Cluniacenſi*, tum ex ſcriptis *Ebrardi Betunienſis*, &c. quæ *Pamelius* dicit ſe habere manuſcripta.

10. Vt tandem propiùs tangam rem Anglicam; in primis Fidei noſtræ inſtitutis *B. Greg.* ad conſulta Anglorum reſpondens, ſic loquitur. *Sancti myſterij gratia ſicut viuentibus atque diſcernentibus cum magna diſcretione prouidenda eſt. Ita his quibus mors imminet ſine vlla dilatione offerenda, ne dum adhuc tempus ad præbendum redemptionis myſterium quæritur, interueniente paululum mora inueniri non valeat qui redimatur. Pro illis tamen omnibus qui ex aqua & ſpiritu regenerantur, ac per hoc Eccleſiæ incorporati cum pietate dormitionem acceperunt, ſolemniter & generaliter vniuerſalis ſeruat, & prorſus ſeruare debet Eccleſia, vt inter illa ſacroſancta immolationis myſteria ſuo loco atque ordine ſiue nominatim, ſiue tacitis nominibus fideliter commemorentur: verè namq; ad plenitudinem & vnitatem Eccleſiæ pertinent, nec ab illa vel morte ſeparari poſſunt*, &c.

Multa hîc tanguntur quæ diuerſas materias hodie in dubium verſas declarant, ſpecialiter illa vniuerſalis defunctorum commemoratio, in Altaris Sacrificio, Purgatorium ſignat in neceſſaria conſequentia, vt facilè ſpeculanti pateſcit.

11. Non me latet *R. Menaſſeth* in ſuo tractatu *De Reſurrectione mortuorum* negare Purgatorium, etiam in nomine *Rabbinici* cætus, hoc eſt tertium aliquem locum præter cœlum & infernum: ſed toto cælo errat à ſtatu quæſtionis: non enim quæritur, dum de Fide tractatur (ſecus ſi Scholaſticè agitetur) an ſit tertius locus materialis, quia fortè ipſe locus Purgationis eſt infernus: fateretur verò ipſe *Rabbi Moſes*, *Iſ. Abrauaniel* & omnes quotquot de hac re ſcripſerunt ex Iudæis dari locum temporariæ punitionis ſeu expiationis, quinimo dicunt Iſraëlitas omnes, modernos ſcilicet Iudæos, non aliter in futuro ſæculo puniendos forè, vt ſexcenties apud eos legi, & hinc orant pro defunctis, vt nos, vt patet in eorum ſcriptis, & ſpecialiter apud *Rabbi Moſen Maymoouden* in Commentario ſuper *Miſchnayoth* pro *R. Ioſeph Halleui* & eſt hodierna Iudæorum praxis: locus verò temporariæ expiationis in ſenſu Sanctorum eſt Purgatorium.

Digitized by Google

Et conformiter ad hoc obſeruauit *Ioannes Picus Mirandula* in quadam ſua Oratione longè doctiſsima, in ipſa Hebræorum Cabala, in libris ſcilicet illis quos *Sixtus* 4. Latinos reddidit, manifeſtè haberi *de Purgatorijs*, & pro veritate huius, Deum teſtem inuocat, Hæc igitur non ſolùm modernorum, ſed veterum Hæbræorum ſententia. Nam libri illi quos vidit *Picus* fuerunt compacti ab *Eſdra* & Sapientibus iſtius ſæculi, vt ibi videre eſt.

Tandem hoc manifeſtè habet *Philo Iudæus* agens de *Abrahamo* in docto illo opere, *De Antiquitatibus Biblicis*. Hac igitur in re nulla eſt lis.

12. *Roffenſis* art. 27. dicit ſuo tempore extitiſſe libellum Græcè Scriptum tempore Concil. *Baſil.* editum, in quo complures Græcorum authores aduerſus errorem negandi Purgatorium citantur, quorum teſtimonijs aiunt Græcos Concil. *Florentino* ceſsiſſe, & à pertinacia ſua *reſipuiſſe*. *Gennadius* quidem homo Græcus in ſua *Defenſione* quinque capitum *Florentini*, cui interfuit, egregiè Purgatorium in ſenſu *Florentini*, declarat ex Patribus, fortè de illo loquitur. Poſteriores Græci vt *Arcadius* & alij fusè etiam hoc actitarunt.

Miror quidem dico quæ habet *Roffenſis* de hac re ad Art. 18. vbi obiter agens de Purgatorio, ob connexionem quam habent Indulgentiæ (quas ibi tractat) cum eo. Vnum eſt *De* Purgatorio *apud Priſcos nullam vel quam rariſsimam* fieri *mentionem*: Alterum, *ſed & Græcis ad hunc vſque diem non eſſe creditum Purgatorium eſſe*, cum tamen in art. 37. oppoſitum vtriuſque clarè & doctè oſtendat. Conſtat etiam Græcos hoc ſemper crediddiſſe quoad *rem*; licet non quoad *modum* vt etiam patet in *Florentino*, & ſatis colligitur ex allatis textibus Sanctorum.

13. Imò dicit *Rogerus Baconus* ſcilicet ille *Frater Minor*, Magnus naturæ ſcrutator, in opuſculo cui Tit. *Compendium ſtudij Theologiæ* c. 2. quod *Purgatorium eſt in ſe manifeſtum, licet Infirmitas humana in illius & aliorũ manifeſtiſsimorum notitia ſuccumbat.* Cuius infirmitatis & ignorantiæ cauſam aſsignat Peccatum Originale & propria peccata.

14. Et in hoc rectiſsimè; putem tamen, quod ſi pro dignitate miſteriorum velimus ſpeculari, & ordinem rerum & cauſarum diligentius indagare & ad inuicem comparare, poſsimus tandem aliquando verè

do verè dicere cum ſubtiliſsimo *Mirandula*, jam tum moribundo, nos potius *ſcire*, quam credere veritatibus Fidei, vt habetur in eius vita ab inuicto Martyre *Thoma Moro* conſcripta. Vndè ipſe *Picus* in Epiſt. nepoti *Franciſco* directa ſic loquitur. *Magna profectò inſania eſt Euangelio non credere, cuius veritatem Sanguis Martyrum clamat, Apoſtolicæ reſonant voces, prodigia probant, ratio confirmat, mundus teſtatur, Elementa loquuntur, Dæmones confitentur.*

Quando autem dixi nos potius *ſcire* &c. Non volo quod niſi adiuti lumine Fidei, alta illa & ſupernaturalia myſteria attingere poſsimus, nam vt rectè idem noſter *Baconus* in 3. opere *Clementi* conſecrato c. 22. *Ea quæ ſunt maxima cognitionis ſecundùm ſe, ſunt minima cognitionis quoad nos* & citat Philoſophum 7. Met. Huius verò infirmitatis cauſas multiplices reddit, quas nimis prolixum eſt hic enumerari, & addit quod omnes homines quantumcunque ſapientes (præter Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum & B. Virginem) extra viam rectam declinarunt.

Ipſa igitur Dei Cognitio quam naturaliter acquirimus, non eſt alia, quam quâ Nos nos ipſos cognoſcimus, hoc eſt, illam habemus Dei Cognitionem, quam ſubſtantiæ noſtræ nobis de Dei natura repræſentant, vt etiam rectè notat *Picus*. Ex artificio deuenimus in cognitionem Artificis, ſecundùm illud Apoſtoli, *Inuiſibilia enim à conſtitutione mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur*: aliàs nobilior Dei Cognitio non habetur ſine Deo, ſicut Sol non cernitur ſine ſole. Dicit igitur *Scotus* in prologo q. 1. & 1. d. 3. q. 2. & 3. *Intellectus ex puris naturalibus non poteſt Deum cognoſcere diſtinctè, nec cognitione intuitiua nec abſtractiua.* Vbi etiam egregriè oſtendit quod pro ſtatu iſto nihil poteſt mouere intellectum, niſi tantùm ſenſibile: adeò vt quidditas ſenſibilis ſit obiectum eius adequatum attingibile. Superiores gradus intelligit in quantum eſſentialiter vel virtualiter includuntur in eo, & ſic Deum cognoſcimus per creaturas, ſcilicet per ſpecies creaturarum.

Quantò ergo minus de reliquis myſterijs quæ longè magis elongantur à Nobis? ſuppoſita tamen Fide Principiorum ſupernaturalium, per ordinatum diſcurſum deuenire poſſumus ad quaſi ſcientificam cognitionem reliquorum, adeò ſunt inter ſe concathenata.

5. Monet

Digitized by Google

15. Monet igitur Iuuenes *Plato*, ne temerè de Diuinis ſententiam ferant, ſed credant legibus, donec ætas ipſa doceat vel per juſtos diſciplinarum gradus, vel per experientiam, vel per quandam animæ à Corpore ſeparationem, quam moderata ſenectus adducit, vt anima in ea ætate res à corporibus ſeparatas, quaſi è Proximo videns, clarius diſcernat, quam conſueuerit. Manifeſtum vtique eſt, quòd Diuina Myſteria quæ in juuentute noſtra incredibilia ſubinde videntur, poſtea, ſiue maturioris ætatis, ſiue diligentioris examinis beneficio, ſiue Diuina reuelatione, vt loquitur alibi *Plato*, manifeſtiſsima apparent, & cum nulla difficultate eis aſſentimus; quòd verò in juuentute non adeò rectè veritates illas ſpeculemur, poteſt eſſe diſtractio potentiarum ad ſingula ſua objecta. Tota natura in inferioribus hæret, nutriendo, augendo, &c. Anima verò in Adulto Corpore acutiùs ſpeculatur; quia non adeò impedita, cum jam creuerit corpus, & quia melius inſeruit animæ in nobilioribus ſuis actionibus, cum organa & omnia inſtrumenta ſunt jam matura: & hinc videmus, quod corpus ſobrium ſpeculationem minùs impedit, nam arguit Melãcholiam aliquantulam, in qua anima minùs immergitur in fæcibus Corporeis, & ideò liberiùs & conſequenter rectiùs agit ſuas operationes, vt ex *Platone* fusè docet *Picus*, *Ficinus* & alij, quibus conueniunt Theologi. Optimè verò conſulit *Baconus* in opere citato tertio c. 14. quòd *quando videmus mirabilia in perſpectiua & alijs Scientijs, quæ ante inſtructionem reputamus impoſsibilia; tunc longè magis debemus humiliare mentes noſtras diuinis veritatibus, vt credamus ijs licet ſint ſupra intellectum noſtrum, cum ſcilicet ſint infinitæ veritates in creaturis, quarum nullam rationem poſſumus habere; & tamen recipimus eas, quando inſtruimur in ijs.*

De Purgatorio putem cum *Bacono* noſtro quod poteſt aliqualiter attingi ex ipſis naturæ viribus, hoc ſcilicet vel alio aptiori modo.

16. Cognitiones ſeu intellectiones quas habuit anima corpori adjuncta (quæ non poſſunt deleri ſine contrarijs, nam vndè corrumperentur in immateriali & incorruptibili ſubjecto omnium capaci?) omnes ſunt præſentes in inſtanti mortis, & anima perplexa reflectere poteſt ſuper quamcùnque (ſicut in hoc ſtatu) præſertim verò, vt ſæpè

Digitized by Google

experimur in moribundis (& *Beda* & alij terribiles hac de re narrant hiſtorias) ſuper illa judicia objectorum, quibus voluntas trahebatur in conſenſum fortem peccaminoſum, & hoc naturaliter, & ibi hæretur & cauſatur afflictio animi, &c. quæ ſecundùm aliquos Græcos eſt totum Purgatorium in *Florentino*, nec condemnabant Latini, & reuera eſt præcipua pars Purgatorij, vt ſatis colligitur ex *Florentino*, à quo nullatenus differt *Tridentinum*.

Baſilius de vera Virginitate hoc ſic inſinuat. *Memoria nihil eſt aliud quam figura impreſſa cogitationum in anima*, &c. *& quomodo fieri poteſt vt earum cogitationum pœnas non demus, quarum hactenus formas memoria verſans in anima, veluti in tabula viuis intuentibus monſtrat?* Nimirum depoſito operimento Corporis, nobis & alijs quales ſumus videmur, vt ipſe ibi *Origenes* in περὶ ἀρχῶν apud *Hieron.* Epiſt. 59. addit, Quod, *Ignis quos gehennæ*, &c. *non punit in ſupplicijs, ſed in conſcientia peccatorum, quando Dei virtute & potentia omnis memoria delictorum ante oculos noſtros ponitur, & veluti ex quibuſdam ſeminibus in anima derelictis*, &c. *omnis eorum in conſpectu noſtro pictura deſcribitur*, &c. Hi duo inter veteres Græcos ſunt eminentiores tàm in ſacra, quàm gentilitia Philoſophia & ideo fœlicius hæc & alia difficilia penetrarunt.

17. Dixi *naturaliter*, nam quod objecta illa fortius moueant in inſtanti mortis, quæ antea magis mouebant & delectabant contra mandata Dei, prouenit ex naturali timore pœnæ jam imminentis; quod autem poſt mortem in iiſdem hæreat dolendo, &c. prouenit tum ratione ſtatus, vt tenet *Henricus* & alij Scholaſtici de damnatis, immobiliter manentibus in deſperatione: quæ poteſt proportionaliter hic teneri, tum ratione ipſius animæ fortiſsimè motæ ab illis objectis à quorum reflexione difficulter poteſt diuelli, ſecundùm illud *Auguſtini*, *Non eſt in poteſtate noſtra quin viſis tangamur*, & etiam immobilius hæret, quia non diſtracta per objecta ſenſuum & varia Phantaſmata ſicut hìc, & ex his cauſis in illo ſtatu etiam euenit abolitio libertatis in ordine ad contrarios actus reſpectu eiuſdem ſaltem obiecti.

Non me latet hanc doctrinam apud *Peripateticos* paſſuram difficultates: nam facilè eludere conabũtur, dicendo hominem per ſeparationem

nem

Digitized by Google

nem animæ à corpore perdere omnes ſpecies rerum, quas viator habuit, quia ſecundùm Philoſophum, omnes ſpecies intelligibiles latent in phantaſmatibus, non autem in intellectu, & ideo homo non habet memoriam intellectiuam, ſed quando vult recordari aliquid, recurrit ad phantaſmata: adeo vt habitus & ſcientiæ rerum in intellectu, non ſint ipſa ſcibilia ibi impreſſa, ſed facilitationes ſolum recurrendi ad ſpecies in phantaſmatibus latitantes: adeo vt licet intellectio ſit elicita ab anima ſola, tamen ſemper requirit phantaſmata. Sed hoc *Peripateticorum* dogma diluere conabor capite 46. vbi acturus ſum de ſpeciebus *Platonicis*, quarũ aſſertam veritatẽ eouſque ſuppono.

Quando igitur poſt mortem ceſſat illa adhæſio & afflictio, potius tribuendum eſt Diuinæ miſericordiæ, quam naturæ animarũ ſeparatarum, vndè *Damaſcenus* in Dialogo contra *Manichæos*. *Illud quoque ſcire operæ pretium eſt, animã vt è corpore excedit, ea jam conditione eſſe, vt mutari nequeat, ſiue bonum ſiue malum cupiens*: Hæc ad ſtuporem vſquè ſpeculata eſt & rectè attigit *B. Catharina Genuenſis* in mirabili illo opuſculo *de Purgatorio*, & expoſitione noſtra hactenus aſſerta, optimè conuincit juſtitiam punitionis æternæ in inferno, quia ipſum peccatum non deletum hic per pænitentiam, *manet* in æternum cum ipſa pæna, nempè cum illa animæ afflictione, quæ hæret poſt mortem. Cæteras inferni pænas non tangit. Denique ex hac vera doctrina, ſequitur quod ſi homo recedat ex hac vita in ipſo actu eliciendi actus amoris Dei ſuper omnia, manebit iſte actus in æternum præter rationes datas; rectè proinde docet noſter *Vega* de juſtificatione, quod in moriente actus dilectionis Dei juſtificabit, ſcilicet in caſu dato. Conſultiſſimum igitur eſt agonizantibus ſæpius elicere hos actus, vt cum morte iungi poſſint, nam homo actu diligens Deum damnari non poteſt, quia nexus ſeu ſenſus compoſitionis eſt impoſſibilis: cum igitur actus ille erit æternus, nulla erit damnatio. Demum ſi Fidem adhibeamus *Platoni*, quod ſemel reuera fuerit intellectum, obliuioni omninò dari nequit, ſed ſcilicet rei comprehenſæ ſpeciem in æterna mente verti in habitum ſempiternum. Neque enim contrarium quicquam habet, cuius acceſſu interimatur. Neque vnquam à

ſubjecto deſeritur, ſic ille ad propoſititum noſtrum & conformiter ad ea quæ ex vera Philoſophia dixi. De hac immutabilitate cogitationum quoad animas ſeparatas profundè philoſophatur *D. Digbeus* in celebri illo opere ſeu tractatu corporum & animæ humanæ l. 2. c. 11. differt quidem in principijs ſuarum Aſſertionum tàm ab *Ariſtotele*, quàm *Platone*, & quod conſequens eſt in explicatione ſuarum Aſſertionum ab ijs quæ hic dixi, licet quoad intentum meum conueniat: vbi pro more ſuo in abditiſsimis naturæ arcanis fæliciter luxuriatur. Ipſi per omnia concordat doctiſsimus *Thomas* Anglus in opere citando l. 5. lec. 1. & tandem n. 13. ſic concludit. Quæcunque itaque in mortis inſtanti homini inerant ſecundùm animam, inſeparata manent. Omnes itaque reſolutiones ſeu iudicia ipſius, ſiue ſpeculatiua ſiue practica, in ea reſtabunt, & tandem lec. 4. n. 10. ſic finaliter concludit. *Quorum omnium de anima* dictorum collectione fit, vitam noſtram gradum ad æternitatem, & prout ſe geſſerit homo in hac vita, tali eum poſtea vſurum eſſe æternitate. Benefacta ſi quidem & præmia, culpas quoq; & pænas pariter eſſe æternas. Demũ qui optimè vixerit, optimè ſe in futura vita habiturũ: qui melius, melius: qui benè benè, qui malè, malè, &c.

18. Sic etiam expreſsè tenet Author doctiſsimi opuſculi quod compingitur cũ libris *Ariſtotelis* & circumfertur ſub nomine *Theologiæ Ariſtotelis* l. 9. c. 5. *Neque etiam mirum quod animus exiſtens ſupra cælos, ſit memor eorum quæ vidit ac fecit in regione ſubteriori, quodque etiam in cælis extet memor rerum cæleſtium abſtractarumque, quoniam exiſtit firmus*, &c. *Proculus* doctrinam noſtram egregiè declarat, vbi diuerſos ſtatus animarum ſeparatarum deſcribit, vnus eſt earum quæ affectum erga craſſum corpus, & ad vitam cum ipſo communem adhuc retinent, hæ propter vitam practicam, quæ ſcilicet commercium percupiunt, illæ ob flagitioſam vitam quam adhuc affectant, &c. Et conſequenter ad has diuerſas inclinationes, quas adhuc ex prioribus dum in corporibus ſuis eſſent, retinent, diuerſimodè purgantur & puniuntur, vt ibi oſtendit.

Addo Purgatorium aliquod *Pithagoricos* & *Platonicos* non latuiſſe, dum *Tranſmigrationem* animarum finxerunt: Nimirum *Timæus Locrus* putat

putat ante Tranſmigrationē eas per aliquod ſpatium in Corporibus aërijs viuere atque ita *animi vexatione* purgari. Modus talis eſt ex *Timæi* ſententia: Hominis ſcilicet animam quæ peccando in rationem peruerſam, imaginationemque vehementiorem prolapſa eſt, poſt obitum mox in aëreo corpore, quod nunc etiam poſsidet, eadem ipſa Cogitationis peruerſitate vehementiaque torqueri inter infimos Demones, Similibuſque animam ſtimulis ſubpungentes, quouſque tantæ anguſtiæ cauſam recognoſcens fuiſſe auerſionem ab intellectu, paulatim reuertatur ad ipſum: quod tunc per pauciora diſtracta planius quam nunc animaduertere poteſt, atque ita gradatim in ſublimiorum Dæmonum ordinem eleuetur, &c. Sic refert *Ficinus* in *Photinum*, in librum *Enneadis* tertiæ quartum, de Dæmonibus in cap. 2. Et certè hanc doctrinam apud *Platonicos* frequentari videò. Sic etam *Syneſius* in opuſculo de Somnijs. Sic etam *Socrates* apud *Xenocratem* de morte, &c. Huc etiam alludit *Virgilius* in *Æneid. 6.* vbi fusè hanc Pithagoricam Philoſophiam decantat. Sic etiam ſexcenties ipſe *Plato*, tum alibi, tum in Epiſtolis ad *Syracuſanos*, vbi dicit, *Credendum ſemper eſſe Priſcis, ſacriſque Oraculis aſſerentibus animam hominis eſſe immortalē, judiceſque habere, ac pœnas pati maximas, cum corpore fuerit ſeperata*, &c.

Socrates etiam meminit Purgatorij ſub fabula cuiuſdam *Aridei* in 10. lib. Reip. vt narrat *Iuſtinianus* Martyr in Admonitorio.

Illa etiam alia via *Platonis* & *Peripateticorum* multorum, quam tractabo ſub materia de inuocatione Sanctorum, hoc etiam juuat, nimirum de concreatis ſpeciebus omnium entium in anima humana. Speculanti patebit. Non igitur inaniter dixit *Baconus* noſter, Purgatorium poſſe attingi naturaliter.

14. Quam cautè verò & ſanctè hanc materiam tractauit & definiuit Sacrum *Tridentinum*, & quam conſequenter ad lumen Fidei & rationis, facilè conſtabit erudito & pio lectori in ipſo Decreto ſeſſ. 25. *Cum Catholica Eccleſia, Spiritu Sancto edocta, ex ſacris literis, & antiqua Patrum Traditione, in ſacris Concilijs, & nouiſſimè in hac œcumenica Synodo docuerit, Purgatorium eſſe, animaſq́ ibi detentas, fidelium ſuffragijs, potiſſimum verò acceptabili Altaris Sacrificio juuari; præcipit*

ſancta Synodus Epiſcopis, vt ſanam de Purgatorio doctrinam, à ſanctis Patribus, & ſacris Concilijs traditam, à Chriſti fidelibus credi, teneri, doceri, & vbique prædicare diligẽter ſtudeant. Apud rudem vero plebem difficiliores ac ſubtiliores quæſtiones, quæq; ad ædificationem non faciunt, & ex quibus plerunq; nulla fit pietatis acceſſio; à Popularibus Concionibus ſecludantur. Incerta item, vel quæ ſpecie falſi laborant, euulgari ac tractari non permittant. Ea verò quæ ad curioſitatem quandam, aut ſuperſtitionem ſpectant, vel turpe lucrum ſapiunt, tanquam ſcandala & fidelium offendicula prohibeant, &c.

CAPVT · XXXXIV.

De Inuocatione Sanctorum: ex quo Capite ſit de Fide?

1. HAnc materiam in Problematibus fusè tractaui, & obiectiones apparentiores expendi, & vt potui, conuelli, quæ vt plurimùm ſunt ἀντιςρέφοντα quæ æquè in eos conuerti poſſunt. Hìc igitur ſolùm per tranſennam declaro conſtantem fuiſſe Eccleſiæ Primitiuæ ſententiam, quæ hodie ab Eccleſia tenetur ex *Tridentini* decreto, adeò vt præcipuum definitionis Tridentinæ fundamentum ſit Traditio.

2. Vndè *Dionyſius* in Eccleſ. Hierar. c. 7. p. 3. ſic dicit. *Itaque Scripturæ acquieſcens, vtiles eſſe in hac vita dixerim Sanctorum preces, hoc modo ſcilicet, ſi qui Sanctorum munerum deſiderio incenſus, ad eaque percipienda piè affectus, paruitatis tamen propria conſcius quempiam Sanctorum virorum adeat: oretq; ſibi adiutorem & precatorem accedere: capiet ex hoc omninò vtilitatẽ commmoda cuncta excedentem, fruetur enim ijs quæ petit ſacratiſſimis donis, ſuſcipiente diuinâ Clementiâ*, &c.

Baſilius Ep. 205. quæ eſt ad *Iulianum* Apoſtatam, vbi Fidem Chriſtianam tradens dicit, *ſuſcipio autem & Sanctos Apoſtolos, Prophetas, & Martyres, & ad ſupplicationem quæ eſt ad Deum, hos inuoco, vt per eos, id eſt interuentionem eorum, propitius mihi ſit miſericors Deus, & culparum mihi redemptio fiat & condonetur. Vndè & Characteres Imaginum eorum honoro, adoro, præcipuè cum hoc traditum à ſanctis Apoſtolis & non prohibitum ſit, quin & in omnibus Eccleſijs noſtris oſtendatur depictum*. His Teſtimonijs

Digitized by Google

nijs ſuppoſitis, quibus etiam adiungo plura, rectè dicit *Eſpencæus* de Inuocatione Filij & Spiritus Sancti. *Inuocatione Sanctorum, puram atque Legitimā Dei Inuocationem adeò vel non impediri, vel corrumpi ſenſit omnis propemodum Eccleſiæ Conſuetudo, antiquitus & vniuerſitus, vt quotquot aliter ſenſerint, eos pro ſuis & inter ſuos, nequid grauius dicam, minus agnouerit.* *Caſſander* etiam Art. de Cultu Sanctor. teſtatur, quod hujus veritatis in promptu ſint teſtimonia *Origenis, Athanaſij, Baſilij, Nazianzeni, Niſſeni, Theodoreti, Chryſoſtomi, Hieronymi, Ambroſij, Auguſtini, Leonis*, &c.

Nazianzenus ſæpè hoc aſſerit, vt orat. 32. in præſentia 50. Epiſc. In orat. etiam in quodam Concilio: In orat. etiam tertia, quæ vocatur Inuectiua prima in *Iulianum*, vbi narrat votiua Chriſtianorum. Dona in honorem Martyrum, &c. poſt alia ſic loquitur. *Quibus præclari honores & feſta conſtituta ſunt: à quibus Dæmones propelluntur, & morbi curantur: quorum apparitiones & prædictiones, quorum vel ſola Corpora idem poſſunt quod animæ ſanctæ, ſiue tangantur ſiue honorentur, quorum vel ſolæ ſanguinis guttæ atque exigua paſsionis ſigna idem poſſunt quod Corpora.* Fuſè & ſæpè. De laudibus etiam *Baſilij Magni* verſus finem hæc habet. *A quo nunc quoque per nocturnas viſiones admoneor & caſtigor, ſi quando ab officio receſſero* hoc habet. *Hilarius* lib. 11. *Hunc Prophetiæ volumina conſignant, hunc temporum quotidie proficiens plenitudo teſtatur, hunc Apoſtolorum & Martyrum per virtutum operationes loquuntur ſepulchra.* Nempè ad Inuocationem fidelium.

3. Apud vnum etiam *Oroſium Auguſt.* Diſcipulum, ex cuius mandato ſcripſit *aduerſus Paganos* Hiſtoriarum libros ſeptem, tum alibi, tum in fine lib. 2. ſatis concludere poſſumus, Chriſtianorum in Sanctos deuotionem, vbi agens de perſequutione *Gothorum* Romæ, vocat Sanctorum locorum *Agmina*, hoc eſt, vbi reliquiæ Sanctorum reponebantur, *confugia Salutis*, nempè ſic ab omnibus habita. Lib. etiam 7. c. 39. alias narrans irruptiones & deprædationes *Gothorum* Romæ, mentionem facit aureorum vaſorum in honorem B. *Petri* à fidelibus oblatorum, quæ *Petri Apoſtoli ſacra Miniſteria* vocitata tunc temporis fuiſſe oſtendit. Et quod notabile eſt, ſubdit. *Barbarus verò ad Reuerentiam Religionis, timore Dei & Fide virginis* (*ſcilicet Monialis quæ*

cuſtodiebat Sacra vaſa) motus, ex mandato Alarici Tyranni omnia reportari ad Apoſtoli Baſilicam exertis vndique ad defenſionem Gladijs Barbarorum, pia pompa curauit.

Vbi obiter notandum, quantum differt Spiritus horum licet Barbarorum, ab aliquibus noſtri temporis *Sectarijs* qui Templa & vaſa Deo Sacra vbi reperiunt, temerant.

4. His adjungamus Teſtimonium alterius, qui etiam foris fuit, nempè *Iuliani*. qui teſtatur veterum Chriſtianorum hac in re conſtantem praxim in fine Epiſt. 52. vbi eorum vicem dolens, dicit. *Cuiuſmodi ſibi damnum inferunt, qui à Dijs immortalibus ad mortuos & eorum reliquas ſeſe transferunt*; nempè imponebat Chriſtianis erga Sanctos eodem prorſus modo ſe ipſos gerere ac Gentiles erga Deos, idem etiam ſatis inſinuat in *Miſopogone*. Etiam apud *Cyrill. Alex.* in ſuo lib. 10. vbi etiam legendus *Cyrillus*. Vndè abundè colligitur Eccleſiæ antiquæ ſententia. Quod etiam exactè declarat *Gregorius Taumaturgus* apud *Niſſenum* in eius vita, qui poſt feruentem perſecutionem *additamentum & quaſi corolarium ſtudij erga numen diuinum inſtituebat apud omnes vbiq; populos ſanciens, vt nomine eorum qui pro Fide decertaſſent, dies Feſti atq; ſolemnes conuentus celebrarentur*, &c. Ad quid hæc Sancta Feriatio: niſi vt implorato eorum ſubſidio Chriſtiani iuuarentur, vt poſtea patebit clariùs?

5. Meritò tamen dicit *Suarez* in *defenſione Catholicæ Fidei: Innocationem Sanctorum non eſſe ad ſalutem neceſſariam, modo ad Chriſtum Mediatorem accedant*, nec adeò malè dicitur in Cathecheſi Anglica Dom. *Blackloi* Pariſ. approbato, vbi in conferentia. 15. aſſerit, *longè præſtantius eſſe orare Deum quàm Sanctos, cum in infinitum eos tàm in potentia, quàm Charitate excedat*; addit, *Monemur aliquando dirigere preces ad B. Virginem, quod de illis ſolis precibus intelligi debet, quæ niſi in ordine ad illam effunderentur, non fierent*. Poſtea. *Inuocatio Sanctorum ideo docetur, vt excitemur ad deuotionem aliàs collabentem. Summa igitur eſt, quod ſi vel quando velimus orare Deum, non eſſet opus orare Sanctos*. Hæc ille.

Ratio vero apparens ſuæ Chatechiſticæ doctrinæ haberi poteſt ex *Origene* contra *Celſum* l. 8. fol. 530. edit. Pariſ. *Vnus eſt nobis placandus Deus*,

Digitized by Google

dus Deus, vniuerſorum Dominus; vnius fauor ambiendus per pietatem, virtuteſque cæteras. Si vult (ſcilicet Celſus) præter hunc placari etiam alios, cogitet, quod ſicut moto Corpore, vmbra quoque ipſius mouetur, ita cum aliquis Deum, habet propitium, ſequitur vt amicos habeat omnes eius Angelos, animas, & Spiritus.

Simpliciter igitur loquendo, ſolus Deus ſcilicet Dei Filius, Pontifex omnium de neceſsitate eſt inuocandus, ſic *Origenes* in eodem libro, ſic ipſa veritas, *venite ad me*, &c.

6. Cum quo tamen benè conſiſtit, *bonum & vtile eſſe* ſubinde orare Sanctos, nec aliud definitur in *Tridentino* ſeſſ. 25. tit. *de Inuocatione, veneratione*, &c. vbi ſic habetur. *Fideles diligenter inſtruant, docentes eos, Sanctos vna cum Chriſto Regnantes, Orationes ſuas pro hominibus Deo offerre, bonum atque vtile eſſe ſuppliciter eos inuocare, & ob Beneficia impetranda à Deo per filium ejus Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui ſolus noſter Redemptor, & Saluator eſt, ad eorum Orationes, opem, auxiliumque confugere: Illos verò qui negant Sanctos, æterna fælicitate in cælo fruentes, inuocandos eſſe*, &c. Poſtea. *vel ſtultum eſſe, in cælo Regnantibus voce vel mente ſupplicare; impiè ſentire*, Intra Hos igitur latitudinis ambitus licet Catholico ambulare.

7. Ex his facilè eſt videre, quam longè differat Doctrina Eccleſiaſtica ab imputationibus Hæreticorum; quam cauta & quam ſancta ſit hæc *Tridentini* ſanctio, patet: cum omni modo cauet ne hac in re decipiantur fideles, plus tribuendo Sanctis quam oporteret, & ideò non ſolum Inuocationem crudè definit, ſed modum quo inuocari debent & propter quid inuocandi ſunt, declarat.

8. Negari tamen non poteſt quin ſubindè apud imperitum vulgus Religio vera vertatur in ſuperſtitionem, ſecundùm illud *Auguſtini* lib. de moribus Eccleſiæ cap. 34. *Nolite mihi colligere* (*Manicheos* alloquitur) *profeſſores nominis Chriſtiani, nec profeſſionis ſuæ vim aut ſcientes aut exhibentes. Nolite conſectari Turbas imperitorum: qui vel in ipſa vera Religione ſuperſtitioſi ſunt*, &c. *Noui multos eſſe ſepulchrorũ & Picturarum adoratores*, &c. *Nec mirum eſt in tanta copia Populorũ, quod non vobis deſint, quorũ vitâ vituperatâ, decipiatis incautos & à Catholica ſalute auertatis*, &c.

Hic accuratè delineatur ſtatus Eccleſiæ, & ſectariorum hodiernus.

Quod verò fatetur Sanctus Doctor de *ſuperſtitione* vulgi ſui Temporis, idem hodie agnoſcendum & deplorandum eſt; quod vtinam auferri poſsit; cauendum verò ne in ſuperſtitione tollenda tollatur Religio: Cultus Sanctorum eſt optimus, idemque caſtiſsimus, atque Sanctiſsimus, vt eos pura integra, incorrupta, & mente & voce veneremur: Sāctos non opinione cuiuſuis vetulæ, ſed reipſa ex hominum Genere in cælum tranſlatos, auguſtè & ſanctè veneneratur Eccleſia: ſi in modo ab aliquibus erratur, contra Eccleſiæ inſtituta peccatur vt patet ex *Trid.*

Eodem modo dicendum eſt de *Peregrinationibus* ad loca ſancta, quas adeò celebrauit *Hieronymus* in aduentantibus *Bethleem*, in quibus fatetur non rarò, ſe quaſi in ipſis reſpexiſſe Chriſtum & B. Virginem dicit quidem in Ep. 13. ad *Paulinum*, quod de *Britānia & de Hieroſolymis æqualiter patet aula cæleſtis*: *narrat quod B. Hilarion cum Palæſtinus eſſet & in Palæſtina viueret, vno tantum die vidit Hieroſolymam, vt nec contemnere loca ſacra propter viciniam, nec rurſus Deum loco claudere videretur*. Quam ſanctè & prudenter ab *Hilarione* hoc actum, & à *Hieronymo* laudatum? licet ibidem fateatur totum orbem eò tunc concurrere ſolitum, Ep. etiam 17. fusè hanc materiam proſequitur. Et ad hoc hortatur *Ruſticum* Ep. 46. & ſæpè ſæpius alibi hoc idem docet.

Niſſenus tamen inſtituit orationem de ijs qui adeunt *Hieroſolymam* deuotionis causâ, & multa perorat contra illud, & tandem poſt multa grauiter prolata, concludit *Conſule ergò, dilecte, fratribus, vt à corpore peregrinentur ad Dominum, non è Cappadocia in Paleſtinam*, &c. dixerat etiam ante. *Vndè vos qui timetis Dominum, in quibus locis eſtis, eum laudate: localis enim mutatio, vt Deus propior ſit, non efficit: ſed vbi vbi fueris, ad te Deus veniet, ſiquidem animæ tua diuerſorium tale inueniatur, vt in te Dominus inhabitet, inambuletque*, &c. Omnia vt verum fatear; oratorum more exaggerat, quæ obijci poſſunt cōtra indiſcretas peregrinationes, quæ tum perſonis, tum temporibus, vel ratione locorum quà trāſire oportet, non cōueniunt. Contra viſitationes verò locorum ſanctorum ſimpliciter ſeu in ſe, non adeò agit, vt patet in Ep. *Euſt.*

& Ambroſ.

Digitized by Google

& Ambroſ. & Baſiliſſa, In vita etiam *S. Macrinæ* & *Ephræm* de periculis & abuſibus frequenter concomitantibus: docet ideò modum peregrinãdi, à propria praxi dum, eadem loca ſancta viſitaret *vehiculum nobis pro Eccleſia & monaſterio erat, omnibus per totam viam ſimul pſallentibus & ieiunantibus Domino*, &c. Si ſic peregrinari velint & loca permittant,non contradicet *Gregorius*, nec quiſquam ſanctorum, immò cum *Hieronymo* & *Aug.* maximè laudabunt, modo obſeruetur Chriſtiana *Hilarionis* prudentia.

9. Veritas Inuocationis Sanctorum expoſita in *Tridentino* breuiter ſic declarari poteſt.

Animas Beatas intercedere pro Nobis, apud omnes etiam Aduerſariorum eminentiores in confeſſo eſt, & hoc Sacræ Scripturæ proclamant, nunc in terminis, vt in *Machabæis*, in Apocalypſi, & alibi, nec ſolum in generali, ſed pro particularibus perſonis, & rebus, vt ſpecialiter declarat *Petrus* in Ep. 2. Cap. 1. *Dabo autem operam & frequenter habere vos poſt obitum meum, vt horum memoriam faciatis.* Promittit ſe oraturum pro ijs poſt mortem, vt practicè recordentur eorum quæ in præcedentibus verbis eos docuerat, vt rectè obſeruant noſtri *Anglo Rhemenſes* in ſuis ad hunc locum annotationibus & citant Scholia græca.

Nunc neceſſariâ conſequentiâ, vt ex Epiſtolis *Pauli* olim deduxit *Hieronymus* contra *Iouinian.* & hoc omnes omnium temporum veteres Orthodoxi cognouerunt, vt etiam *Origenes* conſtantiſsimè, tum contra *Celſum* lib. 8. tum Hom. 3. in Cant. Canticorum, aſſerit.

Ex quo ineuitabili conſequentiâ infertur, ergo *bonum & vtile* eſt orare Deum, vt interceſsione omnium, vel huius vel illius ſancti, in particulari pro me exaudire dignetur.

Vtique ſi fructuoſæ ſunt ipſorum interceſsiones pro nobis, quid impedit, quo minus eſſet fructuoſum ipſas mihi applicare, ſeu orare Deum, vt applicare dignetur, quod eſt *confugere* ad orationes, *opem, auxiliumq; Sanctorum* vt loquitur *Tridentinum.* Et certè quoad hoc perinde eſt, ſiue dirigamus preces ad Deum,ſiue etiam in recto ad ipſas animas ſeu Spiritus beatos: ſi enim ſubſtantiam rei ſpectemus,

Digitized by Google

non aliud intendimns per vnum vel alterum orandi modum, quam quod Deus ad Orationes ipſorum nos iuuare dignetur, quod vt dixi neceſſariò deducitur ex Antecedente, in & ex Sacris Scripturis ab omnibus conceſſo. Et vt rectè *Auguſtinus* lib. 22. de Ciuit. vt eum citat *Ayola* de Traditionibus, Tit. de *Cultu Sanctorum* fol. 105. *Hunc vſum* ab initio traditum tenemus.

10. Quod ſatis conuincitur, præter ea quæ ſuperiùs dixi, ex illis quæ facta ſunt in Act. 11. Concil. *Chalc.* vbi Epiſcopi & Clerici *Conſtantinopolitani* clamarunt, *Flauianus poſt mortem viuit*, *Martyr oret pro nobis*, &c. Hoc in pleno Concilio coram tota Eccleſia factum, ſatis arguit ſenſum Eccleſiæ: vtique Latini ſaltem reprehendiſſent, vt ibidem alia minoris momenti animosè arguebant *Nouitatis*.

11. *Athanaſius* (ſi ipſius eſt in Euãgelium de ſanctiſsima Deipara) docet non ſolum, quid orandum, ſed quomodo & pro quibus rebus, ad B. Virginem. *B. Virgo Regina & Domina & Mater vitæ in* initio Orationis ibi appellatur, tunc ſic orat. *Ad te clamamus, recordare noſtri ſanctiſsima Virgo*, &c. *Retribue nobis pro exiguis iſtis eloquijs magna dona ex diuitijs tuarum gratiarum*, &c. Hæc verba licet à tam magno Eccleſiæ Doctore & à tam antiquo prolata, Sectarijs erunt offendicula, veritas tamen eſt, & ideò opportunè non reticenda.

Omitto *Theodoretum*, ſub initium Hiſtoriæ Religioſæ, & in lib. 8. de curatione Græcanicarum affectionum verſus finem, vbi praxim ſolemnem Chriſtianorum exactè declarat. Prout etiam *Ambroſius* in quadam ſua Epiſt. ſic etiam *Auguſtinus* Ep. 137. vbi fusè oſtendit Conſuetudines pias Chriſtianorum in currendo ad memorias Martyrum, ad expetenda Miracula, etiam ad vnum ſanctum potius quam alium pro aliqua Speciali gratia: quod etiam Catholicis improperauit *Maximus* Philoſophus apud *Aug.* Ep. 43. Hæc etiam fuit Fides Angliæ ex *Beda* lib. 1. c. 20. 29. & l. 2. & l. 3. & l. 4. c. 6. Nec ſolùm celebrabantur memoriæ martyrũ, ſed ex iiſdem patet etiam aliorum ſanctè obeuntium, vt cum cæteris teſtatur *Niſſenus* de vita *S. Ephræm*. *Qua propter cum ita circulus ferat, vt hodie collaudandus ac celebrãdus ſit nobis ſanctus Ephræm*, &c. Nihil apud veteres magis tritum.

Idem

Idem *S. Greg. Niſſ.* longè poſt in eodem opere, adfert quendam ab ipſo laudatum ſic orantem: *Sancte Ephram ſuccurre mihi.* addit. *Sicque tutò periculorum laqueos euaſit,* &c. Et *præter ſpem eſt reſtitutus.* Tandem ipſe *Niſſenus* ſic eum inuocat. Tu autem diuino iam aſsiſtens altari, vitæque principi, ac ſanctiſsimæ vna cum Anglis ſacrificans Trinitati, &c. veniamque nobis peccatorum impetra.

Greg. etiam *Niſſ.* tum alibi, tum in Orat. de *S. Theodoro* martyre optimè deſcribit beneficia quæ recipiunt Chriſtiani per inuocationes ſanctorum. *Nobis verò memoriam certaminis* pro doctrina reliquit, populos congregans, Eccleſiam erudiens, demonas effugans, Angelos pacificos reducens, rogans à Deo pro nobis vtilia, variorum morborum medicinæ officinam hunc locum efficiés, portum eorum qui afflictionum *tempeſtatibus iactantur*, &c. eius etiam Contemporaneus tum alibi tum in Orat. in omnes *S. Martyres mortui*, tanquam viui operantur, ægrotos ſanat, dæmones expellunt, omnem tyrannidis nequitiam virtute Chriſti in fugam agunt. Semper enim ſanctis reliquijs gratia adeſt Spiritus Sancti, quæ cuncta in eis miracula edit, quoniam viriliter Chriſtum coram hominibus in magna patientia confeſsi ſunt. In Orat. etiam in morte, poſt alia, Ille qui oſſa martyris contingit quandam ſanctificationis communicationem aſſumere creditur, &c. Teſtimonium huius vetuſsimi Patris ſemper celebre habebatur, tum ratione eminentioris doctrinæ, tum ratione ſpecialis ſanctitatis.

12. Nec hic ſolum eſt mos Chriſtianorum, ſed ante initium Euangelij, hunc vſum quem tenemus, fuiſſe traditum, facilè conſtabit. Et vt dixi, ſequitur ex doctrina *Machabeorum* de *Hieremia* orante pro populo: ſeu vt loquitur *pro fratribus 2. Mach.* c. 15. quod etiam *Iudæi* licet inuiti teſtantur, nam quamuis excludant Mediatores inter Deum & hominem, vt ſæpius apud *Rabbinos* experimur, & inter Articulos Fidei enumerant, vt patet apud *Rab.* in ſua quam compoſuerat *Articulorum claſſe*: tamen antiquitus & etiamnum hodie inter eos moris eſt, expandere ſe ſuper ſepulchra mortuorum, vt pro eis Miſericordiam efflagitent, vt teſtatur *Abrahaniel*, c. 12. & citat alium ex ſuis Sapientibus, qui dicit ideò fieri *vt efflagitent mortui, commiſerationem pro eis.*

Digitized by Google

pro eis. Quid verò hic ſit aliud, quam quod Nos vocamus *Inuocationem Sanctorum*, intelligere non valeo. Dixerat autem *Abrauaniel* paulò ante, quod *vbicunque reperitur Inuocatio ad Angelum, ibi intenditur precatio ad Deum.* Gloſſa voluntaria: quod ſi ſic licet ludere, facilè erit illudere omnibus Sacris Scripturis, ſed hoc factum crediderim ad captandam auram eorum vbi habitabat.

13. Quod verò obijci poſſet nullos fuiſſe in cælis ante Chriſti aduentum, ſecundùm illud *Apocalypſeos primo*, vbi Chriſtus dicitur *Primogenitus ex Mortuis*, & ideò fruſtraneum fuiſſe Sanctos tunc orare.

Notandum eſt, quod non omnes quidem erant in Inferno: Nam in Hiſtoria *Lazari* & Diuitis, patet vnum fuiſſe in ſinu *Abrahæ*, hoc eſt, quietis ſecretæ quadam habitatione, quæ nulla credi poteſt eſſe pars Inferni, cum dicat *Auguſtinus* Ep. 99. *Ne ipſos quidem Inferos vſpiam ſcripturarum locis in bono appellatos eſſe.* Alterum autem in Inferno: *quia inter vos & Nos, Chaos magnum firmatum eſt.* Quid eſt hoc, niſi magnus hiatus multum eos ſeparans? nec hoc ſolum ſed *firmatus* eſt. Locus ſine dubio doloribus Inferni circumcinctus, ibi ſecundùm *Auguſtinum* & vniuerſam fere Eccleſiam in eius tempore, vſque ad Chriſtum fuit *Adam*; & alij tunc doloribus illis liberati.

Abraham igitur & alij Iuſti & latro cui Luc. 23. erat eodem Die promiſſus Paradiſus, hebebant *Beatificam præſentiam Diuinitatis*, & latro in Paradiſo erat *beatificante Sapientia*, & inſimul apud Inferos *judicante potentia* vt loquitur *Auguſt.* eadem Epiſtola hoc eſt dum Chriſtus erat in Inferno ſecundùm animam vt vult *Auguſtinus*, ibi dicens, *Quis niſi Infidelis negauerit fuiſſe apud Inferos Chriſtum?* Bene ergo ad illos orari potuiſſet, propter *Beatificam præſentiam Diuinitatis*, vt patet. Sed redeam ad *Abrauaniel*, qui fatetur Inuocationem Sanctorum conſtanter permanſiſſe apud Chriſtianos, dicit enim. *Hæc verò ſententia ſuperſtes permanſit in manibus hominum, atq; etiamnum hodie manifeſtum apparet in Fide Nazareorum*, hoc eſt Chriſtianorum, qui ideo antiquitus ſic vocabantur, quia Dominus Chriſtianorum *Nazarenus* erat vt notat *Epiphanius*, vbi de Nazarenis & Ebionitis agit. Vocat etiam Nos *homines*, hoc eſt ſupra hominem non rectè intelligentes, & ſic *Rabbi Moſes* in ſuo

More

Digitized by Google

More Neuothim, Nos vocat *Stultos*, quia cum ipſis non inſipimus.

14. Solent aliqui obijcere impoſſibilitatem, quod Sancti in Cælis non poſſint audire nos à terris.

Ad quod dico, quod ſi Sancti non audirent nos, tamen non eſſet inutile ipſos inuocare, vt notauit de la *Torre*, De Religione quæſt. 83. art. 4. d. 3. *Nam aliquis* v.g. Angelus poteſt eas Deo præſētare: ſatis nobis ſit, quod *Deus nos audiat.* Sic etiam *Serarius Litaneutici* 2. quæſt. 25. *Fieri inquit poſſet vt eſſent qui Sanctorum nomine cognoſcant preces noſtras Angeli vel Deus ipſemet: nec illi ob eam cauſam fruſtra orarentur.*

Hugo etiam de S. Victore lib. 2. de Sacram p. 16. c. 11. *Multi in quæſtionem vocant, ſi Sancti preces ſupplicantium audiunt,* &c. *Poſtea. Difficile eſt iudicare de huiuſmodi quæſtione, Nunquid Deus non audit? Quid ergo inueſtigare quid audiunt, & quantum audiunt, cùm ipſe Deus audiat propter quem oras,* &c. 15. Ex his facile colligitur, nullas habere vires *Achillem* illum Aduerſariorum, quia illo dato nihil euincetur: licet conformius ſit Principijs etiam Philoſophiæ, vt poſtea oſtendam, Animas beatas (& ſi de Fide non ſit) eas omninò audire preces ſupplicantium. Vt rectè docet doctus amicus meus *Hauzeur Fra. Minor*, in ſuis *Exorciſmis*, eas omninò audire preces ſupplicantium etiam longiſsimè diſtantes, & hoc ſecundum vires ſuas proprias; Nam diſtantia illa Corporalis, ſeu Interuentio medij huius Materialis, nec iuuat, nec impedit actionem purè ſpiritualem, ſed ſolum agentium materialium, vt ex ipſis terminis patet.

16. Ad hoc non me latet aliquos Philoſophos tenere, illas poſſe mundi Spheras ſimul præſentialiter attingere, imò putant eas vbique eſſe.

Sed quod ſaltem poſsint ſe quaſi effundere in longè maximas diſtantias, omninò videtur probabile, ſicut Theologi aſſerunt de Angelis. Et ipſa natura nobis ſuggerit *exemplum* valde appoſitum de lumine (quod eſt quaſi anima mundi ſeu huius vniuerſi) in lucerna craſsiori clauſo, vbi apertâ lucernâ ad longiſsimam diſtantiam illuminat medium, nec ipſum in ſe multum debilitatur vel diſſipatur, nam quaſi æquè illuminat in ipſa lucerna, ac quando eſt clauſum, nec dum

clauditur

clauditur, multùm intenditur lumen, ſeu eius illuminatio.

Cur non à fortiori ſic Philoſophari licet de Anima quæ eſt purè Spiritualis: lumen vero non propriè, ſed quodam modo, propter illam tamen quantam quantam habet incorporeitatem, loci anguſtias prætermittit.

Quare dico, non poteſt aſſeri Animam, licet dum fuerit in Craſsiſſima lucerna Corporis noſtri, illuminet ſolũ intra terminos Corporis, vel ſaltem anguſtos habeat fines: jam verò ſeparatam, à cælo ad terram poſſe ſe præſentem facere, modo ſcilicet ſpirituali? Quid impediat non video: cum non habeat vllos poſitiuè determinatos Terminos à Natura quos ſcimus, & hoc videtur velle *Aug.* Vndè *Ficinus* in Theologia ſua Platonica de Immortalitate animorum l. 3. c. 4. dicit. *Sicut eadem hominis anima quæ cubitale Infantis corpuſculum rexerat, regit bicubitum æquè & tricubitum, ac deinde quatuor cubitorum, & decem rurſus, vt dicitur de Gigantibus, ita ſi vſque ad centum creuerit & ducentos æquè reget. Quod enim Naturæ ordine & dignitate omnem molem Corporis antecedit, non minus totam ipſam molem, quam molis partem implere poteſt atque mouere.*

Omitto Ægyptios Philoſophos tenuiſſe animam rationalem ex natura ſua vbique & ſemper eſſe.

Dicit etiam *Baſilius* l. *de vera virginitate* de Spiritibus Angelorum & Sanctorum, *nullus* inquit *ex his eſt qui* non ſingula vbique ederet, &c. *incorporeis obtutibus* ad agnitionem complectuntur omnia, & comprehendunt.

Quod dixi, aliundè etiam apparet probabile: potius certum v. g. Theologi dicunt animam poſſe eſſe præſentem ſubſtantialiter alicui ſpatio rotundo, vel eadem eſt ratio in ſua preſentia toti corpori noſtro: Si corpus non in quadro vel rotundo eſſet, ſed extenderetur in longum, æquè benè poſſet eſſe præſens, hoc negari non poteſt cum anima non plus has quam illas exigat dimenſiones, poteſt linealiter protendi ad longiſsimam diſtantiam vix aſsignabilem, & ſicut poteſt eſſe præſens toti maiori Corpori, æquè poteſt extenſiori lineæ, &c. Ex quo ſequetur animas Sanctorum facilè audire preces longiſsimè diſtãtium, quia

quia vt patet, poſſunt ſe præſentes facere ad loca longè diſtantia ſecundum veram Theologiam, & etiam Philoſophiam. Tandem doctrina Platonicorum de concreatione ſpecierum vniu rſalium hoc etiam validè confirmabit. Sit igitur.

CAPVT XXXXV.

Ob majorem illuſtrationem quæſtionis præcedentis ponitur diſputatio,
An dentur ſpecies Platonicæ. i. *ſpecies quas vocant vniuerſales congenitæ animabus humanis?*
Vbi varia ſelectiſſima è naturæ archiuijs & adytis penetralibus eruuntur.

1. DIxi me examinaturum celebrem illam *Platonis* ſententiam de Concreatione ſpecierum vniuerſalium in animabus noſtris: Rogatus in aliud tempus non differam. Eſt quidem ſolutio ex ſecretioribus Philoſophiæ arcanis petenda; *Petam* tamen, quia Theologicis difficultatibus de quibus hîc loci agitur, haud parum inſeruit.

Nec inſolens eſt inter materias Theologicas interſerere ſpeculationes Philoſophicas; quoties hoc fecit *Auguſtinus* de Trinitate, in libris ſuper *Geneſim*, De ciuitate Dei, in Epiſtolis, &c. quoties *Baſilius* paſſim etiam res medicas, quoties *Gregorius*, *Theologus*, qui certè aliquando videntur in iſtis ſanctè luxuriari. Omitto Scholaſticos, qui vbique in his ſuper effluunt.

Addo quod perſonarum habenda eſt aliqua ratio, quibuſcum congredimur, qui ex principijs *Soſini* ad naturam ferè in omnibus recurrunt. Et hinc *Nazianzenus* metricè egit rem religionis ad multa millia verſuum, quæ hodie extant, contra *Appollinarium* qui ſuorum Carminum elegantia multos ineſcauerat, ſic etiam *Athanaſius*, ſic *Damaſcenus* nec pauci alij, nimirùm quia Græci in poeticam antiquitus

omnem contulit ſcientiam, vt notat *Iuſtinus* Martyr in libro de *Monarchia Dei*, & inde ipſe vnitatem Dei contra multitudinem Gentilitiam ex antiquis Poetis probat, efficax vt ipſe autumat indè argumentum hauriens. *Greg.* etiam *Niſſ.* ſcribens vitam *Gregorij* Taumaturgi obſeruat Patriarcham *Abrahamum* ſcientia Chaldaicæ Philoſophiæ tanquam ſcala atque adminiculo vſum fuiſſe ad ſuperi boni contemplationem. Et ad eius exemplum *Taumaturgus* cum in externæ ſapientiæ ſtudio diligenter verſatus eſſet, per quas res plerique errores Græcorum gentiliumque ſtabiliunt atque confirmant, ijs rebus quaſi ducibus & indicibus vſus eſt ad Chriſtianæ religionis cognitionem. Imò ipſe *Niſſenus*, tàm in *Hexameron*, quàm in hominis opificio & ſæpè alibi in Philoſophicis abundat, & cum diuinis ſcientijs commiſcet: & in vita *S. Baſilij* eius laudes exarans, poſt alia ad idem propoſitum fusè perorata dicit *Græcos autem ac Gentiles per ſuam ipſorum irretiens atque illaqueans eruditionem*.

Ne videatur verò ſententia, quam adorior, impoſititia, vel antiquis haud nota, antequam rationum momentis fulciamus, ipſos authores qui hac ex parte *Platonem* ſecuti & aſſecuti ſunt, referemus.

2. Primò ex ipſo *Platone* hanc ſpecierum Concreationem ſecutus eſt *Boëtius in Conſolatione Philoſophica*, & ibidem in Commentarijs D. *Thomas & Platonicorũ Coryphaus, Marcilius, Ficinus* in ſua Theologia *Platonica* lib. 11. cap. 3. Item *Mirandula* in ſuis lectionibus de anima, æſtimat probabilem; nec alienam à mente *Ariſtotelis*.

3. Nec certè aliter ſolui poteſt in principijs *Ariſtotelis* quod ipſe *Ariſtoteles*, (ſi ſit eius, licet alij tribuant *Aphrodiſeo*,) recitat. Sect. 11. Problem. *Aliquos etiam ſtatim* cum in lucem venerunt, locutos eſſe *proditum eſt*.

Ariſtoteles, dicit, *A plerìſque portenta eſſe putantur*. Quod ipſe vt ſolet, reijcit, nec tamen vllam rationem ſe dignam adfert. Quærit ſub initium iſtius Paragraphi, Cur pueri nonnulli, antequam ætas veniat, qua vocabula ſuo tempore explanare poſsint, fari incipiant, & vbi aliquid expreſsè dixerint, rurſus obmuteſcant, atque vt prius degant, quouſque ſolitum tempus loquendi accedat? Et poſt multa, finaliter reſoluit

Digitized by Google

reſoluit in membri cui fandi data eſt poteſtas, abſolutionem, quod poſtea rediens ad ſuam naturam obmuteſcit, dum tempus corroborandi abſoluendique vltimum veniat.

Quod quidem reſpectu puerorum ratione aliquantò vtentium accidere poteſt, quod ſcilicet reſpondeant verbis antea auditis, & articulatis, vt forſan erat in filio *Groeſi*, ſed de recenter natis, vbi nec facultas audiendi, vel loquendi, & quod præcipuum eſt, nec capiendi, vel intelligendi quod petitur, ſecundùm naturam datur, nullo modo valet, niſi dicendo animam fortiter motam, ad ſpecies vniuerſales recurriſſe, ſecundùm ea quæ diſcuſſurus ſum: licet quod vel quomodo ſpecies illæ, idiomata per auditum diſcenda repræſentare poſsint, difficulter intelligã, vt poſtea dicam ex *Auguſt*.ep.71. licet ſciam *Leuinum Lemnium*, *De occultis naturæ miraculis* & alios facilè in talibus occurrentijs eò recurrere: & vt verum fatear cum minori difficultate, quam *Ariſtoteles* ſoluit in ſuis principijs, niſi etiam ſpecies admittat, vt vult *Picus*.

4. *Leuinus* quidem de occultis naturæ miraculis l. 2. c. 2. agit de Energumeno, qui Latina & alia idiomata, quæ nunquam didicerat iam callebat, & ſtatim vt fæcibus melancholicis, quibus ſupra modum obruebatur, per medicamina exoneratus eſt, ad ſolitam ignorantiam reuerſus eſt. Quod ipſe in ſpecies illas refundit.

Sed ego hæc portenta exiſtimo, quæ *Ariſtoteles* vbique facilè reijcit.

Si aliquod Idioma eſſet homini connaturale, vt aliqui putant de *Hebræo*, adeò vt puer in ſiluis enutritus extra hominum commerciũ, *Hebraicam* linguam calleret, tunc ad ſpecies illas cum aliqua apparentia recurri poſset; ſed quia omnia Idiomata videntur arbitraria, nullum video rationabile fundamentũ in hoc portento ad eas confugiendi. Quod ſi lingua illa ſit connaturalis, mirabile eſt quod non experiamur in illam addiſcendo maiorẽ facilitatem, quam in alijs, ſicut homines communiter eas artes ad quas naturaliter inclinantur, centuplò citiùs addiſcunt, quam alias ad quas non habent illam propenſionem. Rectè igitur docet *Baconus* noſter in tertio opere c. 28. quod omnis homo debet diſcere linguas, & indiget ſtudio & doctrina ha-

Digitized by Google

rum, eò quod non poteſt ea cognoſcere naturaliter quæ fiunt ad placitum hominis, & variantur ſecundùm hominis voluntatem. Et huic conforme eſt quod.

5. Dicit Philoſophus de *Hiſtoria animalium* l. 4. c. 9. ſub finem: *Non perinde locutio, vt vox per naturam prouenit, ſed acquiri poteſt per diſciplinam & ſtudium. Vnde homines quoque locutione vtuntur varia, cùm vocem omnes reddant eandem.*

Portentum igitur, non aliqua connaturalitas hic occurrit ex hoc eius principio.

Denique vt *Ariſtoteli* portentum hic neganti, ex ipſomet ſatisfaciam; loco iam citato paulò ſuperiùs dicit. *Pueri vt cætera ſua membra continere ac regere nequeunt, ſic etiam linguæ ſunt impotentes, & quidem imperfecti, & ſeriùs lingua abſoluuntur, itaque magna ex parte balbutiunt, tortique lingua ſunt.*

Cùm igitur eadem, imò maior ratio ſit linguæ, quoad locutionem (abſtraho nunc ab articulatione diſtincti Idiomatis nondum noti) quam aliorũ membrorum in ordine ad ſuos proprios actus: Si puer recenter natus ambularet, nunquid portentum haberetur? Cur non igitur ſi loqueretur, ex his eius principijs? ſed redeamus.

6. Dicit *Picus* multos *Peripateticos* viam ſpecierum amplecti, quas vtinam pro excellentia ſui ingenij non ſolũ aſſeruiſſet, ſed probaſſet.

Et quidem ex his, ſeu ob has, putem verificari quod habet Philoſophus l. 1. de Hiſt. animal. c. 1. *Quod homo vnus ex numero animalium omnium vim obtinet cogitandi*: & licet tribuat alijs memoriam, addit, *Nullum tamen præter hominem poteſt reminiſci.* Hoc eſt præteriti vt præteriti recordari, ſic eum intelligo. Alia animalia excitantur ad præſentiam obiecti per ſpecies fantaſticas, & ſic cognoſcunt non vt præteritum ſed vt præſens: homo verò recurrendo ad ſpecies coæuas excitatus à phantaſticis, omnia tempora voluit & reuoluit, & vel apices reduplicando excutit.

Et eandem doctriam repetit & ſequitur *Mirandula* in *Heptaplo*, in expoſ. 5. c. vlt. vbi hæc habet verba. *Dico autem reipſa quia & Angeli, & quæcunq; creatura intelligẽs, in ſe quodammodo continet omnia, dum plena formis*

mis & rationibus omnium rerum, omnia cognoſcit.

Sic etiã *Iãblicus*, vel vt alij putant, *Arabs* aliquis author ſc. doctiſsimi libri, cui tit. *Theologia Ariſtot.* c. 5. Sic etiã *Galilæus* in ſuo *mũdi Syſtemate Platonici* omnes. *Proclus* non ſolum tenet, ſed ſæpè ſæpius probat in *Alcibiadem*, *Porphirius* de occaſionibus, *Alcinous* de doctrina *Platonis*.

7. Et qui inſtar omnium eſt *S. Auguſt.* Ep. 23. videtur hanc amplecti ſententiam, vbi de *Infante* quodam agens, miraculosè oſtendente reuerentiam venerabili Sacramento Altaris ſubnectit, *Ita potuit omnipotens per infantis animam, non vbi ratio nulla erat, ſed vbi adhuc ſopita erat*, &c. Hoc volunt *Platoniſtæ*. Infinita ſunt apud *Aug.* loca huc tendentia, lege totum librum de *Magiſtro*, & librum primum *Retractationum*, & Epiſtolas reciprocas cum ſuo *Nebridio*.

Sic etiam *Nebridius* apud *Auguſtinum* Ep. 71. *Poteſt enim quemadmodum animus intellectualis ad intelligibilia ſua videnda, à ſenſu admonetur, potius quam aliquid accipit*, &c.

Sed adhuc planiùs *Auguſt.* Ep. 72. *Nonnulli calumniantur aduerſus Socraticum illud nobiliſſimum inuentum, quo aſſeritur, non nobis ea quæ dicimus, veluti noua inſeri, ſed in memoriam reuocari.*

Sed & adhuc planiùs & pleniùs *De immortalitate* c. 4. *Decimo* etiam lib. *Confeſſ.* c. 11. & alibi, *De quantitate* etiam animæ c. 20. & Retract. lib. 1. ad eundem librũ, vbi reſumit & explicat, quomodo diſcere nihil aliud ſit, quam reminiſci ac recordari. Poſtea. *Fieri enim poteſt, vt hoc ideo poſſit, quia natura intelligibilis eſt, & connectitur non ſolũ intelligibilibus, verum etiam mutabilibus rebus. Eo ordine facta eſt, vt quum ſe ad eas res mouet, quibus connexa eſt, vel ad ſe ipſam: in quantum eas videt, in tantum de his vera reſpondeat. Nec ſanè omnes artes eo modo ſecum attulit ac ſecũ habet: nam de artibus quæ ad ſenſus Corporis pertinent, ſicut multa medicinæ, ſicut Aſtrologiæ omnia, niſi quod hîc didicerit, non poteſt dicere. Ea verò quæ ſola intelligentia capit, propter id quod dixi cum vel à ſeipſa, vel ab alio fuerit interrogata, & recordata reſpondet.* Nihil accuratiùs dici poteſt, & cõſequenter ad ea quæ dixi ad *Ariſtotelis* & *Lemnij* portentoſas locutiones nam iſtiuſmodi extranea non ſunt ſimplicis Intelligentiæ, à ſenſibus, non ab ipſa anima ſola diſcenda ſunt.

finitæ ſunt potentiæ & naturæ, ſed *ſingula* quæ volunt entia ordinis ſaltem naturalis. Nec hîc vlla eſt habenda ratio *loci* vt optimè *Auicenna*, & ex ſe patet, ex ipſa ratione *loci*, in qua omnes *Peripatetici* cōueniunt, nempe quod ſit reſpectus *corporis* ambientis &c. nihil igitur in ordine ad animam & ſuas actiones (non tango hic vbicationes Theologicas, ſed ad ſcholas refero) *S. Greg. Niſſ.* in tract. de Anima dicit, *quādo igitur anima* dicitur eſſe in corpore, non vt in loco eſſe dicitur in corpore, ſed vt in ſitu, habitudine & momēto ac diſpoſitione ad aliquid colligari dicimus à corpore animā: prout dicimus ab amaſia amatorē cōſtrictum vinctumq; eſſe, nō corporaliter & localiter, ſed ratione habitus ſituſque: quippe cum magnitudinis moliſque, & partium expers ſit, præſtantior eſt omni deſcriptione per partes locali: etenim quod partes non habet, quonam poteſt loco circumſcribi? eſt enim locus extremitas continentis, quatenus continet id quod continetur, &c. Quod ſi quis dixerit, Romæ igitur & Alexandriæ, & vbique eſt anima mea; fugit ipſum, quod rurſus locum deſignat, &c. nam probatum eſt non poſſe comprehendi loco. Itaque cum id quod intelligitur, in ſitu fuerit, aut negotio quodam in loco exiſtente, abuſiuè & figuratè dicimus hoc ipſum ibi eſſe, propter operationem eius quod ibi eſt, locum pro ſitu & actione ſumentes: nam cum dicendum eſſet *ibi operatur*, dicimus, *ibi eſt*, &c. Multùm etiam iuuatur auditio ſeu viſio precum noſtrarum etiam mentalium licet diſtantiſsima, doctrinâ quam Theologi ſpeculantur *de locutione Angelorum*. Et perinde eſt ſiue videant ipſos mētales conceptus in Angelo loquente, vel ſpecies cogitationum repræſentatiuas, vt aliqui malunt. Quicquid verò ſit de hoc, poſitis ſemel ſpeciebus *Platonicis*, ſequitur quod dixi. Speculentur viri doctores, an non hoc ſequatur, ſuppoſita veritate quæſtionis, quæ à tot tàm Chriſtianis, quàm Gentilitijs, Philoſophis hactenus aſſerta eſt, quam etiam ſic vlterius per ipſam Philoſophiam aliquatenus enodare tentabo.

Omitto quod omnes rationes quibus nituntur Theologi ad probandas ſpecies prædictas in Angelis, hîc vel maximè valent. Sed his miſsis, & etiam rationibus à poſteriori deductis, quibus vtitur *Marſilius Ficinus* loco ſuperiùs citato, Ipſa verò intelligendi, principia ſecundùm

Digitized by Google

ligibiles, ſed concurrere ad earum productionem.

Hoc nihil iuuabit; nā Phantaſmata illa ſic denudata(ſi cōſideremus ſine circumſtantijs indiuiduantibus) non habent realem exiſtentiā,nec ipſa ſũt realia,ſcilicet extra cauſas ſuas poſita:quomodo ergo per ſe,vel cum intellectu agente, reali actione producent ſpecies intelligibiles?

Hæc & plura Philoſophanti facilè occurrent, quæ magnas hac in parte parient difficultates: admiſsis verò ſpeciebus innatis, ſeu vt loquuntur, concreatis,omnia euaneſcunt cum euanida illa *tabula raſa*.

Diuus Tho. p. 1. q. 84. a. 3. de induſtria examinat hanc quæſtionem, adfert vnam vel alteram objectionem: ſed quia non premunt, non moror in earum refutatione.

12. Neceſſariò igitur dicendum videtur, in anima ſeu intellctu latere ſpecies omnium & ſingularum naturarum ſpecie differentium, & intellectus ex & cum illis, excitatus plerumque à Phantaſmatibus, dũ fuerit anima corpori iuncta,vt etiam fatetur *Plato* apud *S.Th.* loco citato, producit actum intelligendi naturas ſclicet vniuerſales: quoad obiecta verò ſingularia iam exiſtentia,ſemper recurrit ad Phantaſmata in hoc ſtatu: nempè quia ſpecies illæ vniuerſales innatæ ſecundum *Doctorem Subtilem* non repræſentant exiſtentias obiectorum, ſed ab ipſiſmet exiſtentibus deuenitur ad cognitionem illam. Quod acutè videtur attigiſſe *Auguſt.* ſuperiùs. Et hinc facilè apprehendi poteſt, quod in ſacro Euangelio habetur, Chriſtummet *profeciſſe in cognitione* experimentali: aliàs intellectus cum ſuis innatis ſpeciebus, ſine nouis ſpeciebus cognoſcere poteſt naturas rerum, ſi corpus non impedit,& per illas diſcurrere, & tandem deſcendere ad particulares Concluſiones, ſicut ex habitibus ſcientiarum diſcurrunt & examinant viri docti etiam illa quæ non immediatè repræſentantur in illis habitibus, & inde fiunt & euadunt doctiores, ſic in propoſito Philoſophandum videtur.

13. Et hoc non eſt propriè *addiſcere*, ſed *reminiſci*, quia quodammodo per ſeipſum mouetur in id, quod eſt poſt principium, & non eſt per alium ,vt loquitur *Ariſtoteles* de *Memoria, & Reminiſcentia.*

D. quidem *Blaclous*, ſeu vt vbi vocatur *Thomas Anglus* in ſuis Inſtitutionibus

Digitized by Google

ſtitutionibus *Peripateticis* l. 4. lect. 10. negat hanc aſſertam doctrinam de renouatione, non innouatione ſeu acquiſitione ſcientiæ, ſed explicando ſeipſum reducit ad quæſtionem de nomine, his verbis. *Qui negāt animam acquirere ſcientiam, aiunt eam per præſentiam corporis excitari & quaſi moneri: ſed excitari & moneri eſt accipere cognitionem, acquirit itaque anima cognitionem. Addit: Neque obſtat experimentum Socraticum de puero ordinatè interrogato, & ad Geometrica rectè reſpondente: hæc enim interrogatio erat productio ſcientiæ non renouatio: erat enim applicatio rationis entis qua eſt inter terminos ad intellectum pueri, quâ fiebat vt cognoſcibile per rationem entis pueri animæ colligaretur & fieret quaſi aliquid ipſius, in quo conſiſtit vis cognitionis & ſcientiæ.* Hactenus hîc doctiſsimus Vir, & rectè quoad ſubſtantiam ſuæ concluſionis, nam hæc modo erit ſolum differentia in *nomine* ſcientiæ; non in re. Quod verò addit de colligatione cognoſcibilis animæ per rationem entis, non capio quomodo ratio colligati pueri animæ poſſit excitare ſeu producere cognitionem alicuius entis in particulari, licet modo oppoſito, ab hoc ente deueniri poſsit ad cognitionem entis vt hîc. Progredior in via explicata, & dico quicquid virtute ſpecierum Angelis conceſſarum, cognoſcunt Angeli ſecundùm Theologos, videtur in gradu tamen inferiori, concedi debere animabus noſtris: licet multum impediatur anima immerſa Corpori. Nec tamen putem, quod ex toto ſint fruſtraneæ etiam in hoc ſtatu, ſed prout animæ plus vel minus immerguntur in Corpore, ſic plus vel minus apparent earum virtutes, ſicut in melancholicis, vt etiam eleganter notat *Cicero*, ſeu Quintus apud *Ciceronem*, qui certè in tractatione nobiliorum quæſtionum in tota Philoſophia, haud ſecundas dabit vlli Antiquorum, ipſe igitur de Diuinatione l. 1. *Ij quorum animæ ſpretis Corporibus euolant, atque excurrunt foras, ardore aliquo inflammati atque incitati cernunt*, &c.

Et certè *Greg. Niſſen.* vel potius *Baſilius* de Opificio hominis c. 13. (qui vbique ſe non vulgarem oſtendit Philoſophum) huc videtur reſpicere de ſomniantibus agens. *Memoria confuſa, & vis præſagiendi ambiguis in quibuſdam velamentis quaſi dormitando nutans, ſimulachra rerum, quibus vigilans occupatur, imaginando ſibi informare videtur: neque*

non

Digitized by Google

non aliquando ea quæ deinde comprobaret euentus, indicauit. Nam præter eam quæ in corporis eſt temperamento, craſsitiem, *habet quiddam per naturæ ſubtilitatem, quo res perſpicere poſſit*. Neque tamen illa eſt vis, vt directè *futura declaret*, deque ijs dilucidè atque apertè nos doceat, ſed eſt tantum quædam obliqua & ambigua futuri euentus ſignificatio, quam ænigma vocant qui in his *interpretandis verſantur*. Et clariùs hoc docet in docto ſuo tractatu de Anima, vbi probat animam eſſe non confuſam cum corpore, ex hoc *quod anima quodammodo ſeparata à corpore in ſomnis, tanquã cadauer quoddã ipſum derelinquat*, &c. *Et per ſe diũ ſopitur, operetur diuinando quod futurũ eſt, & ad intelligibilia accedẽdo*, &c.

Ariſtoteles verò alicubi fatetur multam atram bilem cum modico calore, *diuinum* facere *ingenium*, nimirum melancholia benè attemperata reddit animam à corpore abſtractiorem, & ſibi magis collectam, & ideò, vt etiam notauit *Ariſtoteles*, omnes præclari poetæ, prout etiam *Sybillæ*, & huiuſmodi profundiora & ſpeculatiua ſeu penetratiua ingenia videntur in aliquem furorem rapi, & ſubinde *quaſi* enthuſiaſmos pati, & tunc myſtica ſua produnt ob maiorem animæ ſeparationem, nam tunc ſibi intenta conſulit ſpecies, de quibus hactenus, quæ res ordinis naturalis modo quo explicui ex *Auguſtino*, ſubindè clariùs vel obſcurius pro ratione corporis vel dignitatis animæ repræſentare poſſunt. Dixi res *ordinis naturalis*, propter actus liberos, qui ſecundùm *D. Th.* 1. p. q. 57. a. 4. ſunt medij ordinis inter naturales & ſupernaturales & ideò non poſſunt cognoſci.

14. Sed tunc videtur eſſe pulchra quæſtio, quomodo iſtud potius quam illud in conſpectu animi veniat, quando v. g. Anima incipit cogitare de aliqua re: hanc etiam mouit *Auguſt.* Ep. 102. Et in cauſas occultiores refert. Si per cauſas occultiores intelligere velit, quod aliquando ab Angelis, aliquando à Deo immittuntur cogitationes ſanctæ etiam in Somnijs (quod tamen nullo modo admittere vult *Ariſtoteles De ſomnijs*.) Verum eſſe nemo Chriſtianus, negare debet: ſed de cauſis naturalibus & de, *vt plurimum* contingẽtibus hîc agimus.

Alij igitur in quendam inter ſpecies ordinem, alij in ipſius animæ imperium, cum omnes ſint ſatis præſentes. Singula ſunt reſpectiuè,

Digitized by Google

vera; aliquando etiam *Conſuetudine conſequuntur motus, hic poſt hunc*; vt notat Philoſophus loco citato. *Auicenna* ſuperiùs, ſaltem reſpectu animarum ſeparatarum, vult eas omnia ſimul cognoſcere: ſed finitas naturæ, vt ibi notaui, non videtur hoc admittere, & ideo putem hanc difficultatem eas etiam afficere, & ſolutiones datæ reſpectiuè etiam reſpectu earum applicandæ ſunt.

Varios reminiſcendi modos explicat ibi, qui benè conſiſtant cum doctrina de ſpeciebus.

15. Examinandum etiam eſſet, quomodo res materiales & ſubinde Corporales poſſunt *mouere*, ſeu vt iam dixi *excitare* potentiam ſpiritualem ad actum intelligendi, ſicut dixi, intellectum excitari à Phantaſmatibus: vtique ſi quid ſapio, pulcherrimas inuoluit difficultates, præter illas, quas in Scholis communiter agitant: Non tamen videntur æquè vrgere, contra hanc viam, in qua non requiritur *motio* immediata obiecti extrinſeci, &c. ſed ſolùm quædam *excitatio* à phantaſia, ſeu *pulſatio*, ratione cuius non recurritur ad ſpecies vel in ſenſibus, vel in phantaſia, ſed anima ad ſeipſam, vel ad ſuas ſpecies internas, non extrinſecè deriuatas, vt hactenus dictum eſt. Leuiter quidem hũc rerum ordinem inſpicienti, non videretur, vt dixi prima facie prætacta difficultas vrgere. Ego tamen quo plus expendo, plus vrgeor, & rei difficultate opprimor.

Nam quid Commercij inter materialia & immaterialia, corporalia & ſpiritualia, quæ ibi proportio, vt vnum *pulſare, excitare* ſeu *mouere* poſſet aliud? Præſertim in via *Ariſtotelis* & omnium *Peripateticorum*, qui volunt quod objecta moueant potentias per ſuas ſpecies, quæ ſemper ſunt materiales: Nec clarè aufert difficultatem, quod aliqui aſſerunt, ſpiritus quoſdam interuenire & quaſi vnire obiectum materiale & intellectum, qui Spiritus nec ſunt propriè materiales, nec ſpirituales, ſed habent quoddam eſſe medium, ſicut aliqui philoſophantur de ſpiritibus in corde, in quibus ponunt ſedem animæ. Hæc materia de ſpiritibus eſt pulchra, quos igneæ ferè eſſe naturæ ſcio, quos malè in animales naturales & vitales communiter diuidunt: cum non niſi vnus ſit in nobis & ipſi omnia

hominis

hominis munera, exceptis intellectiuis tribuantur, quique à corde vt à ſui medio principioúe in omne mouentur corpus, quandam etiam mediam habent naturam inter ſpiritualem & purè materialem: hoc fateor, & inde vnionem illam inter animam & corpus quaſi per modum glutinis aliquo modo præſtare videntur. Nec tamen caret difficultate hoc exacte explicare, cum re quidem vera materiales ſint licet minus craſſæ, niſi fas eſſet dicere cum *D. Bonau.* ipſam animam eſſe materialem, quod eſſet durum. Quod verò dicunt de ſede animæ in corde, videtur ſanè ex progreſſu generationis animalium, & experientijs tam proprijs, quas *D. Digbeus* in ſuo corporum tractatu c. 24. adfert, quã ex alijs Doctoris *Haroci* popularis noſtri non leuiter euinci, nam ibi videntur primi actus vitæ, & inde ad alias partes deducunt. Sed hoc miſſo maiorem habet apparentiam, quod *Platonici* volunt, mirum ipſas potentias emittere radios (vt vocant) quibus excitentur ſeu actuentur objecta, &c.

Hæc via fortè pauciores haberet difficultates quoad præſens inſtitutum, dicendo v. g. quod potentia ſpiritualis habens in ſe innatas ſpecies omnium rerum, emittat lumen quoddam, ſeu radios per illas ſpecies productos ad objectum iam phantaſiatum, & ſic intelligit illud, &c. Sed etiam tunc orietur alia, & vt conijcio non leuis difficultas, quomodo illud lumen, vel radij illi, cum neceſſariò debeant eſſe immateriales, quia à cauſa immateriali, ſcilicet à potentia ſpirituali, quomodo dico poſsint actuare ſeu illuminare objectum materiale? Hæc examinabunt alij qui per omnia ſequuntur *Platonem*: Nec quoad hoc faciliùs euadent illi qui *Ariſtotelem* interpretantur, quod conueniat cum *Platone*, de actiuitate potentiæ viſiuæ, volens verò quod ſimul obiecta emittant ſuas ſpecies actuandas per ſpecies ſeu radios potẽtiæ, adeo vt ab vtriſque viſio ſeu cognitio viſiua compleatur. Hoc dico licet fuerit verum contra *Stoicos*, & puros *Platoniſtas*: tamen vt dixi manebit eadem difficultas, propter materialem vnius & immaterialitatem alterius quando de actu intelligendi agitur.

Superiorem verò difficultatẽ ſibi propoſuit ille, qui nihil non mouet quod curioſum vel obſcurum ſit, ſcilicet *Auguſt.* Ep. 100.

 101. ſed

101. ſed pro ſua modeſtia non ſoluit.

Ariſtoteles quidem l. 2. de cælo quæſito 5. Text. 35. dicit. *Incorporeum mouere Corpus cæleſte*, vtinam modum explicuiſſet, vel rem ipſam efficaciter probaſſet: ex ijſdem vtique principijs, aliquantò leuior redderetur hæc noſtra difficultas quæ ſanè magna eſt.

Hanc etiam difficultatem vtcunque licet remotiùs tangit *Thomas Anglus* l. 4. lec. 9. n. 8. vbi quærit, quomodo Spiritus cum ſit ens alterius ordinis quam corpus, poteſt in idem ens concurrere. Et n. 10. quærit quomodo vniat. Sed ſi quid ſapio, nec ſoluit, nam quod dicit: ſicut in quanto vna pars innexa eſt alteri & habet, &c. proprietatem entis ſeparati ſine ſeparationę: ſic & anima poteſt eſſe eadem corpori ſine confuſione proprietatum, &c. Et in ijs quæ ſubnectit, videtur rem obſcuram explicare per rem obſcuratiorem.

16. *Auicenna* putat ſpecies intelligibiles noſtras effluere à quibuſdam formis ſeparatis, à quarum primá deriuatur in ſequente, vſque ad infimam, quæ eſt intellectus agens; & hoc modo vult intellectum noſtrum peruenire in notitiam actualem rerum ſenſibilium: aſſerit verò ſenſus eſſe neceſſarios, vt excitent intellectum ad ſe conuertẽdum ad intellctũ agẽtem, adeò vt hac via videatur ex quodam ordine potentiarum prouenire, quod pulſo ſenſu ab objecto ſenſibili, intellectus excitetur ad recurſum ad intellectum agentem, & ſic producat actum intelligendi.

Conuenit igitur *Auicenna* in hoc, quod ſpecies intelligibiles non fiant in nobis, &c. Quod eſt contra viam communem Scholæ *Peripateticæ*: differt tamen à poſitione *Platonis*, in hoc quad vult ſpecies illas non nobiſcum quaſi naſci, ſed ad ſingula debet ſe denuò conuertere ad agentem, vt intellectus illas recipiat.

Hæc ejus via faciliùs euadit tactas difficultates ex materialitate obiectorum vt patet: ſed alias patitur anguſtias ex immiſſione ſpecierum ab intelligentijs ſeparatis, quia eſt volũtariè dictum: nec videtur multum inniti Principijs purè Philoſophicis, quæ talem entium ſeparatorum ordinem non adeo clarè patiuntur, ſaltem quoad actionem illam emittendi ſpecies: vt etiam notant Scholaſtici ſubtiliores in quæſtione de cognitione Angelorum.

17. Tandem

Digitized by Google

17. Tandem *Auguſt.* l. 12. c. 16. ſuper Geneſim ad litteram, tom. 3. dicit. *Non eſt putandum facere aliquid Corpus in Spiritum, tanquam Spiritus corpori facienti, materiæ vice ſubdatur: Omni enim modo præſtantior eſt qui facit, eâ re de qua aliquid facit.* Vnde concludit, *quod Imaginem Corporis, non corpus in Spiritu, ſed ipſe Spiritus in ſeipſo facit*, &c. Sic refert *D. Thomas* art. 6. vbi ſupra.

Iuſtinus Martyr fusè agens de ſtatu animarum poſt mortem in libro quæſtionum & reſponſionum, quæſtione 77. examinat quo modo anima ſeparata percipiat. Sic dicit. *Vniuerſa & rationes & creatæ eſſentiæ, duplicem obtinent vim percipiendi: alteram, quæ fit per ſenſum, alteram quæ per mentem, & hanc quidem partium notionis dictam, qua & ſeipſas & alia percipiunt: partim autem; intelligentiæ qua eius, quod ſupra eas eſt, cognitionem conſequuntur. Proinde non cooperatione corporis, animi eorum quæ ſub ſenſum cadunt, ſenſum percipiunt: ſed animus ipſe præſentia ſua ſenſum ſufficiens, vt animans ſenſum percipiat, efficit.* Ita & *Aug.*

Nullam igitur aliam ſolutionem ſuggerere poſſum conformem SS. *Iuſtino* & *Auguſt.* & vt videtur, veritati, quam dicendo ex immutatione ſenſuum, animam quodammodo ſeipſam excitare ad actualem cognitionem per ſpecies congenitas, & hoc ſolum prouenire ex quodam intimo potentiarũ ordine & colligatione, non amotione ſeu excitatione extrinſeca, quod etiam tetigit *Auicenna*, & *Doctor Subtilis* affirmatiuam partem attigit. Quando dixi *ex immutatione ſenſuum* &c. non nudè hoc accipiendum eſt, quaſi immediatè ad immutationem ſenſuum exteriorum, &c. ſed per nomen ſenſus, intelligo omnes partes animæ ſenſitiuæ quarum ſingulæ ſecundum exactiores Philoſophos & veritatem, ſunt ſenſus & virtutes ſenſitiuæ: cum igitur ſpecies ſeu virtutes venientes à rebus immũtent per aërem, per quem tranſeunt ſenſus particulares, ſenſum communem & imaginationem, quæ eſt arca ſenſuum, hinc deferuntur ad æſtimatiuam ſeu cogitatiuam, quæ ſecretiora percipit in rebus ſenſatis quam imaginatiua, &c. imò ipſæ ſubſtantiæ ſentiuntur ab hac parte animæ, hoc eſt non ſolùm qualitates complexionum, ſed ipſæ naturæ ſubſtantiales rerum ſibi conuenientes vel contrariæ ſecundùm *Baconium*, & ſpecies imaginatiuæ

tiuæ habent hic nobilius eſſe, & ſunt quaſi defæcatiores, & ideo anima intellectiua faciliùs mouetur, ſed vt puto, potiùs vi colligationis potentiarum quam illarum ſpecierum.

Ariſtoteles in libro *de Somnijs* tractans quomodo aliquis ſomnians ſubinde ſe ſciat ſomniare cum actu dormiat, malebat dicere, *Sæpè enim dormiendo dicit aliquid in anima, quod ſomnium eſt quod apparet*, licet ſterilis videretur hæc ſolutio ſic indefinitè reſpondere, quam ad improbabilia confugere, *Rogerius* quidem *Baconius* hoc attribueret cogitatiuæ: ſecundùm mentem *Auicennæ* 1. de Anima, quam dicit ſentire formas inſenſatas circa ſenſibilem materiam: & addit *Bacon.* quod homo in ſomnis videt mira per hanc virtutem & huic ſeruiunt omnes virtutes animæ ſenſitiuæ.

18. Ego fateor ægrè dmonſtrari poſſe, quomodo ordo vel colligatio illa potentiarum moueret animam, &c. cum majori tamen probabilitate & minori difficultate ſic reſpondetur, quam ſequendo vias aliorum. *D. Digbeus* libro ſeu trctatu ſecundo *de anima humana* c. 11. ſub initium, hanc difficultatem vidit, & tanquam inſolubilem in via ſaltem *Platonis*, reijcit. Ego quidem in omni via æſtimo difficilem, ſolutio, tamen data non caret ſua, probabilitate, & ideo vſque dum ſolidiorem inuenero, amplector.

D. Th. multus eſt in locis citatis pro communiori, & vt putatur *Ariſtotelis* ſententia, ſed nullo modo facit ſatis difficultatibus ſuperiùs expoſitis, & ideò hærendum cenſeo in ſolutione data, & hoc modo anima ſibi enodat rerum plurimarum obſcuras & neceſſarias intelligentias: nimirum quorum ex prima & inchoata intelligentia genera nullo docente cognouit, confirmat ipſa per ſe rationem & perficit, vt loquitur *Cicero* de *Legibus* l. 1.

19. *Arnobius* l. 2. contra Gentes fusè diſputat contra hactenus aſſertam doctrinam de ſpeciebus innatis, & conſequentias inde illatas, & nos diſcendo non reminiſci, ſed *hîc nata* addiſcere, & ſuſpicionibus *coalita vindicare*, &c. Ratio eius eſt, quia aliàs *conueniebat nos omnes ab vna veritate venientes, vnum noſſe, vnumq; reminiſci*, &c. ſed hoc facilè ſoluitur, quia vt ſæpè etiam diximus, anima pendet à diſpoſitione Corporis

Digitized by Google

poris in hoc rerũ ſtatu. Adde etiam ipſas animas inter ſe in perfectione ſubſtantiali non parum differre ſecundùm magis & minus in gradibus indiuidualibus, vt declarat *Doctor Subt. Tartaretus* de Anima & alij præſertim eiuſdem ſcholæ: & ideò non minus differre habent etiam ſeparatæ in ordine ad actus ſuos ſciendi vel reminiſcendi, non obſtantibus ſpeciebus illis, ſicut apparet in Angelis reſpectu animarum noſtrarum.

Non verò volo per hanc excellentiam vnius animæ reſpectu alterius, quod *Auicenna, Alkindus, Rogerius* noſter *Baconus* in opere 3. c. 26. & alij, quod hinc vnus homo poteſt per verba præſtare portenta vbi ſic loquitur: *Conſiderare debemus quod verba habent maximam poteſtatem* & omnia miracula facta à principio, facta ſunt per verba. Et opus animæ rationalis præcipuum eſt verbum, & in quo maxime delectatur, & ideo cum verba proferuntur *profunda cogitatione, magno deſiderio, recta intentione*, & cum *forti confidentia* habent magnam virtutem; nam cum hæc 4. contingunt, excitatur ſubſtantia animæ rationalis fortius ad faciendum ſuam ſpeciem & virtutem à ſe in corpus ſuum & res extra, & in opera ſua & maximè in vèrba quæ abintrinſecus formantur, & ideò plus de virtute animæ recipiunt, nam ſecundùm quod *Auic.* docet 8. de animalibus. *Natura obedit cogitationibus animæ*, & exponit in gallina, cui ex gloria victoriæ galli creuit cornu in crure, ex hoc ergo cognouimus, quod natura obedit cogitationibus animæ ſenſitiuæ, vt ait. Sed longè magis animæ intellectiuæ, quæ eſt digniſſima creaturarum præter angelos. Et ſecundùm quod anima eſt ſancta vel peccatrix, variatur generatio ſpeciei & vocis, & ſecundùm quod anima eſt beneuola vel maleuola, & ſicut virtus animæ fortiter multiplicata imprimitur & incorporatur fortiter in vocem, & in aere deferente vocem, & hic aer ſic figuratus voce, & habens fortem ſpeciem animæ rationalis poteſt alterari per hanc virtutem, & alterare res in ſe *contentas in varios effectus & paſſiones*. Fusè hæc proſequitur.

Fateor hunc virum in ſuo ſæculo fuiſſe æſtimatum celeberrimum non ſolum in Theologicis, ſed vel maximè in Philoſophicis, ſicut etiam *Albertus* cognomine *Magnus*, hæc tamen longè execedunt terminos Philoſophiæ naturalis, plura his ſimila ex reliquis duobus citatis ad-

ferre poſſem, ſed *D. Fienus* in docto ſuo opuſculo de phantaſia ſoluit omnia quæ hac in cauſa dici poſſunt, multa etiam hic ſupponuntur quæ indigent probatione, quæ verò gratis dicuntur, gratis negantur, nec caſu quo eſſent omnia vera concludunt maiorem nobilitatem animæ, ſed faciles diſpoſitiones corporis, &c. referri poſſent, ſicut in gallina, vel certè in cauſas ſubinde ſupra naturam.

COROLLARIVM.

20. Pleniorem harum, & aliarum huc ſpectantium controuerſiarum ex archiuijs philoſophicis petendam ſolutionem, ad alias occaſiones refero, hîc leuiori calamo pertranſeo illam: verò de concreatione ſpecierum vniuerſalium ideo paulò fuſius diſcuſsi, propter connexionem quam habet cum illa altera de *Sanctorum inuocatione*, & quod ei ſubnecti ſolet de precum noſtrarum ad eos euolatione, vel ab eis perceptione, nimirum vt etiam ex hoc capite, Philoſophis ſaltem appareat nullam interuenire repugnãtiam, quod Sancti in cælis percipiant preces noſtras, quandoquidem in ipſis animabus ſit virtus ad hoc ſufficiens, ſi concreatas habuerint ſpecies omnium entium, ex quibus facilè deuenient ad cognitionem omnium præſertim exiſtentium.

CAPVT XXXXVI.

De Cruce, Reliquijs, Imaginibus, Quomodo eorum vſus Fidem attingat?

1. QVod dixi de *Veneratione Sanctorum*, eo prorſus modo Philoſophandum eſt de veneratione Reliquiarum, nempè obtinuiſſe per ſucceſsiuas Patrum traditiones. Nec certè opus eſſet vlterius hanc veritatem indagare quàm lectitando acta *Nicæni* ſecundi præſertim act. 7. vbi etiam tam cautè definita eſt, quod nihil caſtius ab homine Chriſtiano deſiderari poſſet, quod etiam in *Tridentino* reſumptum eſt ſeſ. 25. *De Inuocatione Sanctorum*, & ex vtriſque ſapientiſsimè propoſuit *Vrbanus Octauus* in forma profeſsionis Fidei quam Orientalibus

Digitized by Google

Orientalibus exhibebat, his verbis. *Imagines* Chriſti ac Deiparæ virginis nec non aliorum Sanctorum *habendas & retinendas eſſe*, *atque eis debitum honorem*, *ac venerationem impertiendam*, &c. Huiuſmodi verò ſanctarum imaginum ſeu ſanctæ crucis, *retentio, debita, honoris ac venerationis impertio* ab initio Fidei ad nos deducta eſt.

De Ligno Crucis validum dabit teſtimonium *Cæcilius* apud *Minutium Fœlicem* in ſuo *Octauio*, vbi hæc habet verba. *Chriſtiani hominem ſummo ſupplicio pro facinore punitum*, *& Crucis ligna feralia eorum ceremonias fabulantur, congruentia perditis, ſceleratiſq́; tribuunt Altaria*, *vt id colant, quod merentur*. Ex his manifeſtum eſt apud Chriſtianos tunc temporis Cruces in memoriam Paſsionis Domini reuerenter fuiſſe expoſitas; ſed & benè reſpondet *Octauius*, *Cruces non colimus nec optamus*. Addit. *Vos planè qui ligneos Deos conſecratis, cruces ligneas & Deorum veſtrorum partes forſitan adoratis*. Chriſtiani igitur Cruces exponebant, non vt Deos adorabant, illud Gentilitium erat. Hoc vult *Octauius*.

Iulianus etiam Chriſtianorum juratus Hoſtis hoc ipſum fatetur lib. 6. apud *Cyrillum*, & *Cyrillus* in reſponſione declarat modum procedendi apud Chriſtianos. *Frontes quidem ac domos ſigno precioſæ Crucis informare ſolebant*, vt teſtatur *Cyrillus*, *nempe omnium beneficiorum Chriſti, ſalutare lignum nobis memoriam excitat*. Poſtea. *Nos honorandæ Crucis lignum boni omnis ac virtutis admonitionem facimus*, &c. Hæc antiqua erat Patrum traditio, vt etiam.

Tertullianus tum alibi, tum lib. 2. ad vxorem narrat Conſuetudinem Chriſtianorum, tum in alijs penè omnibus hodiernis pietatibus, tum in Signo Crucis ad ſingula adhibito. *Latebiſne tu cum Lectulum, cùm Corpuſculum tuum ſignas?* &c. *Articulatiùs* etiã deſcribit ſingulas ferè Eccleſiæ veteris Conſuetudines *De Corona Militis*, & de hoc dicit. *Ad omnem progreſſum atq́; promotum*, *ad omnẽ aditum & exitum*, *ad veſtitum & calceatum, ad lauachra, ad menſas, ad lumina, ad cubilia, ad ſedilia quacunque nos conuerſatio exercet, frontem ſignaculo terimus*. Et hinc erat quod Pagani nos vocabant *Religioſos Crucis*, vt refert ipſe Capite. 16. aduerſus gentes.

Baſilius etiam Hom. 29. in *Gordium* Martyrem, narrat Sanctum

Martyrem cum ad ſupplicium contenderet, ſe Crucis Signo communiſſe. Sed nullibi accuratius traditur *Virtus Sancta Crucis*, & mos eius geſtationis ad pectus quam apud *S Greg. Niſ.* in vita Sororis ſuæ *S. Macrinæ*: *Oculis etiam & cordi & ori Crucis Signum appoſuit.* Sic veteres Chriſtiani ſeipſos benedicebant. Multos etiam refert veterum ritus in cultu diuino & ſepulturis, etiam quanta cum reuerentia, inclinatione ſcilicet capitis recipiebant Epiſcopi benedictionem &c. *Taumaturgus* etiā apud eundem in hiſtoria eius, Dæmones perterrefecit ſigno Crucis in ſacello idololatrarum.

Modum etiam veterum in ſigno crucis oſtendit *Ruffinus* in Expoſit. Symb.

2. Qui ſigno Crucis aduerſantur, legant *Nazianzen.* Orat. 4. ſeu in *Iulianum* Inuectiua 2. vbi hoc refert. *Quod autem hoc etiam mirabilius clariuſque fuit, Lux in cælo ſtetit; Crucem in orbem deſcribens, ac nomen illud & figura quæ in terra prius impijs contemptui fuerat, in cælo nunc omnibus ex æquo oſtēditur, Deoque victoria aduerſus impios obtenta Trophæum efficitur.* Aliud Miraculum in eadem Hiſtoria refert, cuius ſimile noui in Anglia, & *Caſaubonus* antiquior miraculum eſſe aſſeruit. *Proferant nunc quoque veſtes ſuas, qui huius miraculi ſpectatores & Conſcij, extiterunt, illas inquam, Crucis notis tunc inuſtas & conſignatas. Simul enim ac quiſpiam, ſiue noſtrorum, ſiue exterorum hæc narrabat, aut narrantes audiebat, ſtatim hoc miraculum, vel in ſeipſo, vel in vicino ſuo perſpiciebat; ſtellatus nimirum ipſe notiſque diſtinctus, vel illum talem in veſtimentis intuens, omnem textorij artificij elegantiam, ac ſumma cura elaboratam picturam varietate ſuperantem.* Hactenus ille. Et quod ſpecialiter notatu dignum eſt, dicit infinitos fuiſſe ex hoc conuerſos ad Fidem. In Orat. etiam 3. ſeu inuectiua 1. in *Iul.* vbi mirabilem narrat Hiſtoriam; quomodo ipſe *Iulianus* à dæmonibus exterritus *ad Crucem veruſque remedium confugit*, &c. Voluit ſignaculum, cedūt dæmones, &c.

Proſper etiam de Promiſſionibus p. 1. c. vlt. piè oſtendit quomodo in ſigno Crucis expugnandi ſunt inimici. Negantibus verò venerationem Crucis, rectè applicari poteſt illud eiuſdem *Proſperi de vocatione Gentium*, lib. 1. c. 8. *Qui doctrinis ſæcularibus tument, ridendam magis, quam adorandam Crucem Chriſti æſtimant.*

Digitized by Google

3. Quoad reliquias verò, optimè declarat *Cyrillus* Honorationem earum apud Chriſtianos vbique & ſemper fuiſſe vſitatam.

Baſilius etiam hoc teſtatur, tum alibi, tum Epiſt. 241. etiam in *Pſalm*. 115. oſtendens differentiam ſub lege & ſub Euangelio in ordine ad mortuos, dicit, *Si cuipiam irrogatur pro Chriſti nomine, precioſæ cenſentur reliquiæ Sanctorum eius*, &c. *Nunc è diuerſo Martyris oſſa quiſquis attigerit, ob gratiam corpori inſidentē, fit quadantenus ſanctificationis particeps.*

Solebant etiam antiquitùs Eccleſias in honorem Martyrum conſecrare, vbi Reliquiæ recondebantur. Vndè *Baſilius* in *Pſalm*. 114. *Iam inde ab vſque media nocte, cum hoc dicatum Martyribus Templum ſubieritis, ipſorum Martyrum Deum*, &c. *placabilem reddentes*, &c. *quare vobis parata merces eſt, quod honorem erga Martyres*, &c. *prætuleritis.*

Greg. Niſſ. in Orat. de *S. Theodoreto Martyre* eleganter Chriſtianorum morem laudatum depingit. *His igitur arte elaboratis operibus*, quæ ſenſui expoſita ſunt, vbi oculos oblectauit, cupit deinceps etiam ipſi *conditorio* appropinquare, *ſanctificationem* ac *benedictionem*, contrectationem eius eſſe credens: quod ſi quis etiam *puluerem*, quo conditorium, vbi Martyris corpus quieſcit, obſitum eſt, auferre permittat, *pro munere puluis accipitur*, ac tanquam res *magni pretij* condenda terra colligitur. Nam ipſas *attingere reliquias*, ſi aliquando aliqua eiuſmodi proſpera fortuna contingat, vt id facere liceat, quam id ſit multum deſiderandum & optandum, ac ſummarium precum donum, ſciunt experti, & eius deſiderij compotes facti. Quaſi corpus enim per ſe viuens & florens, qui intuentur, amplectuntur, oculis, ori, auribus, omnibus ſenſuum inſtrumentis adhibentes, deinde officij & affectionis lachrymas martyri, quaſi integer eſſet & appareret ſuper fundentes, vt pro ipſis deprecator intercedat, ſupplices preces offerunt, tanquam ſatellitem Dei orantes, quaſi accipientem dona cum velit inuocantes. Ex his omnibus, ô popule pie, diſcite, quod precioſa ac honorata coram Domino *ſit mors Sanctorum eius*, &c. fusè proſequitur.

Hieronymus etiam de ſe ita ſcribit, *Dum eſſem Romæ puer, & liberalibus ſtudijs erudirer, ſolebam cum cæteris*, &c. *diebus Dominicis ſepulchra*

Digitized by Google

Apoſtolorum & Martyrum circuire, &c. vbi oſtendit jam tum fuiſſe Chriſtianorum conſuetudinem, *Reliquias* conſeruare & piè viſitare. Sic refert in eius vita collecta ex eius operibus *Marianus victorinus*.

Huc accedit, quod *Afri Cypriano* Templum dedicarunt, de quo ſic loquitur *Procopius* apud *Nicephorum* l. 17. c. 12. *Cyprianum virum ſanctum maximè omnium Carthaginenſes venerantur, eiq́; Templum magnificum pro vrbis mœnibus ad littus Maris ſtatuerunt: atque præter multos alios cultus, quos ei exhibent, feſtum quoq́; anniuerſarium diem celebrant, quem Cypriana vocant*, &c.

Ipſe etiam *Cypr.* tom. 22. lib. de diſciplina & habitu virginum, tum etiam Epiſt. 57. fusè declarat, Inuocationes & hos cultus Sanctorum; legendus *Pamelius* etiam ibi.

5. Reſeruaui in hunc locum poſtremum, textum valdè ſolemnem *Ambroſij*. Ipſe igitur in obitu *Theodoſij* multa & mira dicit de Cruce, agens de eius Inuentione ab *Helena* Populari noſtra. Poſt alia ſic dicit. *Auida mulier feſtinabat tangere remedium immortalitatis, metuebat calcare Sacramentum ſalutis. Læto Corde & trepidanti veſtigio quid faceret, neſciebat. Pertendit tamen ad cubile, veritatis lignum refulſit*, &c. Poſtea. *Quæſiuit clauos, quibus Crucifixus eſt Dominus & inuenit: de vno clauo frenos fieri præcepit, de altero Diadema intexuit, vnum ad decorem, alterum ad deuctionem vertit.* Poſtea. *Sapienter Helena egit, quæ Crucem in Capite Regum leuauit & locauit, vt Crux Chriſti in Regibus adoretur*, &c, Poſtea. *Iudæi dicunt: Ecce Clauus in honore eſt, & quem ad mortem impreſſimus, remedium ſalutis eſt, atq́; inuiſibili quadam poteſtate dæmones torquet.* De reliquijs verò Sanctorum fuſus eſt *Ambroſius* in multis locis, ſed iſtis omiſsis legatur Epiſt. 85. de Inuentione Corporum *Geruaſij & Protaſij*, & de miraculis ad tactum *Reliquiarum* patratis.

6. Denique contra omnem cultum Sanctorum, Imaginum, & Crucis venerationem obijcere poſſent *Arnobium* qui ſæpe alibi, tum ſpecialiter l. 7. omnia Dei ſimulachra apud Chriſtianos reprobat, vbi etiam Templa omnia repudiat.

Hoc igitur pro ratione iſtius temporis agit, & contra Idololatras, quos ad Fidem reducere ſtudet. Ipſe etiam (quod obſeruandum eſt)

adhuc

Digitized by Google

adhuc ignorabat, quid factum eſſet apud Chriſtianos, volo dicere intra Parietes Chriſtianorum: Scripſit vtique hunc librum antequam initiaretur in myſterijs noſtris, vt notauit *Hieronymus* de Scriptoribus, nec per omnia receptus fuit ille liber, vt ibi patet.

7. Dicendum tamen eſt, quod in totis iſtis libris, non tam contra ſimulachra, Templa vel aras inuehitur, quã contra errores & ſuperſtitiones, quibus nitebantur: aliàs æquè contra Dei mandata ageret, qui hæc ordinarat, vt in veteri lege patet.

8. Error verò *Gentilitius* his in rebus erat, non quod ſimulachra, vt Deos colerent, vt ipſe l. 6. fusè oſtendit, *ſed Deôs in his colimus, eoſque veneramur, quos Dedicatio infert ſacra & fabrilibus efficit habitare ſimulachris*, &c. Poſtea. *Propter indomitum atque imperitum vulgus*, &c. *vt velut quadam ſpecie objecta his numinum obijcerent aſperitatem metu, arbitratique præſentibus ſeſe ſub Dijs agere, facta impia deponerent*, &c.

Errarunt ergo, non ſimulachra fingendo, ſed vulgus per illa decipiendo, & etiam quia per dedicationem cęremorialem, quodammodo Deos ad ſimulachra attrahi æſtimabant, quod etiam æſtimat antiquus ille *Samblicus* de Myſterijs Egyptiorum agens, vbi dicit, Homines per artificia ſua poſſe abducere Deos in Idola quæ fabricant, & in hoc ſenſu ſimulachra, vt Deos adoraſſe à veteribus ſæpè inſimulantur.

Errabant etiam, quia in illis falſos Deos adorabant, vt etiam oſtendit *Tertull.* aduerſus *Praxeam. Hoc propter Idololatriam, tàm Nationum, quàm Iſraelis, etiam propter Hæreticos, qui ſicut nationes manibus, ita & ipſi verbis Idola fabricantur, id eſt alium Deum & alium Chriſtum.*

Athan. ex centum capitum ad *Antiochum* Principem per interrogationem & reſponſionem conſcriptorum c. 38. Reſponſ. *Abſit, vt quemadmodum Græci faciunt, nos Chriſtiani, tanquam Deos, imagines adoremus: affectionem duntaxat & charitatis noſtræ ſtudium erga figuram perſonæ per imaginem expreſſæ declaramus. Itaq; lignum ſæpè, quod iam erat imago, ſi figura deleta ſit, tanquam inutile comburimus*, &c.

Greg. etiam *Niſſ.* poſt initium de *S. Theodero* martyre, vt deſcripſerat imaginem eius in Eccleſia depictam; tandem ſic concludit. *Solet enim etiam pictura tacens in pariete loqui, maximèq; prodeſſe.*

Hæc

Hæc libentiùs addere volui, quia video ex noſtris quam plurimos deceptos in puncto, in quo conſiſtebat Idololatria Gentium; noticia verò eius multum inſeruit in his materijs.

Tandem *Diuinus Dionyſius* in primo & ſecundo capite cæleſtis *Hierarchiæ* dat rationes irrefragabiles pro vſu Imaginum ex ipſis ſacris Scripturis petitas, ex quibus concludit. *Nihil igitur ineptum aut abſurdum facere videntur, qui ob eas quas diximus cauſas, cæleſtibus illis immortalibuſq́; ſubſtantijs diſsimiles omninò ſimilitudines ex inferioribus petitas affigunt. Nam fortaſſe ne nos quidem ex ambiguo ad inquirendum, excitati eſſemus, neq́; ad ſacratiora intelligentiæ per diligentiorē ſcrutationis indaginem veniſſemus, niſi nos cōmonuiſſet inhoneſta fictionum facies, quæ proprietas exprimitur Angelorum, nullâ ratione permittens mentem noſtram fœdis formarum inſidere figmentis, ſed excitans potiùs ad omnes mortales affectus renuendos, atque ſalubriter conſuefaciens per ea quæ videntur: ad ſublimiora contendere, atque ad cæleſtia ſubuehi.* Hîc finis Imaginum tàm Dei, quàm Angelorum (nam de vtriſque agit) mentes noſtras ſcilicet ad cæleſtia ſubuehere. Fusè & pulchrè hæc agitat *Dionyſ.* legendus etiam eſt in c. 15. vbi ſingulas ferè Scripturæ Imagines, tàm Dei, quàm Angelorum deſcribit, & rationes earum exponit.

10. Sed vt hactenus in alijs materijs, hic etiam adijciam quid *Rabbini* de hac re ſenſerint: (Cauſa vtique non eſt omninò diſparata) *Cum igitur, aſſeritur* omnes Imagines prohibitas eſſe in *Talmud* & alibi.

Menaſſeh de Creatione prob. 28. ſic loquitur. *Sapientes Rabbini id ſpeciatim reſtringunt ad omnes illas imagines, quæ virgam aut globum in manu geſtant &* in *Gemara* id exponentes, cauſam hanc allegant, *quia iſta re ſignificatur, eius Dominium in mundum, & imperio ſuo ac juri omnia ſubdita habere*: Hæc ille..

Conciliator quæſt. 3. in Exod. 20. dicit, *Deum prohibuiſſe Imagines facere, quia prohibet eas adorare tanquam Deos, aut haberi pro Cōciliatoribus hominum & primæ cauſæ. Vndè ait Scriptura, Ne te incurues ijs, neque colas ea. At Cherubin præterquam quod alio fine facti, etiam collocati erant loco ſecretiſsimo, quo ſemel tantum quotannis intrare magno Sacerdoti licebat.*

Alij etiam *Rabbini* alio modo procedebant, vt *Rabbi, Iſaac, Arama,* dicit,

Digitized by Google

dicit, licuiſſe Iudæis *facere Imagines rerum quæ non ſunt*, *ſcilicet Cherubin alatos, & conſequenter Deum vel Angelos in formis hominum & huiuſmodi, non verò rerum exiſtentium.* Et hinc dicit, Iudæis nunquam licuiſſe *facere Imagines Imperatorum.* Et *Pompeius* nullam imaginem reperit in Templo.

Ratio hujus eſt, quia Scriptura ait; *Ne facias tibi ſculptile, vllam ſimilitudinem eorum, quæ in cælis ſunt ſupra, aut quæ in terra infra, aut in aquis ſunt infra terram*, &c.

Hinc videbit lector, quàm longè fuerit à nouitate, imagines ſaltem aliquas, poni in Eccleſijs: cum Iudæi, quibus primò traditum eſt præceptum illud ſecundum *de non faciendo ſculptilia*; longè aliter intelligebant mentem Dei, *quam Iudaizantes aliqui Sectarij*, nec vnquam à Chriſto, vel Apoſtolis, ob hoc reprehendebantur. Doctiſsimè ſanè excutit *Damaſcenus* ſenſum, in quo, & ob quam cauſam Iudæis prohibitum fuit imagines Gentilitias, & Dei ſculpere, ante Chriſtum natum.

Verum quidem eſt, quod pro more ſolito, *Rabbini* cum veris ſua hîc inepta intermiſcent, vt videt Lector, Imagines tamen in Templis fuiſſe licitas, & vniuerſim depictas, tàm ex Scripturis, quàm ipſis *Rabbinis* conſtat.

11. Concludam igitur cum *Damaſceno* Orat. 2. de Imagin. *Tu qui ſponte tua inuidus es Diabole, inuidia commotus, nolles nos ſalutiferos ipſius cruciatus cernere, ſubmiſſionemque admirari, & res admirandas ab illo geſtas videre, atque Diuinitatis ejus nullam potentiam collaudare. Inuides Sanctis, propter honorem illis tributum à Domino: deſcriptam illorum gloriam à nobis proſpici non vis; ne virtutem, & Fidem eorum imitemur*, &c. Qui voluerit plura de Imaginibus, & earum veneratione audire, legat tres *Damaſceni* hac de re Orationes: Legat etiam *Nicetam*, hominē Græcum, qui omnia deſiderabilia ex veteribus hauſerunt, & objectiunculas hodie tritiſsimas ad amuſsim excutiunt.

12. Has materias leuiori manu percurri, quia in *Problematibus* quoad illa, quæ ſcholas tangunt, fuſius diſcuſsi, fundamentum & originem earum, nempè, ex quo capite, ad Fidem ſpectant, hîc ſolùm

 declaro,

declaro, vt ſemper maneat verum, & ab Eccleſia obſeruatum. *Nihil nouandum, niſi quod traditum eſt*: Nouatoribus verò applicandum vetus illud quod tribuitur *S. Ignatio* ad *Heronem*: *Omnis qui dixerit, præter illa quæ tradita ſunt, tametſi Fide dignus ſit, tametſi jejunet, tametſi virginitatem ſeruet, tametſi ſigna faciat, tametſi prophetet, lapſus tibi appareat*, &c.

Poſtquam librum huiuſque abſoluiſſem, & *Doctoribus Pariſienſibus*, quorum calculi præfixi ſunt, limandum exhibuiſſem, rogatus ſequentem aſſertionem ſubiunxi, vbi pro re tunc naſcente, titulos in duobus capitibus apponendos breuiter diſcuſsi, & alijs viris doctis pro ratione loci, vbi tunc eram in Belgio approbandos vel reprobandos cum reliquis omnibus hactenus tractatis propoſui.

ORBIS NOSTRI BRITANNICI EPAMINONDÆ,
Illuſtriſſimo ac Nobiliſſimo viro ſtudiorum omnium
MÆCENATI
DOMINO KENELMO DIGBEO
ANGLO EQVITI AVRATO, &c.
Ex parte Sereniſſimæ Reginæ noſtræ
HENRICÆ MARIÆ BORBONICÆ,
Apud INNOCENTIVM DECIMVM
Legationem in vrbe agenti.

VIR ILLVSTRISIME, liceat per compendium varios tuæ Magnitudinis titulos, vnico *Epaminōdæ* vocabulo exarare: *fuit incertum Vir melior, an Dux eſſet: Iam litterarum ſtudium, jam Philoſophiæ doctrina tāta, vt mirabile videretur, vndè tam inſignis militiæ ſcientia homini inter literas nato.* Quam graphicè te delineant hæc eius apud *Juſtinum Hiſt. l. 6. Encomia*, Nemo neſcit, vrbi & orbi quippè innoteſcis.

Ad te igitur in re perplexâ conuolo, hiſtoriolam narro, quæ hæc eſt. Dum diutiùs & diligentiùs intenderem veriori & ſeueriori Agricolationi, candidiſſimæ à natura animæ *Nobiliſſimi Viri* æterna memoria colēdi, *Franciſci Windebauri, Regi noſtro* non adeò pridem à *ſecretis & Conſilijs ſanctioribus*, de quo inter Senatus & Regni Conſulta militante rectè dicitur illud, quod de *Iulio Cæſare* apud *Lucanum* lib. 10. *Media inter prælia ſemper*
Stellarum Cæli plagis Superiſque vacaſſe,
Vacauit ſanè me conſcio Superis & ſupernis veritatibus,

& vt *Iulius* cum *Achoreo* Philoſopho, etiã à cæna in multam noctem mecum de *rebus religionis* non raro Philoſophatus eſt: inter alia verò perquam plurima, quæ dum reluctaretur, pro ratione ſui ingenij longè perſpicaciſſimi vrgere ſolebat *Obiectamenta*, videbatur fortius fixiſſe pedem contra originem Diuinitus petitam *Papatus Romani*: in hanc Helenam frequentius impingunt populares noſtri, vt non ſine ſuſpirijs recolis.

Hinc quæſtionem in titulos diſpoſui, & aliquãtò elaboratiùs, ſuccinctè tamẽ vt rogabat excuſſi & vici: dũ verò poſt varia Lunaria luſtra, aliunde petitus valedicerem, exorauit vt cum opere maiuſculo quod ad prælum pararam, cõpingerem, & vtrumque ſibi tranſmitterem. Interea ipſe ad Cælos tranſmiſſus eſt, Poſt ſuam ferme ab anno ad Eccleſiam conciliationem. Nihil vnquam mihi vel cuiuis Catholico Anglo carius, nihil optatius eſſe debebat, quam tanti viri in vnitatem Communionis reductio, quam tuæ pietati longè optatiſſimam fuiſſe apprimè noui, & norunt omnes qui tuam pietatatem guſtarunt. Tibi igitur ob teneriorẽ erga eum affectum, ob animarum quarumcumque Chriſti Sanguine ablutarum zelum, ob ſingularem denique iudicij acrimoniam, toti orbi ex voluminibus à te doctiſſimè conſcriptis etiamnũ Celebrem, *Quæſtionis* huius deciſionem, non tàm legendam, quàm limandã exhibeo: vti ſpero, meum hac in parte conſilium vt ferè aſſoles, boni conſules. Viue diu (Vir toti orbi celebris) maximum gentis noſtræ Decus, viue fœliciter Deo, Eccleſiæ, Tibi, &

Obſequentiſſimo Famulo tuo. N. N.

ASSERTIO ORIGINIS DIVINÆ SVMMI PONTIFICATVS.

CAPVT XXXXVII.

An & quomodo ſit de Fide, quod Papatus Romanæ Eccleſiæ ſit de iure Diuino? & an ſe extendat non ſolùm ad particulares, ſed vniuerſalem Eccleſiam?

1. HÆc quæſtio (vt notant Scholaſtici) duplicē ferre poteſt ſenſum Specificatiuum, hoc eſt, An Papatus qui reſidet in Romano *Pontifice ſit de iure diuino?* 2. Reduplicatiuum, hoc eſt, An Papatus qui & in quantum reſidet in Romano Pontifice, ſi de iure diuino?

Senſus poſterior toto Cælo diſcrepat ab altero, & proinde inter Doctores, ſolemnis eâ de re eſt controuerſia: alij huc, alij illuc pro diuerſitate ſentientium illibatâ Fide feruntur. *Sotus* 4. d. 24. q. 2. a. 5. q. 2. *Corduba* Quæſtionario l. 4. q. 1. propoſitione 8. dubio 1. & multi alij graues Doctores volũt eſſe planè per accidẽs, quòd *Papatus* reſideat in *Romano Epiſcopo*, adeo vt *Petrus* potuiſſet alibi & vbicunque voluiſſet ſedem ſui ſucceſſoris deſignaſſe: & ideo reduplicatiuè loquendo non eſt de iure diuino quod de facto *Romanus Epiſcopus* ſit *Papa* vniuerſalis Eccleſiæ. Omiſsis alijs multis hæc vna ratio videtur concludere veritatem huius ſententiæ. Si fuiſſet de iure diuino, ergo *Petrus* eo iure fuiſſet obligatus ibi ſuam *Sedem Papalem* ſtatuere, quam tamen primò *Antiochiæ* poſuit: nec aliquis aſſeruit eum hoc in actu Ius, ſeu præceptum diuinum violaſſe: Ergo.

Si dicatur Ius diuinum eò ſolum ſpectaſſe, quod finalem ſuam Sedem Romæ in exemplum futurorum temporum figeret: Hoc non, quia *Petrus* ſecundùm hiſtoriam relictâ Româ aliò migraturus, cum animo non reuertendi, remiſſus fuit eò à Domino apparente: Ergo.

Non receperat à Domino ante hunc ſuum receſſum, mandatum ibi manendi: aliàs violaſſet mandatum diuinum, quod nemo aſſeruit.

Si adhuc dicatur eum in Chriſti apparitione mandatum recepiſſe, eſt voluntariè dictum. Nam vt benè *Sotus*, ſuppoſitâ veritate hiſtoriæ, de qua tamen dubitatur, eâ tantum præcipitur *Petro* vt rediret Romam ibi moriturus. *Ambroſius* quidem in oratione ad *Auxentium*, poſt alios narrat quomodo Chriſtus apparuit *Petro*; cum *Victo Simone*, de conſilio populi muro nocte egredi cœpit, vidit Dominum baiulantem crucem & ait: *Domine quo venis?* Reſpondit Chriſtus. *Venio iterum Crucifigi.* Intellexit *Petrus* ad ſuam crucem diuinum pertinere reſponſum, &c. *Itaque ſponte remeauit*, &c. Quid hoc ad ſedem affigēdam Papatus? Longè ſanè petitur hinc fundamentū tàm grauis aſſertionis.

3. Sunt tamen quam plurimi qui illam amplectuntur, *Caietanus* 1. opuſc. tract. 2. c. 3. *Turrecremata*, & alij, qui multos apparentes adferunt veterum Pontificum textus, in quibus aſſerunt Romanam Eccleſiam à Chriſto ſolo fundatam, ſic *Nicolaus* 2. c. omnes d. 22. & ad eundem tenorem loquuntur alij non pauci.

4. Sed de *ſenſu reduplicatiuo* non adeò laborandum cenſeo, cum vt rectè *Azorius* to. 2. l. 4. c. 11. & ipſe *Sotus*, *Corduba*, & cæteri, vtraque pars teneri poſsit cum indemnitate Fidei.

5. Si verò ſumatur quæſtio *in ſenſu ſpecificatiuo*, longè cautiùs agendum eſt: hic nullus locus opinationum diuerſitati, nam apud omnes Catholicos indubium eſt *eſſe de fide Papatum Romanæ Eccleſiæ eſſe de iure diuino*, vt definitum eſt in *Florentino* ſeſsione 25. *Sanctam Apoſtolicam ſedem & Romanum Pontificem in vniuerſum orbem tenere Primatum, & eſſe totius Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum Patrem & Doctorem: & ipſi in B. Petro paſcendi, ligandi, ac gubernandi vniuerſalem Eccleſiam à Chriſto Domino plenam poteſtatem eſſe traditam, quemadmodum etiam in geſtis Œcumenicorum Conciliorum & in Sacris Canonibus continetur.* Decretum ſic refertur à *Gennadio*, *Pretereà determinans Apoſtolicam Sedem & Romanum Pontificem in vniuerſum orbem primatum obtinere, eundemque eſſe B. Petri Principis Apoſtolorum ſucceſſorem, & ipſius Chriſti in terris* Vicarium, *Patrem & Magiſtrum omnium Chriſtianorum.* Clarum

eſt parum, vel nihil differre à forma in *Florentini* actibus conſeruatâ; Ideo verò refero, vt ab omni parte pateſcat vniformitas decreti.

Definitio fuit in his terminis concepta de vtriuſque Eccleſiæ cõſenſu: nec quoad ſubſtantiam differt declaratio, quam vltro obtulerunt Patres Græci, antequam hæc definitio vtrimque excuſſa, Eccleſiæ vniuerſali proponeretur, quæ erat hæc. *Habeat Papa ſua priuilegia ſecundùm Canones, dicta Sanctorum, Sacram Scripturam & acta Synodorum: fatemur ipſum ſummum Pontificem & Procuratorem, locum gerentem Vicarium Chriſti, Paſtorem ac Doctorem omnium Chriſtianorum, regentem ac gubernantem Dei Eccleſiam, ſaluis priuilegijs ac iuribus Patriarcharum Orientis*, &c. Tertius ille titulus Papatus in Epiſcopo Romano dat quod quærebatur, nempè ortum illius fuiſſe ex *iure Diuino*: quia ex Sacra Scriptura, quod etiam Canones Eccleſiaſtici, dicta Sanctorum, & acta Synodorum aliquãdo per ſe ſatis arguunt: licet in Scripturis non inueniatur quod quæritur, vt in materia de Traditionibus ex veteribus declaraui. Non igitur ex leuiculis argumentis hæc veritas aſſeritur, licet *Gerganus* ex hoc titulo apud Græcos in ſuo Cathechiſmo nos ἀιρετικοχισμᾶ τοπαπολατρας impudenter vocitet, ſed quam falsò ex ſubſequentibus apparebit.

6. Veritas igitur huius definitionis peti debet, tàm ex Scripturis, quàm traditione: ſed antequam lineam Fidei deducamus, certa ab incertis, conceſſa à dubijs, ſeu in quæſtionem ab aduerſarijs vocatis ſecernamus.

Fatentur ferè omnes præſertim populares noſtri *Petrum*, & poſt ipſum *Epiſcopum Romanum* habere ius Primatus ſuper & ante omnes Epiſcopos quouis titulo inſignitos: in hunc ſenſum ſemper vertunt nomen *Principis*, quoties inueniunt: *Petrum* à veteribus vocitari *Principem Apoſtolorum*: itaut Principis nomen primatum tantum ſignificet, nempè quia apud *Ciceronem* Princeps Senatus non potiebatur gubernandi poteſtate in Senatum.

Notandum verò eſt ex *Tacito* apud *Caſaubonum* in exercitationibus *Baronij*, quod licet aliquando nomen Principis adhiberi ſolere pro primo tantum ordinis, ex quo verò tempore *Auguſtus* actu ſingulari

vſus,

Digitized by Google

vſus, Rem publicam occupauit *Principis* nomine, cepiſſe hanc vocem duplici nomine vſurpari, ſcilicet poſt illud tempus non ſolum *Primum* ſed verè *Principem* ſignificabat, & ferè communiter huic ſenſui aſtringebatur, vt patet apud Romanos Scriptores poſt illa tempora, hoc nobis vltrò dant Aduerſarij, nempè poſt *Auguſtum* frequentiùs verè Principem ſignificare.

Quinimò in ipſo Euangelio nomen Principis realem authoritatem, non ſolam *ordinis proprietatem* ſemper ſignificat, vt *Luc.* 14. in colloquio Diſcipulorum cum Chriſto Domino euntium *Emaus*, & *quomodo eum tradiderunt Summi Sacerdotes & Principes noſtri*; Sic etiam *Petrus* eodem Capite. *Scio quia per ignorantiam feciſtis, ſicut & Principes noſtri*; Sic apud *Mat.* c. 26. &c. Et in hoc ſenſu *Petrus eſt* ἀρχιερεὺς *Princeps Sacerdotum*, Apud *Marcum* agendo de *Belzebuth* dicit ἐν τῷ ἄρχοντι τῶν δαιμονίων quod ſemper vertitur *in principe demoniorum*, vbi etiam ſignificatur iuriſdictio. Sic etiam *Apoc.* 1. v. Chriſtus vocatus ὁ ἄρχων τῶν βασιλέων *princeps Regũ terræ*, &c. Et pro correlatiuo ἀρχόμενος ſumitur pro ſubdito.

Videtur igitur certum in ſenſu Noui Teſtamenti quod quoties ἄρχων vel ſimpliciter, vel in compoſitione exponitur per nomen principis, ſupponit pro habente iuriſdictionem: imò putem quod in Nouo Teſtamento nunquam alio adhibeatur ſenſu, quam pro habente iuriſdictionem. Hinc Ἀρχάγγελος *Princeps Angelorum* licet in communi verſione ponatur ſolum *Archangelus*. Iudæ verſu 9. Ἀρχιερεὺς *Princeps Sacerdotum*, licet ponatur in vulgari. *Pontifex*. Ad *Hebreos* 7. 26.

Sic ἀρχιποίμην *Paſtorum Princeps* 1. *Pet*. 5. & loquitur de Chriſto ſic Ἀρχισυνάγωγος. Act. 18. *rector Synagogæ*. Sic Ἀρχιτέκτων *fabrorum Princeps*, in ſuo genere ſignificat ſuperioritatem. Et *Paulus* ibi agit de ſeipſo qui verè ſuperior erat in ædificando Eccleſiã; licet ponatur ſimpliciter. *Architectus*. 1. Cor. 3. 19. Ἀρχιτελώνης *Princeps Publicanorum*. *Luc.* 19. 2. vbi manifeſtè arguit iuriſdictionem: loquitur de *Zachæ* qui habebat in ſuos officiales inferiores iuriſdictionem indubitatam. Hoc vel maximè patet apud *Ciceronem* ad M. *Brutum* de *Terentio Varrone*, vbi oſtẽditur fuiſſe officium maximi honoris. Idem in oratione pro *Planco*

Sic

cio. Sic etiam ad Q. Fratrem de regiminæ Præfecturæ Aſianæ. " Hoc etiam oſtendit *Baronius* ad annum Chriſti 31. ex *Vlpiano* & *Caio* & ex *Martiano* l. vlt. de Publican. Sic etiam 3. Act. 15. τον διάρχηγὸν τῆς ζωῆς, &c. In vulgari dicitur *authorem verò vitæ*, &c. Significat autem *Principem*, vbi arguitur realis Chriſti iuriſdictio, vt patet. Non eſt igitur quod apud profanos authores inquiramus; cum ex ipſo veritatis fonte hoc nomẽ in hunc vſum reſtringitur. Veteres verò patres non ad *apices Criticorum* debent legi, ſed ad ſignificationes Sacratiores præſertim Sancti Euangelij exponendi ſunt: dum de rebus ex Euangelio petitis agunt, & re quidem vera in hac quam tractamus materia, quæ ſacra eſt, nunquam aliud voluerunt patres, quicquid leuiuſculè ſomnient hi Nouatores. Vndè concluditur quod poſt Chriſtum in ſenſu Eccleſiaſtico, vbi non fucus verborum, ſed realitas expreſsionis præualuit, non ad ambiguos ſenſus Romanorum, ſed ad communem vocum ſignificationem pro ſtilo Eccleſiæ, recurrebatur, & iam Princeps verè authoritatem ſupremam habentem deſignabat: quoties ergo apud patres reperitur, hunc ſenſum fert, vt clariſsimè obſeruanti patebit etiam in ijs quæ dicturus ſum.

Et interea pro omnibus ſit *D. Proſper* de vocatione Gentium l. 2. c. 16. Ad cuius rei effectum credimus prouidentiâ Dei, Romani regni latitudinem præparatam, vt nationes vocandæ ad vnitatem corporis Chriſti, prius iure vnius conſociarentur imperij: quamuis gratia Chriſtiana non contenta ſit eoſdem limites habere quos Roma: multoſque iam populos ſceptro crucis Chriſti illa ſubdidit, quos armis ſuis iſta non domuit. QVÆ TAMEN per Apoſtoli ſacerdotij PRINCIPATVM amplior facta eſt arce religionis, quam ſolio poteſtatis. Quid hic poteſt replicari? Non poſſum etiam non ſubnectere ſanctum *Ephram*, cuius authoritas apud veteres erat magno prætio habita. Serm. 4. de compunctione. *Noui quomodo* Princeps ac vertex *Apoſtolorum Petrus*, &c. In tractatu etiã de varijs tormentis inferni. *Clamat* & *Petrus* Apoſtolorum *vertex ac caput*, &c. Alibi etiam opportunè citabo & oſtendam quod non nudum titulum, ſed realem accepit poteſtatem.

7. Deinde

7. Deinde alij concedunt Papæ *ius Præſcriptionis* etiam quoad gubernandi poteſtatem: nempè quia per multa ſæculorum curricula obtinuit Summorum Pontificum potentia in ſpiritualibus, ipſa Eccleſia ſciente & non contradicente; ex quo non coloratum, ſed realem titulum licitè acquiſiuerunt: ſic multi ex Noſtratibus hodiernis qui molliores haberi volunt, ius verò diuinum cum cæteris negant. His poſitis non in λογομαχια hæreamus, ſed rem ipſam aggrediamur: ad quam dilucidandam.

8. Obſeruandum 1. quod nuſpiam in Concilijs legitimis vel veteribus ſcriptoribus inuenitur *Petrum*, vel poſt eum Eccleſiam Romanam deriuaſſe ſuam in orbem poteſtatem *tantum* ex iure humano. Singuli quidem qui de hac re ſcripſerunt, non ſingulas ſeu adæquatas huius poteſtatis cauſas expreſſerunt, ſed nec ſemel ad ius humanum *ſolum* reſtrinxerunt.

9. *Chalcedonenſe* Concilium de quo iterum agam, (in eo plus ſiſtitur) alijs cauſis intactis, ob *ſedem Imperij* hanc poteſtatem Romanis Pontificibus conceſſam aliquantulum inſinuat Act. 15. ſeu ſecundùm alios, Act. 16. nempè quia tunc Conſtantinopolitana ſedes ambiebat ſecundùm poſt eos locum ob illam ſolam rationem, vt ibi patet. Non habebant igitur occaſionem alios Romani Papatus titulos exponendi. Notandum tamen quod eadem act. 16. dicitur Patres *Nicænos* docuiſſe, Can. 6. *Eccleſiam Romanam ſemper habuiſſe Primatum*, &c. Quod valdè Notandum eſt. Accedit etiam quod Patres ibi videntur loqui in ſenſu reduplicatiuo, nimirum agebatur de iure ſupremo *Romanæ Sedis* in quantum Romana erat: nam ex illa reduplicatione videntur inſinuare, quod Roma in quantum ſcilicet fuerat ſedes Romani Imperij, facta eſt ſedes Summi Pontificis. Hæc ſi fuit opinio *Chalcedonenſium* Patrum nihil concludit contra Eccleſiæ definitionem, quæ de ſenſu ſpecificatiuo procedit, Hoc dico dato licet non conceſſo, nil concluditur contra veritatem: & eodem modo ad plura huius generis apparentia argumenta nullo negotio reſponderi poteſt, quinimo hac diſtinctione reali non fictitia debitè adhibita, nihil notabile manebit non ſolutum. Sicut de Conſtantinopolitana Synodo primâ, quæ

quæ etiam fuit generalis: Sic etiam Gloſſa Canonis c. Concilia d. 17. Sic 3. Cau. Dudum, & gloſſa ibidem, & infinita talia quæ obijci ſolent, euaneſcent.

10. Obſeruandũ 2. multos veteres Patres & diuerſa Concilia, ſupremam ſummi Pontificis in vniuerſum orbem agnoſcere poteſtatem, qui de origine eius nihil omninò diſſeruerunt, vel aſſeruerunt, ſed potius ſuppoſuerunt. Patet apud *Irenæum* l. 3. c. 3. Ad hanc Eccleſiam propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem Eccleſiam &c. *Firmilianus* etiam apud *Cyprianum* ep. 75. vel inuitus *Stephani Papatum* agnoſcit. Erat contemporaneus *Cypriano*. Patet etiam apud *Auguſtinum* in corpore ſuarũ Epiſtolarum, in plurimis Epiſtolis *Summorum Pontificum* ad Concilia, & viceuerſa à Concilijs, præſertim *Africanis* ad illos, vbi agnoſcitur hæc poteſtas. Patet etiam apud *Athanaſium* in Epiſtola tàm ſua, quàm vniuerſorum Epiſcoporum Ægiptiorum ad *Marcum Papam* pro exemplaribus Concilij *Nicæni*, vbi ſic incipiunt, *Domino Sãcto & Apoſtolici culminis venerando Marco S. Romanæ & Apoſtolicæ Sedis atque vniuerſalis Eccleſiæ Papæ &c. Optamus vt à veſtræ ſanctæ Sedis Eccleſiæ authoritate, quæ eſt mater & caput omnium Eccleſiarum.* Poſtea. *veſtri ſumus vobis obedientes cum omnibus nobis commiſſis & ſumus vt eſſe ſemper volumus.* Reſcriptum etiam *Marci* ibidem hoc ipſum confirmat clarè. Imò tàm Catholici quàm *Ariani* agnouerunt *ſupremam* huius S. Sedis *poteſtatem*, & tàm hi quàm illi eò confugerunt pro litis deciſione; vt patet in epiſtola cuiuſdam Concilij *Alexandrini* omnibus Catholicis Epiſcopis directâ in iuſtificatione *Athanaſij*, apud quem habetur. Egregiè hoc declarat *Ambroſius* ep. 78. *Theophilo* in cauſa *Euagrij & Flauiani*, licet res ſpectaret ad Oriẽtales. Qoddam etiam Concilium *Conſtantipolitanum* in epiſtola Synodicâ, vbi Patres Orientales ſe excuſarunt, quod non venerint ad *Concilium Romanum*. *Res à pleriſque fieri omninò non queat, propterea quod Conſtantinopoli mandato litterarum ſuperiori, &c.* Vbi patet Papam mandare potuiſſe, &c. licet non diſputent ex quo iure hanc poteſtatem habuit, ſed quietam huius poteſtatis poſſeſſionem fatentur.

Theodoretus etiã ſæpè hoc confirmat: nam agens contra Synodum

Antiochenam, quæ proceſſerat contra *Athanaſium*, dicit, *Sed neque Iulius interfuit maxima Romæ Præſul, neque in locum ſuum aliquem deſignauit, cum vtique regula Eccleſiaſtica iubeat non opportere, præter ſententiam Romani Pontificis celebrari. Alibi etiam, Agnoſcens Romanus Epiſcopus crimina ſingulorum. & omnes Nicano concilio concordare comperiens, eos in communionem ſuſcepit tanquam omnium curam gerens, propter ſedis propriæ dignitatem, ſingulisque reddidit ſuis Eccleſiis; & Orientalibus Epiſcopis ſcripſit, culpās quod non rectè tractaſſent viros inculpabiles de ſuis Eccleſijs expellentes*, &c. Sic apud *Victorem Vticenſem Eugenius* Epiſcopus *Hunnerico* Regi *Arriano*; Sic *S. Eulalius Syracuſanus* Epiſcopus in vita Beati *Fulgentij* cap. 13.

Infinitus eſſe poſſum in huiuſmodi monumentis veterum tàm Cōciliorum, quàm Patrum præſertim Græcorum, vt facilè occurrent infinita talia legentibus Sanctos & magnos Pontifices in ſuis Epiſtolis, *Leonem & Gregorium* in ſuo Regiſtro: vbi ex horum Pontificum geſtis & Orientalium reſcriptis res clarior apparebit, *Scientibus legem loquor*, & ideò non ad longum recenſeo, præſertim verò legatur *Synodus Generalis* quarta par. 3. c. 2. *Leoni* Papæ ſcribens, vocat eum *Caput omnium Epiſcoporum* vt membrorum, & *Patrem* Epiſcoporum omnium vt filiorum, & in eadem Epiſtola vocat eum *Vineæ cuſtodem* græcè ἀμπελικον: vbi notandum eſt quod etiam acutè *Caryophilus* græcus contra *Gerganum blaſphemia* 20. notauit, Scriptam fuiſſe tunc hanc Epiſtolam, quādo ardens fuit ſtudium Conſtantinopolitanorum ſuam ſedem promouendi can. 28. & ideo maioris debet eſſe authoritatis, quia in illo ſuarum partium ſtudio, nihil concedere voluiſſent *Sedi Romanæ*, quod non eſſet notorij iuris. Legendus etiam *Hieronymus* tum alibi, tum de *Scriptoribus Eccleſiaſticis*, vbi extant monumenta his longè vetuſtiora, ibi ad *Irenæum* veniens dicit, *quod à martyribus eiuſdem loci ad quaſdam Eccleſiæ quæſtiones miſſus Legatus Romam*, &c. *ad Pontificem.* Feruntur etiam aliæ fortiores ad *Victorem* Epiſcopum (de quæſtione Paſchæ) Epiſtolæ, in quibus monet eum non facilè debere ſcindere vnitatem Collegij: vtique *excommunicare* voluit Paſcha celebrantes cum Iudæis. Iterum legendus de *Policrate* Epheſiorum

Epiſcopo,

Epiſcopo, vbi ſatis oſtenditur *poteſtas ſuprema Papa* in ordine ad Aſiæ Epiſcopos.

Baſilius etiam in Epiſtola 409. *Innocentio* 1. directâ (vt vult Dominus *Montacutius*) ſubiectionem per omnia ſapit, & vocat eum Dominum noſtrum. Poſtea per *litteras tuas reuerendas noſtratum animarum curam, & tua ipſius magnitudine noſtram velit infantiam vlnis amplexari;* &c. Quid arguit animarum curæ ſuſceptio, niſi paſcendi & regendi poteſtatem? In Epiſt. 52. *Athanaſio* directa. *Viſum eſt autem mihi conſentaneum vt ſcribatur Epiſcopo Romæ*, &c. *Vt*, &c. *Ipſe ſua authoritate*, &c. *Viros eligat*, &c. *Vt eos qui diſtorti obliquè apud nos erunt, corrigat*, &c. Quid eſt authoritate ſua eligere? quid etiam corrigere? an non arguit poteſtatem? vocat etiam Epiſcopum Romanum Papam Epiſtola 14. nec ſumit vocabulum illud in extenſiori loquendi ſtilo, ſed preſsius, vt facilè patet. Hoc etiam facile deducitur ex Epiſtolâ quadam eius *Terentio* in cauſa *Melotij*. *Nazianzenus* in homiliam de creatione Epiſcopi *Doarorum* hoc ſupponit quam clariſsimè.

Denique præ omnibus legendus eſt *Firmilianus* apud *Cyprianum* Ep. 75. vbi licet inuitus realem Primatum *Stephani* agnoſcit in ipſo diſcordiarum æſtu, fuit *Cæſareæ* Epiſcopus & *Baſilij* prædeceſſor.

Quod dixi de hiſtoria *Victoris*, legendus eſt *Euſebius* Hiſt. Eccle. l. 5. c. 24. vbi omnes Aſiæ Eccleſias à Communione Chriſtianorum, vt à corpore vniuerſæ Eccleſiæ excluſit. Non ſolum negauit *formatas* vt vocant, ſeu Communionem ſuam, vt quiuis Epiſcopus potuit, ſed à corpore vniuerſæ Eccleſiæ quod ſolus Papa. Sic. c. 27.

Omitto totum proceſſum in cauſa *Cypriani* & quorumuis Occidentalium, nam de Occidente, pueris ſunt nota geſta. Nec impedit quod *Cyprianus* vocat *Cornelium Fratrem*, nam hoc non dicit reſpectu æqualitatis, ſed coniunctionis in Fide, ſic olim omnes Chriſtiani vt ibi notat vel ipſe *Eraſmus*, ſic etiam *Optatus* l. 2. de Papâ dicit qui *noſter ſocius* eſt, ſed explicat de ſocietate Communionis, aliàs ibi patenter agnoſcit *Superioritatem*.

11. Dedi verò ſæpius regulam, Quod quoties inuenitur in monumentis Eccleſiaſticis, vel Sanctorum dictis, vel Synodorum actis

conſtans traditio: nec conſtaret ex qua Origine canalis deduceretur: in tali caſu Eccleſia ad hoc *pulſata* poſt *debitam rei inquiſitionem* poſſet certò declarare an ex diuino vel ſolum humano fonte emanarit. Sæpius hoc factum legimus & in curſu operis oſtendi. Si igitur haud clariores haberentur huius quæſtionis authoritates, ſuperueniente (ſicut iam ſuperuenit) *Conciliari definitione*, ſufficeret ad rei quæſitæ finalem & infallibilem deciſionem. His verò gradibus hîc non ſiſtitur.

Obſeruandum igitur 3. mirabilem ſemper fuiſſe hac in re tàm Patrum quàm Conciliorum vetuſtiſsimorum *conſonantiam*, tum in expoſitione Sacræ Scripturæ, tum in nudâ ipſius veritatis aſſertione.

12. De Scripturis duo ſunt præcipui textus quibus Patres inuitantur, cæteros minùs claros omitto.

Primus. *Iohannis* 21. *Paſce agnos meos, paſce oues meas*, &c. Alter *Mathæi* 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claues regni cælorum*, &c. *Epiphanius* contra *Catharos* vtrunque textum vno textu complectitur, vbi poſt alia ſic loquitur, *Sed etiam in eo ſolida Petra ædificij & fundamentum domus Dei fuit Petrus, quando poſtquam negaſſet, & denuò conuerſus eſſet à Domino inuentus eſt qui eo honore ipſum dignatus eſt, vt rurſus illi diceret, Paſce oues meas*, &c. *Nam his verbis Chriſtus ad pænitentiæ conuerſionem nos vocat, vt iterum in Petro Fides optimo nitens fundamento ædificaretur*, &c. Dicit etiam in *Anchorato*, *Petrus Petra ſtabilis, ſuper quam ædificata eſt Eccleſia Dei, Fides enim certiſſimè ſtabilita eſt ſuper Petrum.*

Baſilius etiam l. 2. contra *Eunomium*: *Petrus eſt ille qui ſuſcepit ſuper ſe ædificationem Eccleſiæ ob Fidei excellentiam*, &c. *Auguſtinus* etiam de agone Chriſtiano c. 30. vtrunque textum ſic interpretatur, *Non ſine cauſa inter omnes Apoſtolos huius Eccleſiæ Catholicæ perſonam ſuſtinet Petrus, huic enim Eccleſiæ claues regni cælorum datæ ſunt, cum Petro datæ ſunt: & cum ei dicitur, ad omnes dicitur, Amas me? Paſce oues meas.*

13. Quænam ſit illa cauſa cur *Petrus* inter omnes Apoſtolos Eccleſiæ perſonam in clauibus recipiendis, & paſcendo gregem ſolus ſuſtineat, niſi quia ſpecialius cæteris tanquam Eccleſiæ caput totum corpus repræſentare potuit: niſi quia tota Eccleſia in ipſo aliquo modo

virtualiter

virtualiter erat, vt communitas ſeu Reſp. in ſuperiore, quæ ratio in reliquis non reperiebatur? Vnde *Ambroſ.* de dignitate Sacerdotali. *Cum tertio fuit interrogatus Petrus, trinâ reſponſione, repetitum eſt à Domino tertio, Paſce oues meas. Quas oues & quem gregem non ſolum tunc B. ſuſcepit Petrus, ſed & nobiſcum eas accepit, & cum illo eas nos ſuſcepimus omnes, nimirum quia ſinguli Epiſcopi in partem ſolicitudinis in & cum ipſo vocati fuerunt.* Et Greg. *Niſſenus* in Orat. de *caſtigationem ægrè ferentibus dicit. Per Petrum Epiſcopis dedit clauem cæleſtium honorum* adeo vt in *Petro* eſſet omne.

Chryſoſtomus ad verba *Lucæ* Act. 1. 25. *Exurgens Petrus in medio Fratrum dixit*, ſic loquitur, *Petrus ſemper loquendi facit initium, & vt calidi vir ingenij, & vt gregem Fidei ſuæ commiſſum habens à Chriſto* &c. vbi alludit ad hæc verba, *per quæ grex Chriſti Fidei ſuæ commiſſus legitur.*

Huc etiam tendit illud *Theodori Studitis* in Epiſtola ad *Paſchalem Papam. Audi Apoſtolicum caput à Deo electum, paſtor ouium Chriſti, clauiger regni cæleſtis, Petra Fidei ſuper quam fundata eſt Catholica Eccleſia, Nam tu es Petrus Petri ſedem exornans & gubernans*, & poſt pauca: *Huc ades ab occidente reſurge, & ne repellas in finem* &c. Agit ibi contra *Iconoclaſtas.* Infinitus eſſe poſſum in allegationibus veterum quas ad faſtidium vſque notaui.

Non eſt quod hæream, cùm hodie nemini dubium eſſe poſsit, quin Petro ſpecialiter hîc mandata ſit ouium Chriſti cura, licet in eo alijs Apoſtolis & Epiſcopis pars ſolicitudinis deſignari rectè cenſeatur, ſecundum illud *Ambroſij Ioan.* 21. *Quem gregem non ſolus tum ſuſcepit Petrus Apoſtolus, ſed nobiſcum eas oues ſuſcepit, & nos cum eo ſuſcepimus.*

Multi hic inaniter tergiuerſantur de ſignificatione vocabuli *paſce*, Græce, ſic ſcribitur βόσκε τὰ ἀρνία μου ποίμαινε τὰ προβατά μου, βόσκε τὰ προβατα μου. *Paſce agnos, ſeu agniculos, paſce, paſce oues meas, paſce oues meas*, vbi rudiores & perfectiores iſtis duobus verbis, agnos & oues, cõprehenduntur ſecundum *Theophilactum*, adeo vt nullum genus hominum excludatur ex ouibus Chriſti, quæ Petro hîc committuntur.

Illa etiam duo vocabula βόσκειν & ποίμαινειν apud Græcos aliquantulum differunt, vt notat idem *Theophilactus* & omnes Græci authores:

Digitized by Google

thores : primum ſuauem agendi modum intimat, nempè ſimpliciter paſcere: alterum aliquantò aſperiorem agendi viam deſignat, ſcilicet regere. Vtrumque igitur *Petro* demandatur, licet tardius ad duriora procedendum, & ideo bis dicitur βόσκε, vt notant veteres. Regendi ergo habet *Petrus* poteſtatem, & cum illo eius *ſucceſſores* ſecundùm *Ambroſium, Auguſtinum*, & cæteros Patres : ſed an *in virga ferrea* moreRegum dominantium alibi:negat ipſe *Petrus*,poſt Chriſtũ, nec aliud practicant poſteriores Pontifices quorum actus laudantur, quicquid clament aduerſarij.

14 Quoad alterum textum,certatim omnes veteres cõfluunt& huic ſenſui applicant, legendus *Cyrillus* in *Ioan*. lib. 4. cap. 28. *Per vnum qui præerat, omnes reſpondent.* Idem lib. 2. cap. 64. *Quando Saluator diſcipulos interrogauit, dicens, Quem me eſſe dicunt homines? poſtea vt Princeps caputque cæterorum primus exclamauit*, &c. *Cyprianus* l. de vnitate Eccleſiæ dicit, *Eccleſiam voce Domini ſuper Petro vno eſſe fundatam*, idem ſæpè alibi,præſertim Ep. 71. *Nec Petrus quem primum Dominus elegit, & ſuper quem ædificauit Eccleſiam ſuam*, &c. Sic *Ambroſius* de Sanctis ſermon. 11. *Petrus pro ſoliditate deuotionis Eccleſiarum Petra dicitur, ſicut ait Dominus: Tu es Petrus*, &c.

Sic magnus *Ephræm* l. de armatura ſpirituali *Princeps Apoſtolici* ordinis *Petrus* cùm Filium Dei viui Chriſtum Ieſum confeſſus eſſet; claues regni cœleſtis accepit, poteſtatem cæleſtium ac terrenorum omnium obtinuit.

15. Sic *Auguſtinus* ſæpiùs,nec obſtat quod dicat in Pſ. 118. *Quædam dicuntur, quæ ſi propriè ad Apoſtolum Petrum pertinere videantur, non habent illuſtrem intellectum, niſi cum referuntur ad Eccleſiam.* Nam vt alibi notaui, non ad *Petrum* pertinent niſi in quantum repreſentat Eccleſiam, ſeu ipſe ratione officij aliquo modo ſit ipſa Eccleſia. Nec etiam impedit quod l. 1. Retractationum c. 25. explicat *ſuper hanc petram de Chriſto*. Nam ibi relinquit liberum hoc vel illud ſentire, & quidem vtrumque rectè intelligitur.

16. Vndè *Optatus* l. 7. de bono vnitatis *B. Petrus cui ſatis erat, ſi poſtquã negauit ſolam veniam conſequeretur, & præferri Apoſtolis omnibus meruit, & claues Regni Cælorum communicandas cæteris ſolus accepit*, idem habet

ſæpè

ſæpè alibi. *Petrus* igitur rectè Eccleſiæ perſonam eatenus agit, quatenus non pro ſe ſolo ſed cæteris claues communicandas ſolus accepit, ſecundùm *Optatum*, quem in omnibus ſequitur *Auguſtinus*, vt ſæpiſſimè notaui. Qui plura de hac deſiderat *Optatum* ſolum conſulat.

Fuſiſsimus hîc eſſe poſſum, ſed rem multoties actam agerem, ad *Baronium* igitur illum πολυμαθέστατον, *Bellarminum*, *Maldonatum* nulli ſecundum & cæteros, lectorem remitto; ex infinitis fermè Patrum monumentis, quæ dum veteres quâ potui diligentiâ perlegerem, ex ipſis fontibus collegi, ſelectiora ſolum tango, ne faſtidio ſim Lectori, ſolum igitur adiungam *Baſilium Magnum*, qui ſolus ſufficit pro ſenſu Eccleſiæ græcæ, vt *Auguſtinus* pro Latinæ.

Ipſe hom. 28. de pænitentia clarè docet *Petrum* eſſe *Petram*, nec hoc ſolùm, ſed quo ſenſu ſit *Petra*, oſtendit. l. etiam 2. contra *Eunomium* dicit, *Petrus quoniam Fide præſtabat, Eccleſiæ ædificationem in ſeipſum recepit*. Omitto alia apud eum loca huic propoſito inſeruientia, ſed minùs clarè.

17. Sed quorſum hæc, quid ad quæſtionem de Papatu Romano hodierno? vel maximè. Nam ex hoc antecedente, tàm Concilia, quàm Patres ad conſequens quæſitum deuenerunt, & legitimâ vt putarunt conſequentiâ defenderunt. Non quidem hîc expectandæ ſunt conſequentiæ ex locis (vt vocant) intrinſecis deductæ, nec ex principijs metaphiſicis hîc validè philoſophandum eſt; ſed ad *expoſitiones Patrum & conſenſum Veterum* recurrendum erit, vt ſenſus Scripturæ hac in parte dignoſcatur ſecundum illud *Ambroſij De vocatione omnium gentium.* l. 1. c. 4. *De hac Doctrina Apoſtolicæ regulâ, quâ Eccleſia vniuerſalis imbuitur, ne in diuerſum intellectum noſtro euagemur arbitrio, quid in ipſa, vniuerſalis Eccleſia ſentiat, requiramus.*

18. Hinc in Concilio Romano quod celebratum eſt circa annum Dñi 382. Patres ſic loquútur. *Sancta Romana Eccleſia nonnullis Synodicis conſtitutis cæteris Eccleſijs Prælata eſt; ſed & Euangelicâ voce Domini Saluatoris noſtri primatum obtinuit. Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Synodica hæc expoſitio textus Diuini Romanam ſedem ſub nomine & ratione *Petri* includit.

Digitized by Google

19. Neminè etiam latet Reſcriptum *Valentiniani Cæſaris*, in quo *Papatus Romani* tres rationes affert, *meritum Petri, dignitatē ciuitatis, Synodica decreta*, vixit cum *Leone* primo, Adæquatè totam rem explicat vt refundens Papatum in ius Diuinum ciuile, & Eccleſiaſticum.

Ideo *Auguſtinus* contra Donatiſtas. *Ipſa eſt petra quam non vincunt inferorum portæ. 1. Eccleſia Romana à Petro in vera Fide fundata, Petra eſt inuicta*, &c.

Præterea in Concilio primo *Epheſino* quod etiam generale erat, Legati (concilio non contradicente) *Petri* Eulogia Eccleſiæ Romanæ, communicant, vocant *Petrum Fidei columnam, fundamentum Eccleſiæ Catholicæ*, & poſt omnia ad ſenſum veterum Patrum de *Petro* elocuta ex ipſis ſcriptis, ſic concludunt: *Qui vſque nunc & ſemper per ſuos ſucceſſores & viuit & iudicat*, &c. Neſcio quid apertius, vel plenius dici potuit ad cōuincendum, ex iure Diuino petitum & conſtructum Papatum Romanum.

Apud *Sardicenſe* etiam Concilium paulo poſt *Nicænum*, & ſub eius nomine ſæpè intellectum, ſub *Hoſio* Præſide, Papatus Romanus aſſertus eſt, & in *Petro* fundatus declaratur.

20. Denique hic ſtilus tritiſsimus Veterum, vnde *Optatus* l. 2. *Negare non potes, ſcire te in vrbe Romanâ Petro primo Cathedram Epiſcopalem eſſe collocatam: in quâ ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus: vnde & Cephas appellatus eſt: in quâ vna Cathedra, vnitas ab omnibus ſeruaretur, ne cæteri Apoſtoli ſingulos ſibi quiſque defenderēt: etiam Schiſmaticus & pecator eſſet qui contra ſingulorum Cathedram, alteram collocaret*, &c. & enumerat ſingulos poſt *Petrum* Romanos Epiſcopos. Vbi eodem iure quo *Petrus* Papatum, Epiſcopus Romanus ſuum deriuare oſtendit: & ideò in eodem libro aliquantò poſt dicit. *Inferi portas ſuas habere noſcuntur, contra quas portas, claues ſalutares accepiſſe legimus Petrum, Principem ſc. noſtrum cui à Chriſto dictum eſt, Tibi dabo claues regni cælorum & portæ inferorum non vincēt eas. Vnde eſt ergo quod claues regni vobis vſurpare contenditis, qui contra Cathedram Petri præſumptionibus*, &c. *militatis*.

Qui adhuc accuratiùs hanc veritatem ſecundùm ſenſum tàm Grecæ quàm Latinæ Eccleſiæ ediſcere cupiet, legere debet volumina

præfacta

prætacta Epiſtolarum *Leonis* & Orientalium ad eum ſcriptarum, & etiam *Gregorij Magni* in Regiſtro, in quibus totam Eccleſiæ Catholicæ Oeconomiam & gubernandi rationem ſecũdùm ſenſum vtriuſque Eccleſiæ inueniet, Ex quibus omnibus clariſsimè patet *Florentinam* ſeu vtramque Eccleſiam ibi rectè definijſſe *veritatem Papatus iure Diuino eſſe fundatam.*

21. Sunt apud Fidei inimicos ſtraminea quædam iacula contra fundatiſsimã hanc Fidei cõpagem: ſed plerunque non rem ipſam, ſeu Papatus ſubſtantiam tangunt, ſed potius modum ſeu exercitium eius. Aliquando contra principia Metaphyſica vel pueris nota, *ex negatione actus ſecundi, actum primum auferunt*, ob perplexas in œconomia Eccleſiæ ſubortas difficultates, longè petitas & perplexiores trahunt conſequentias. Negabatur olim in Africa (ſiue iuſtè ſiue iniuſtè, non eſt hic diſputandum) in ordine ad aliquas perſonas, in aliquibus cauſis *appellatio ad Papam*: hinc omnes moderni ſectarij concludunt negationem Papatus, quem vel maximè & vniuerſim venerabantur. Imò nullibi terrarum maiora exſtabant obedientiæ monumenta quam apud veteres Afros & eorum Concilia. Addo conſequentiam aliquibus non videri vſquequaque firmam, ex negatione *Appellationis* concludere negationem ſupremitatis.

De iure etiam & modo eximendi aliquos ab immediatis Prælatis, vt in Religioſis ordinibus & capitulis Cathedralibus fit, diſputant: vt *Cauſabonus* ſenior, & alij etiam de iure, potius de exercitio iuris quoad hic & nunc excommunicandi Principes, & ſubinde durè coercendi valde exclamant, vt *Mortonus*. Alij denique declarationem & etiam limitatione huius *diuinæ poteſtatis* in Concilia referri debere cõtendunt, vt Iuriſtæ non pauci. Quæ omnia & ſi quę ſunt huius generis alia, à pleriſque non putantur hodiernæ diſputationis, nam Fidem ipſam non deſtrui, vel penitus eneruari ex his exiſtimant, & ideo *circumſtare* ſeu Fidei appendices ſpectare potius volunt. His igitur in aliud tempus intermiſsis, occurrit realis obiecto diſcutienda.

Obijciunt aliqui Papam eſſe caput huius & illius, ſeu ſingulorum Eccleſiarum, non verò vniuerſæ Eccleſiæ: Reſpondeo quòd licet re

quidem verâ ſecundùm Philoſopum in Metaphiſicis, & *Doctorem Subtilem* cum ſuis ibidem & conſtanter alibi A. B. non eſt Ab. Hoc eſt partes non ſunt ipſum Totum quod conſtituunt in ſenſu ſcilicet metaphyſico: in ſenſu tamen morali aliter philoſophandum eſt de partibus & toto morali; de quo agitur in caſu noſtro. v. g. per inductionem vt loquuntur *Summuliſtæ* validiſsimè infertur, Papa eſt Caput huius & illius, & ſic de cæteris Eccleſijs, ergo omnium. Sicut arguitur, *Petrus* eſt viſibilis, *Paulus* eſt viſibilis, & ſic de cæteris, ergo omnes homines ſunt viſibiles. Hoc non patitur replicam apud Logicos, & conſequenter non in priori argumentandi formâ, ex iiſdem principijs conflatâ.

Vnde vlterius inferre licet, Si Papa eſt caput omnium, ergo totius vniuerſæ Eccleſiæ: nam in moralibus non reſultat (vt dico) aliqua tertia entitas, quæ vocari poteſt totum realiter diſtinctum à partibus: quicquid per operationes abſtractiuas imaginamur in ſcholis quoad metaphyſ. Quis enim vir prudens qui expendit res in reali pondere & menſura, non irrideat hominem perorantem in pulpito Prætorio vt perſuaderet Ciuibus, Rempublicam eſſe quoddam tertium compoſitum reſultans ex ipſis, quaſi pendulum in aëre. Communis ſcilicet hominum ſenſus ſtatim concipit, omnes homines eſſe totam illam maſſam quam videmus hominũ, & non aliquid aliud, ſeu tertium aliquid ab ipſis diſtinctum. Sic in propoſito, & in omni re morali arguẽdum eſt, niſi omnes quos habemus ſenſus eruere & deſtruere velimus.

Quod verò replicari poteſt: ſint decem homines, quorum ſinguli habeant centum florenos, adeò vt tota ſumma ſit mille floreni: Ego poſſum eſſe ditior ſingulis, non tamen ſequetur quod ſim ditior omnibus. Dico non eſſe ad rem loqui in ſenſu diſiunctiuo: ego ſum ditior ſingulis, hoc eſt *ego ſum ditior hoc vel illo.* Sed dici debet *hoc & illo, & ſic de cæteris,* & tunc ſequetur *me eſſe ditiorem omnibus decem.* Nam licet ſeparatim ſeu ſigillatim toties recenſeantur centum in illis decem perſonis, hoc tamen fit in ordine ad quoddam vniuerſale diſtributum ipſis ſingulis & omnibus commune, & ſic ex ſingulis enumeratis cum collectiuo infertur illum totum ſeu vniuerſale intentum, vi inductionis vt dictum eſt, *quæ eſt à ſingularibus ad vniuerſalia acceſſio,*

Digitized by Google

acceſsio, ſecundùm Philo. l. 1. Topic. c. 10. Nec replicari poteſt antecedens eſſe verum de ſingulis determinatè ſumptis, adeò vt nulla Eccleſia deſignari poſſit inter omnes, quæ non ſubdatur Papæ, non tamen de ipſis indeterminatè ſumptis, v. g. Sicut de *concauatione lapidis ex caſu guttularum*, verè dicitur de hâc & illâ & ſic de cæteris guttis determinatis vel determinatè ſumptis, quod nulla ipſarum concauum reddiderit lapidem, quod tamen aſſeri non poteſt de ipſis indeterminatè ſumptis, vt patet, & ideo non rectè infertur: *ergo nulla gutta fecit*, quia mutatur quaſi *acceptio vocis*, ſicut ſecundùm doctrinam traditam à *Doctore Subtili* l. 1. d. 3. q. 3. & l. 3. d. 37. q. 1. & alibi, eſt *fallacia figuræ dictionis* deſcendendo à prædicato ſtante determinatè ad indeterminatũ: ſed hoc in caſu noſtro non valet, quia verificatur non tantum de hâc & illâ Eccleſiâ determinatè ſed indeterminatè ſumptis. Nam inter omnes Eccleſias, nulla particularis eſt determinatè ſeu indeterminatè ſumpta, quæ non ſubditur vt prius. Dixi *nulla particularis*, &c. quia ſuppoſitio indeterminata eſt vſus termini pro particularibus diſiunctim numerandis, adeò vt ſemper ſignificatum ſit particulare, vt in hac propoſitione Domus eſt neceſſaria ad inhabitandum, non intelligitur de omnibus vniuerſaliter, nam eſt falſum dicere, omnes eſſe neceſſarias, nec de hac vel illa determinatis, quia tunc reliquæ non eſſent neceſſariæ. De inferioribus igitur .i. particularibus diſiunctim enumerandis, id eſt hæc vel illa domus, &c. adeò vt nunquam excedat particularia, quod in caſu noſtro eſt falſum v. g. vel hanc vel illam Eccleſiã non eſſe ſubditã Papæ. Secus verò eſt de guttulis iſtis. Hinc igitur rectè infertur totam Eccleſiam Categorematicè ſumptam eſſe ſubditam, &c. Et ideò malè dicit *Almainus* de authoritate Eccleſiæ c. 8. *Ad omnes authoritates ſonantes quod Papa eſt caput Eccleſiæ. Reſpondendum eſt quod ſit diſtributio pro particularibus Eccleſijs, & non pro totâ.*

Vt clarè verò conſtet ineptitudo huius explicationis; quando Caput Eccleſiæ prædicatur de Papa, vel ſumi debet *Eccleſia* confusè, quod eſt acceptio vocis pro inferioribus diſiunctim enumerandis, vt iam dixi de ſuppoſitione indeterminata; hoc eſt, Papa

 eſt,

Digitized by Google

eſt Caput huius & illius Eccleſiæ particularis, quod eſt manifeſtè falſum, quia hoc eſſet reſtringere eius ſuprematum ad aliquas paucas vel forſan vnicam Eccleſiam: vel igitur nomen Eccleſiæ ſumi debet vniuerſaliter ſeu diſtributiuè, & tum idem eſt ac vniuerſalis Eccleſia, quod diſtribuit illum terminum cui immediatè præficitur, & inde verificatur de ſingulis inferioribus, quod eſt proprium termini vniuerſalis. Vndè valdè peccat contra elementa Logicæ dicendo in hâc prædicatione, *Papa eſt Caput Eccleſiæ*, quod ſit diſtributio pro particularibus Eccleſijs & non pro totâ: imo videtur implicare contradictionem, & æque peccare, ac ſi idem diceretur de hâc propoſitione, *Homo eſt animal rationale.* Vnde ſtatim ſequeretur, licet omnes homines ſint rationales, humanam naturam non eſſe rationalem, vel hominem vt ſic non eſſe rationalem. Et eodem modo dicendum eſt ad *Cuſanum* in ſuâ Concordiâ, qui dicit *Papam eſſe caput ſingulorum ſed non omnium Chriſtianorum.* Oppoſitum.

Greg. Niſſ. de Anima. *Ex ijs quæ particularia ſunt, vnum conſtituitur quod vniuerſum eſt.* Videtur igitur rectè concludi *Pontificem Romanum eſſe Caput*, ſeu habere ſupremam iuriſdictionem, non ſolum reſpectu huius & illius; ſed ex ſuppoſitione iſtius antecedentis, per neceſſariam conſequentiam, etiam reſpectu omnium, & eâdem neceſſitate adhuc ſequitur etiam reſpectu vniuerſæ Eccleſiæ: cum re quidem verâ non ſolùm ſint inſeparabilia (quod tamen ſufficit ad hoc intentum) ſed realiter indiſtincta, quoad moralem ſaltem conſiderationem, de quâ in præſenti ſolum agitur: nec aliud vſpiam colligere potui ex ſcriptis veterum.

Patres priorem enuntiationem ſæpè ſæpius aſſeruerunt, vt ex ijs quæ in corpore agitata ſunt, pateſcit; non igitur oppoſitum poſterioris dicere potuerunt: nam vt dictum eſt ex *Philon* l. de interp. cap. 14. *Nunquã enuntiatio vera eſt verè cõtraria*: quinimo non rarò poſteriorem veritatem re ipsâ affirmarunt vt ſatis colligitur ex dictis hinc inde ad ſe collatis in hoc capite, nec rationabilem patiuntur replicam. Et ideo propoſitio 41. *Huſſit* videlicet hæc: *Non eſt de neceſſitate ſalutis credere Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam inter alias Eccleſias*, fuit à Concilio

cilio *Conſtantienſi* Seſſ. 8. in hâc formâ condemnata: *Error eſt ſi per Romanam Eccleſiam intelligat vniuerſalem Eccleſiam, aut Concilium generale, aut pro quanto negaret primatum ſummi Pontificis ſuper alias Eccleſias particulares.* Vbi vt notat *Cajetanus* in ſuo Opuſculo, non excluditur primatus ſuper vniuerſalem Eccleſiam, licet non clarè aſſeratur: Et ideò *Martinus quintus* approbante Concilio declarauit hunc ſenſum: *Quod Beatus Petrus fuit Vicarius Chriſti habens poteſtatem ligandi & ſoluendi ſuper terram; Et quod Papa Canonicè electus, qui pro tempore fuerit eius proprio nomine expreſſo, ſit ſucceſſor Beati Petri habens ſupremam poteſtatem in Eccleſia Dei.*

Non dicit ſolùm *primatum*, ſed *poteſtatem*, & non tantum *ſuper particulares Eccleſias*, ſed *Eccleſiam*, id eſt, *totam Eccleſiam*; nam *locutio indefinita æquiualet vniuerſali in doctrinalibus.* Imò ipſum nomen *Eccleſiæ* eſt terminus vniuerſalis ſignificans naturam vniuerſalem, ſicut homo, aliàs non poſſet prædicari de hac & illa Eccleſia, ſicut nec homo de *Petro* & *Paulo*. Diſcutiatur hoc ſecúdùm principia *Porphyrij*: Et ob eandem rationem omnis Eccleſia, vel omnis homo non eſt vniuerſale, rectè igitur infertur: *Papa habet poteſtatem in Eccleſiam Dei ergò ſuper vniuerſalem Eccleſiam*, quia idem ſunt: vel vt dictum eſt ſupra, *ergò ſuper has & illas*, &c. *ergò ſuper omnes*, & denique finali conſequentia ſuper vniuerſalem, vt deductum eſt. Et ideò Concilium Lugdunenſe de Elect. c. 9. *Vbi periculum*, dicit expreſsis terminis quod *Papa eſt rector Vniuerſalis Eccleſiæ*, & eſt communis ſtilus Eccleſiæ *veteris* poſt *Romanum* & Concilium primum *Epheſinum*, & *recentioris* poſt *Florentinum*, & vt dixi ſatis pateſcit ex dictis & dicendis ſeu afferendis ex archiuijs veterum, quæ vix cum violentia in alium trahi poſſunt ſenſum. Vndè optimè dicit vel ipſe *Gerſonius* lib. de vita ſpirituali animæ, tum alibi, tum lect. 2. *Corol.* 7. In tertio gradu reponentur leges diuinæ immediatè à Chriſto traditæ, aut ab eis dicto modo deductæ, quæ per ſucceſsiuam relationem Apoſtolorum & aliorum ad nos, æquiualentium ſcripturæ Canonicæ notificatæ ſunt, vt fortè eſt iſta lex; *Vniuerſalis Eccleſia Pontifici Romano ſubiecta ſit*, &c. agnoſcit & adſtruit traditionem non Apoſtolicam,

ſed

Digitized by Google

Paulo ſedem Romanam fundatam, & primos in ea Epiſcopos ſediſſe. Quod idem referre docent quos ſupra citauimus. Hactenus *Bellarminus.*

Irenæus quidem l. 3. c. 3. ſic loquitur. *Sed quoniam valde longum eſt in hoc tali volumine, omnium Eccleſiarum enumerare ſucceſſiones, maximæ, & antiquiſſimæ, & omnibus cognitæ à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis* Petro *&* Paulo *fundatæ & conſtitutæ Eccleſiæ, &c.* Vbi aſſerit *Romanam Eccleſiam ab vtriſque fundatam.*

2. Sed facilè intelligi poteſt eam *fundatam* fuiſſe ab vtriſque, ratione *inſtructione* fidelium, quam vnâ ibi adhibuerunt; vt etiam in eodem capite videtur intimare *Irenæus*; vbi omnes Eccleſias .i. omnes fideles eò recurrere debere edocet: quia ibi *conſeruata eſt ea quæ ab Apoſtolis eſt traditio.* Et in ſequentibus adhuc clariùs hoc docet, & in terminis, *fundata etiam erat ab ijs ratione martyrij, per quod quaſi confirmata & conſignata fuit Fides quam ibi docuerunt.*

Super omnibus Apoſtolis Eccleſiam Dei *fundatam* eſſe Scripturæ docent: *Petrum* verò eorum omnium fuiſſe *Principem* & *Supremum Paſtorem* vice Chriſti ex Orthodoxis nemo ambigit.

Rectè igitur conſiſtere poſſunt hæc duo, Eccleſiam Romanam ſub vtriſq; fundatam: *Petrum* vero ſolum fuiſſe à Dño conſtitutum Papam.

3. Sæpè apud veteres, *Petrus* & *Paulus* Chriſtianorum *Principes* vocabantur, vt patet apud *Eucherium* Lugdunenſem in homiliâ in natalem Apoſtolorum *Petri* & *Pauli.* Eccleſia etiam ijs applicat illud *Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram,* & in hoc ſenſu *Cyrillus Hieroſol.* Catech. 6. ad illumin. potuit vocare *Petrum & Paulum Eccleſiæ Romanæ Præſides*: nempe vt Eccleſia vocat eos totius terræ *Principes,* nec in hoc derogatur *Petri* Papatui. Vnde *S. Leo* Epiſt. 84. c. 11. *inter Beatiſſimos Apoſtolos in ſimilitudine honoris fuit quædam diſcretio poteſtatis, vt omnium par eſſet electio, vni tamen datum eſt, vt cæteris præemineret. De quâ formâ, Epiſcoporum quoque orta eſt diſtinctio, & magnâ diſpoſitione permiſſum eſt, ne omnes ſibi omnia vendicarent, ſed eſſent in ſingulis* Prouincijs *ſinguli; quorum inter fratres haberetur prima ſententia,* &c. *Et ad vnam* Petri *ſedem vniuerſalis Eccleſiæ cura conflueret, & nihil vſquam à ſuo capite diſſideret. Similes erunt omnes in honore, & tamen quædam erat diſcretio poteſta-*

Digitized by Google

non potuit autem vrbs Roma ſine Epiſcopo eſſe, &c.

Hic vnicus (in quantum ſcio) poſuit vtroſque in capite Catalogi, licet cum aliquâ differentiâ, vt etiam literâ acutiùs obſeruanti patet: probabile quidem eſt ſecundum hanc ſententiam *Epiphanij*, *Clementem*, *Linum & Cletum* fuiſſe Coepiſcopos Romæ, hoc eſt aſſumptos in Coadiutores, nec obſtitit Principatui *Petri*. Sic *Paulus* in eminentiori gradu *Petro* collaborauit, non ſolum in Apoſtolatu, ſed Epiſcopatu Romano: Nemo dicet tres illos nominatos fuiſſe Papas orbis cum *Petro*, licet fuerint Coepiſcopi Romani cum ipſo & *Paulo*: maneat igitur *Paulum* fuiſſe Coepiſcopum Romæ, imo quod notabilius eſt, habuiſſe cum *Petro* ſuper totum orbem iuriſdictionem, cui benè conſiſtit & conſiſtere debet ſecundum omnes veteres, *Petro* reſeruatum fuiſſe hoc priuilegium plane diuinum. *Omnes propriè regit Petrus*. Et illud: *Petrus omnibus Apoſtolis præpoſitus fuit*, quod de *Paulo* nunquam additum eſt. Quot igitur, vel quantacũque voluerint, tribuant Magno *Paulo* encomia, illud ſolum reſeruetur *Petro*, & res ſalua eſt. Adferatur Commentarius in Sanctum P*aulum*, qui cum operibus *Ambroſij* colligatur, qui dicit P*aulum* habuiſſe Primatum in prædicatione gentium, ſicut habebat P*etrus* in Circumciſione.

In Cap. etiam 2. ad Gal. *gratiam* Primat*us ſibi vindicet conceſſam à Deo, ſicut & ſoli* Petro *conceſſa eſt inter Apoſtolos*. Dicatur etiã *à Petro Damiano*. P*aulus adinſtar Chriſti ſaluo cæterorum Apoſtolorum iure, videtur omnibus Eccleſijs præſidere*, &c. Infinita huiuſmodi pro deuotione veterũm adferãtur in honorem *Sancti Pauli*, nihil officiunt veritati. *Petrus omnibus Apoſtolis præpoſitus fuit*, quod de *Paulo* vt dixi, apud veteres nuſpiam auditum eſt. *Petri* Primatus intactus reliquitur, qui precipuè in hoc priuilegio emicabat. Nam nemo neſcit quod ex *S. Leone* attuli de primatu reliquorum Apoſtolorum in totum orbem, cui *Cyprianus* laudatus & cæteri Patres cum *Hieronymo* conſentiunt vniuerſim, ſolum P*etro* reſeruatur *Inter duodecim vnus eligitur*. *Iræneus* quidem intimat *Petrum* vſum fuiſſe *Paulo* in conſilijs ſuis, & in regimine Eccleſiæ, nam ibi tradidit *Iræneus*, quod *Petrus* & *Paulus* tradiderunt *Lino* Papatum quaſi iunctim ſeu communi conſilio, quod meritò quidem expectare

Digitized by Google

potuit P*aulus* tantus Apoſtolus Gentium.

Nec vllo modo vrget factum P*auli* in reprehenſione P*etri*, nam vt optimè ponderat *Cyprianus* ep.71. *Nec Petrus quem primum Dominus elegit, & ſuper quem ædificauit Eccleſiam ſuam*, cum ſecum P*aulus* de circumciſione poſtmodum diſceptaret, vindicauit ſibi *aliquid* inſolenter, aut arroganter aſſumpſit, vt diceret ſe Primatum tenere, & obtemperari à nouellis & poſteris ſibi potius oportere: nec deſpexit P*aulum* quod Eccleſiæ priùs perſecutor fuiſſet, ſed conſilium veritatis admiſit, & rationi legitimæ quam P*aulus* vindicabat, *facile conſenſit*, &c. vbi clarè docet *Primatum Petri* optimè conſiſtere cum *reprehenſione* P*auli*, hoc eſt, poſterius non deſtruere veram & ſupremam eius *iuriſdictionem*.

7. *Optatus* verò l.1. planè excludit P*aulum* à Papatu, *vt Hæretici omnes neque claues habeāt, quas ſolus Petrus accepit*, &c. Et reuera frequenter ſic loquuntur Patres citati cum *Gregorio* & *Leone* citatis excludentibus aſſociationem in ratione *ſupremæ poteſtatis Papalis*.

Si igitur aliqui contenderent vtroſque poſſe dici fuiſſe Papas Orbis ſimul ſine præiudicio Fidei: difficulter ſe explicarent ab infinitis Veterum contextibus, quorum præter citatos, nubem congerere facilè eſſet, qui omnes P*etro* reſtrinxerunt. Deinde quomodo reſpondebunt ad ipſam Fidei definitionem in *Florentino* ab vtraque Eccleſia conſignatam? niſi dicatur tàm Patres quàm Concilium *vnitatem ſedis* non *perſonæ* principaliter ſpectaſſe; quod tamen non temerè ſtatui deberet à quoquam, quandoquidem conſtans ſtilus Eccleſiæ oppoſitum ſemper docuiſſe videatur: vel fortè dicerent diuerſam fuiſſe rationem in illis duobus Apoſtolis Eccleſiæ Fundatoribus à poſterioribus Pontificibus, quia vt rectè *Bellar*. lib.2. de Pontif. c. 27. *Authoritas* P*auli extraordinaria erat, quanta tandem eſſet*, & ideò nulla ab ipſo extraordinariè ſedente deduci poteſt conſequentia ad poteſtatem ordinariam P*etri* ad ſuos ſucceſſores deuolutam, & ideo vnicus eſſe debet quia ab initio vnus *Petrus* erat ordinarius. Hoc non patietur tantas difficultates. Siſtendum tamen eſt in doctrina data ſecundum ſenſum Eccleſiæ & ſtilum veterum.

Si igitur

Digitized by Google

Si igitur aliquis hodie aſſereret, duos Eccleſiæ poſſe eſſe *in ſolidum* Papas, adeò vt vnus in Occidēte, alius in Oriente *in ſolidum* Eccleſiam regeret, dicit *Gerſonius* l. de vita ſpirituali lec. 3. contra eum qui ſe pro Catholico gerit, magis ſit deſtitutione quam diſputatione certandum. Imo Hæreſis eſſet euidentiſsima, contra *Florentini* definitionem, & ſacræ Scripturæ ſenſum per manus Patrum recta ſucceſsionis lineâ ad nos vſque vnanimiter traditum, vt ex ſuperius dictis perſpicuè colligi poteſt. *Harpsfieldius* quidam noſtras in hiſtoria Eccleſiæ Anglicanæ ad ſæculum 15. folio 609. dicit Cardinales non obſcuris indicijs deprehendiſſe *Gregorium* & *Petrum* (agit de diro & diuturno illo ſchiſmate) id eſt alterum eorum dixiſſe *Pontificatum Romanum* tam eſſe amplum, vt poſſet duobus idoneè ſatisfacere, ſed à ſchiſmatico prodierit, & ſchiſma potius Hæreſim olet. Vndè non poſſum ſatis mirari quēdam *Erardum Billium* ex Societate an. 1644. Canobi in Gallijs publicè hoc docuiſſe, & quidem apparentibus, re tamen vera planè imaginarijs & ſubinde falſis, & adulteratis propugnaculis circumuallaſſe, quod quidem vltra vltimum potentiæ defenſare contendit ad ſtabiliendam ſcilicet alteram *Hæreticam propoſitionem*, de *inſtitutione Papatus ex iure humano*, in quo fruſtra conatur, ſi modo ipſius genuina ſunt dictata, quæ (ipſo non reclamante ſaltem quod viderim) ſub eius nomine circumferuntur impreſſa. Vtinam legiſſet *Hieronymum* in c. 1. ad Gal. *Grande periculum eſt in Eccleſia loqui, ne fortè interpretatione peruerſâ de Euangelio Chriſti, hominis fiat Euangelium, aut quod peius eſt, Diaboli.* Verum quidem eſt, quod *Antonius* de Dominis in ſua Rep. Eccleſ. l. 4. c. 1. præcipue poſt n. 10. laborat pro Papatu vtriuſque, vt ſic impetat ipſum Papatum: ſed ſi omnia concederentur quæ adfert, nihil euincerēt: quinimo ſubinde *Ioanni* Apoſtolo fundationem Eccleſiæ Romanæ confert ex *Tertul.* de Preſcr. vbi inſinuat *Iohannem* docuiſſe Romæ. Vult verò *Antonius* vbicunque Apoſtoli docuerunt, fuiſſe ibi Apoſtolos & Epiſcopos, ſed eſt nimis ſterile. Sed quia veteres parum fauent eius doctrinæ, ad recentiora Eccleſiæ monumenta recurrit: *Greg.* 7. l. 7. vocat *ſedem ſuam*, alloquens *Petrum*, & *Paulum*, *thronum veſtrum*; Alij Pontifices vocantur *Vicarij* Petri &

Digitized by Google

Pauli apud Baron. to. 10. ad an. 876. n. 16. Aliqui etiam magni faciunt quod in plumbeo ſigillo *Paulus* ad dextram collocetur. Quod ſi aliquid probaret, *Petrum* inferiorẽ *Paulo* probaret, quod nuſpiã auditum eſt. Adfert etiam, quod Pontifices in communi forma interminationum, ad *Petrum* & *Paulum* recurrunt. Huiuſmodi, ſi quæ ſunt alia cõmenta, leuiora ſunt: vndè 1. noſter *B. Ioannes* Capiſtr. p. 3. 2. partis principalis: *Romanus Pontifex* non ſolum *Petri* ſed etiam *Pauli* ſucceſſor eſt; *Petri* quidem in *plenitudinem poteſtatis*, *Pauli* verò in *plenitudinem legalitatis*. Ex hac eius diſtinctione facilè omnia diluuntur.

Miror verò aliquos illud tam durum exiſtimaſſe quod aſſerit *Bellarminus* de Coepiſcopatu *Pauli* Romano, & neſcio quas conſequentias emungunt, quaſi ad eius poſitionem, intercideret Diuina Papatus inſtitutio. Ad quam præcauendam alij *traditiones* ſibi inuicem repugnantes finxerunt, vnam quâ *Petro* & *Paulo* hoc priuilegium ſummi Pontificatus conceſſum fuiſſe dicunt, alteram quâ ſolo Pontifici Romano reſtrictum volunt, nimirum ad paucos annos neceſſitatem aſtruunt habendi *duos*, dum verò iam in infinitum accreuiſſet numerus fidelium, vnus ſufficiebat.

Hæc omnia leuia ſunt, *timuerunt vbi non erat cauſa timoris*, nam aſſertio *Bellarmini* vera eſſe poteſt, nec tamen quæſtionem Fidei vel leuiter tangit: nam conſiſtere potuit *vtrumque fuiſſe ob neceſſitates ingruentes Epiſcopum vrbis, & tamen Petrum ſolum Papam Orbis*, vt ex dictis conſtat.

Quod ſi vlteriùs velimus examinare & quaſi ad oculum demonſtrare, quod aſſertio *Bellarmini* ius Diuinum, ſeu quæſtionem Fidei non tangat. Speculemur opinionem quæ in initio quæſtionis ponit ſenſum reduplicatiuũ, quæ (vt manifeſtum eſt) præcipuè nititur hiſtoriâ de Chriſti apparitione *Petro*, &c. quæ erat paulò ante eius paſſionem: eò igitur vſque non erat à Chriſto mandata vel à *Petro* poſita ſedes Papatus Romæ, nec alligata Epiſcopatui Romano: nam ſecundùm illam ſententiam, tunc primò *Petrus* recepit mandatum à Chriſto collocãdi Papatum in ſede illa. Si verò fuerunt Coepiſcopi Romæ, debet fuiſſe ante hanc apparitionẽ, vt æquè manifeſtum eſt, nã pro tantillo

tillo temporis nullius fuiſſet vſus, nec hoc prætenditur. Coepiſcopatus igitur ille Romanus planè diſparatus fuiſſet ad Papatum; quia nondũ erat deſignatus ei locus Romanus pro ſede Papali ſecundum omnes.

Si verò examinare volumus ſecundum opinionem, quæ ponit ſenſum ſpecificatiuum, adhuc res non erit minus clara; nam ſecundum hanc viam, quæ eſt longè communior, Epiſcopatus Romanus, non ſolùm eò vſque, ſed huc vſque eſt ſeparabilis à Papatu, adeò vt *Epiſcopus Romanus* de perſe loquendo, non ſolum quoad concipere, ſed quoad realiter exiſtere, non eſſet *Papa vniuerſalis Eccleſiæ*, niſi ob *Petri* deſignationem, & conſtantiſsimum Eccleſiæ conſenſum; vnde ſequitur quod caſu quo fuiſſent Coepiſcopi Romæ, nihil argueret quoad Papatum, qui eſt aduentitius alteri. Si tamen vt dixi, ſubodorari poſſet (quod non credo) inter Patrum ſcripta, *aſſociationem etiam Papatus Paulo conceſſam*, parum eſſet, vtique ad *tranſeuntes* locutiones referri deberet, *non inter deliberata iudicia*, ſeu examinata conſulta connumerari: de quibus ſolum hìc curandum, quando de Fide agitur. Vnde *Baſilius* Epiſt. 78. hac in parte diſtinguit, vt cæteri tum veteres tum moderni Doctores, inter ſententias etiam Conciliorum vniuerſalium, quæ *in tranſcurſu* ponuntur, quas dicit, *ſine omni diligentia* poni, quando v.g. nondum *mota eſt quæſtio*, &c. Et inter eas, quæ *quãdo neceſſarium eſt propter peruerſa iniquitatis ſemina declarantur*. Sed hoc alibi fusè explicaui infinities, tamen repeti debet ad ſanè intelligendum ſenſum Conciliorum & Patrum.

12. Solutio ergo *Quæſtionis* in titulo clara & facilis eſt, ex *Florentino* & conſenſu veteris Eccleſiæ confirmatiſsima, nempè *Papatum Romanum ſpecificatiuè ſaltem ſumptum, eſſe de iure diuino*; Cum quâ veritate conſiſtit tàm *Petrum*, quàm *Paulum* fuiſſe τῆς οἰκουμένης διδάσκαλον, hoc eſt, *Orbis habitabilis Magiſtrum*, vt de vtriſque ſæpè loquitur *Chryſoſtomus*, & idem ex *Cypriano*, *Leone*, & alijs veteribus rectè dici poteſt de cæteris Apoſtolis, hoc ſemper ſaluo ſecundùm eoſdem Patres, OMNES PROPRIE REGIT PETRVS, ſecundùm illud *Hieronymi* aduerſus *Iouinianum* l. 1. *At dicis ſupra Petrum fundatur Eccleſia* (*Iouinianus* fatetur *Petrum* Eccleſiæ ſuperiorẽ) *licet idipſum in alio loco ſuper omnes Apoſtolos fiat, & cuncti claues regni cælorum accipiant, &*

piant, & ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur, tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite conſtituto, Schiſmatis tollatur occaſio,&c. *Vnitas* igitur *Suprematus* compatitur *paritatem Apoſtolatus*.

13. Si aliquis in ſcholis parum verſatus has veterum reſolutiones minus capiat, non more leuiculorum ſtatim reijciat, ne illud *Hieronymi* contra *Vigilantium* ipſi iure applicetur, *Tibi ſoli licet τῷ σοφωτάτῳ χρυσίππῳ de cunctis tractatoribus ferre ſententiam?* Potius addiſcat illud *Magni Dionyſij Alexandrini* apud *Euſebium Hiſt.* Eccleſ. lib. 7. c. 20. *non improbo quod non intelligo, ſed ideo potius admiror quod acie luſtrare non queo.* Negari tamen non poteſt quam plurimos eſſe de quibus *Plinius* l. 5. c. 1. *Cum indagare vera pigeat, ignorantiæ pudore mentiri non piget.*

Si populares noſtri ſenſum controuerſiariũ quem in hoc opere ſuſtinui acceptarint, pax erit (materiã de Indulgentijs in Corpore examinaui) nihil vtique ſupereſt controuerſiarum, his materijs diſcuſsis, vt patet in opere ab vltimo Cantuarienſi edito. Minutiores ſcilicet & magis ſcholaſticæ ferè euanuerunt inter temperatiores.

14. Omnia igitur ab initio libri de poteſtate Conciliorum huc vſque ex veteribus allata ad inuincem comparet & expendat Lector eruditus, & aureum illud breuiloquium *Ochami*, (ordinis noſtri in Anglia olim Prouincialis) æternâ memoriâ dignum quod apud Lectorem attuli, abundè probatum, & comprobatum fatebitur. *Maior eſt Eccleſiæ authoritas quam tota ingenij humani capacitas.*

Huic ſanè loco inſeruit illud *Alcinoi* de doctrina *Platonis* c. 34. *hactenus cuiuſmodi ſit Philoſophus dictum fuit: Sophiſta verò à Philoſopho tàm modo quàm materia diſcrepat. Modo quidem, quod ſequitur mercedes iuuenum, bonuſque & clarus videri quam eſſe mauult. Materia autem, quod Philoſophus circa illa quæ ſemper eadem ſunt, & eodem modo ſe habent, verſatur. Sophiſta circa id quod minimè eſt, contendit atque laborat, in prouinciam profecto quæ ob tenebras difficile cerni poteſt refugiens*, &c. Lector eruditus ex curſu libri facilè hæc applicabit verò Philoſopho hoc eſt Catholico, & Hæretico vero Sophiſtæ. In ordine igitur ad Catholicos finem imponam cum *S. Greg. Niſſ.* in Ep. *Euſtathia* & *Ambroſia* directa. *Nolite quos patres noctis poſuerunt terminos mutare, neque aſpernemini ſimplicioris*

plicioris prædicationis idiotiſmum, neque potiorem putetis doctrinam, quæ per varias ſucceſſiones mutauit: ſed antiquæ Fidei regulæ congruite; & Deus pacis vobiſcum erit, & animo & corpore valentibus. Dominus vos ſeruet incorruptos, ſicut optamus.

Hæc ſuccinctè & vt res poſtulat ſincerè, ſi errauero non adhæreo; recolo illud ter Maximi *Auguſtini, Homines ſumus, vndè aliquid aliter ſapere quam ſe res habet, humana tentatio eſt, nimis autem amando ſententiam ſuam vel inuidendo melioribus, vſque ad præſcindendæ Communionis & condendi Schiſmatis, vel Hæreſis ſacrilegium peruenire, diabolica præſumptio eſt: quia itaque homines ſumus, ſed ſpe Angeli ſumus, quamdiu perfectionem Angeli non habemus præſumptionem Diaboli non habeamus.*

Vice etiam verſâ recolant Lectores Chriſtiani aliud eiuſdem Triſmegiſti, *Tam diu non eſt extra Fidem, donec veritate certiſſima reflectatur.*

Poteram quidem ſæpius in curſu operis, & fortè non iniquè accipere occaſionem aliquos *Nominatiores* ſpecificè & nominatim compellendi, quinimo & rependendi iniurias, quibus vnus & alter aduerſariorum in libris ſuis me laceſſerunt: ſed non *ſic didici Chriſtum*, nec adeò deſperata eſt res religionis, vt eâ relictâ in perſonas aduolarem. In vniuerſalibus igitur moror, ne vlli particulari offenſam præbeam, Religionem defenſando nemo læditur. Liberè quidem, ſed cum debitâ reuerentia in aliquos Scriptores ex noſtris ago, quorum perſonas veneror, doctrinam verò ad conſuetudinem ſcholarum pro merito expendo, & ſubinde agito.

Recolo ſemper Epiſtolam ſextam *Diuini Dionyſij* (ſaltem ipſi à multis tribuitur, quæ inſcribitur *Soſi-patro.*) *Noli hoc putare victoriam venerande Soſi-pater, ſi in eam religionem, ſeu opinionem, quæ nulla eſſe videatur inueheris. Neq; enim eam ſi vel grauiter & verè coarguas: continuo Soſi-patri quoq; recta erit opinio: fieri etenim poteſt, vt te & alios multa lateat.*

Ad Noſtrates igitur conuerſus orabo *cum B. Auguſtino* lib. de duabus animabus. *Deus Magne, Deus Omnipotẽs, Deus Sũma bonitatis, quem inuiolabilem & incorruptibilẽ, atque immutabilem credi atque intelligi fas eſt: Trina vnitas, quam Catholica Eccleſia colit, ſupplex oro expertus in me miſericordiam*

Digitized by Google

APPENDIX NOTATV DIGNA ad Cap. 21. ſupra, paginæ 243. ſubnectenda, quæ dum Caput illud imprimeretur, memoriâ excidit, & poſtmodùm reperta, hîc adiuncta eſt.

QVòd mihi nuper obiectarunt aliqui, cōditiones à *Prophetis, Chriſto,* & *Apoſtolis* commemoratas, non ſolùm *Eccleſiæ Romanæ* competere; etiamſi conſideretur in tota ſuæ hodiernæ *Communionis* latitudinis: ſed de *Græcâ* etiam affirmari poſſe. Dixi, & iterum dico, hoc prorſus elumbe eſſe. Nam *Eccleſiæ Græcæ* prout conſideratur in ſua ſeparatione ſeu ſchiſmate, non competunt inſigniores Eccleſiæ *Notæ.* Nam vt reliquas ſubticeam; *illa non eſt per orbem vniuerſum diſperſa:* & ideo non poteſt dici *Catholica.* Nempè non eſt toti mundo in ſua *communione* ſeu in ſuis litteris communicatorijs conſpicua, ſed ſolùm in ſui *Patriarchatus* diſtrictibus hæret, ibi conſtringitur: *Eccleſia* verò *Latina* ſeu *Romana* habet manifeſtos ſuæ communionis filios & ſocios, in omnibus eorum locis, in ipſo *meditullio Græciæ*: In ipſa *Conſtātinopoli,* ad *Ruſciam* 113. ſuos *Græcos Catholicos* habet *Miſsionarios*, vt patet in *Arcidio* Græco, in inſigni illo opere *de concordia* Eccleſiæ *Occidentalis & Orientalis.* Eccleſia autem Græca in partibus noſtris non eſt, nulli ſunt qui ſub ditione ſpiritualis Romani Imperij profitentur ſe ſocios illius *Schiſmatis*, vt olim arguebat. *Auguſtinus* de *Afris*, & ſuperiùs fusè expoſui, quòd ſi eruditus Lector huc applicuerit, peribit penitus prætenſio Eccleſiæ Græcæ.

Deinde arguere Eccleſiam Græcam eſſe veram Chriſti Eccleſiam, de quâ *Chriſtus, Prophetæ,* & Apoſtoli, tam clarè *prophetarunt*, eſt velle arguere Eccleſiam Occidentalem, in latiſsima ſua communione conſideratam fuiſſe à tempore *Phoci* huius ſchiſmatis *Anteſignani,* adulteram: quòd hactenus nec ab ipſis Græcis auditum eſt, vt patet legentibus *Balſamonem* reliquis ſuis Patriotis iniquiorem, vel *Zonaram*, vel reliquos poſteriores; quin imò ipſos moderatiores *Proteſtantes.*

Denique

Denique quod ad hominem valet: Quicquid ſit de *Eccleſia Græca*, nullatenus hodiernorum cauſæ *Sectariorum* patrocinabitur: nam non poſſunt ſuas *formatas ſeu communicatorias* eò dirigere; cùm ferè in omnibus ab eis diſsideant, vt patet in *Hierem. Patriarchæ*, Fidei *Confeſſione* ad *Proteſtantes Germanos* directa, de *Sacramentis*, de *Tranſſubſtantiatione*, de *Sacrificio Miſſæ*, etiam quoad rationem *propitiatorij*, in oblationibus, pro defunctis, In *Inuocatione Sanctorum*, toto cælo differũt à Proteſtantibus & longè plus à *Caluiniſtis* hodiernis, vt omnes norunt, qui eorum Fidei (vt vocant) *Confeſſiones* legerint: non audebunt igitur his cauſam ſuam ſiſtere; nam ſtatim cadent.

Cyrillus quidem Nuperus *Patriarcha* in *Catecheſi Græca* Geneuæ excusâ, *Caluiniſmum* ſubintroducere voluit, & nepotem ſuum, vt vberiorem iſtius Spiritus hauriret & imbiberet malitiam, tranſmiſit in Angliam ad *D. Abbatem Puritanum*, tum in *Archiepiſcopio Cantuarienſi* triumphantem: ſed à reliquis Græcis nouitatis accuſatus, fuit Sede Patriarchali deiectus: tandem ob nouitatem illam Caluinianam capite plexus interijt, & cum ipſo extinxerunt & conſepelierunt nouam *Confeſsionem*. Ipſo è medio ſic ſublato lis ſuborta eſt de ſucceſſore. Ad Summum Pontificem, vt iuris eſt antiqui, appellatum eſt, &c. quid igitur hic, ſiue Fidem; ſiue diſciplinam ſpectemus, cùm modernis *Proteſtantibus*?

Manet igitur integrum, quod hactenus diximus de *Catholiciſmo Eccleſiæ Romanæ*, quæ in ſua *Communione* conſiderata eſt vnica Chriſti Sponſa, ſine macula hæreſeos hactenus conſeruata, & ad conſummationem ſæculi conſeruanda, ſecundùm prophetica & Chriſti promiſſa.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

3-1

Digitized by Google

Digitized by Google